






CHRISTIANUS IN SOLITUDINE,

Sive

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII,

DISTRIBUTA IN DECEM DIES;

Servitura

TUM HOMINIBUS SECULARIBUS,

Cùm vitam ſuam ad Chriſtianæ Virtutis regulas meliùs componere cupiunt;

Tum etiam

ANIMARUM CURATORIBUS,

Cùm oviculas ſuas vel è Cathedra,

Vel in ſacro Tribunali efficaciùs ad meliora commovere deſiderant;

Italicè olim edita

à R. P. Joanne Petro Pinamonti, S. J. Miſſionario Apoſtolico.

Nunc Latinè reddita,

Ab alio ejusdem Societatis Sacerdote.

Superiorum Permiſſu.

RATISBONÆ,

Sumptibûs Joannis Gaſtl, Bibliopolæ. 1743.

FACULTAS R.P. PROVINCIALIS.

Cùm D. Joannes Gaſtl, Bibliopola Ratisbonenſis, typis vulgare deſideret Librum, cui Titulus: *Chriſtianus in ſolitudine &c* idiomate Italico olim conſcriptum à R. P. Petro Pinamonti, Societatis JESU, nunc verò ab alio ejusdem Societatis Sacerdote Latinè & Germanicè redditum: Ego Jacobus Unglert, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus

Provincialis, poteſtate ab A. R. P. N. Franciſco Retz, Univerſæ Societatis Præpoſito Generali, ad id mihi factâ, Eidem ad primam hanc Editionem facultatem impertio. In quorum fidem has Ei manu mea, & conſueto Officii Sigillo munitas dedi. Lucernæ, 5. Junii 1742.

(L.S.) Jacobus Unglert.

INDEX



INDEX TOTIUS LIBRI.

Sacrorum Exercitiorum

Dies Prima.

Dies Secunda.

Medit.

Dies Tertia.

Dies Quarta.

Dies Quinta.

Dies Sexta.

Dies Septima.

Dies

Dies Octava.

Dies Nona.

Anno-

Dies Decima.

Via Cœli complanata,

Pro ſacræ Lectionis Argumento.

Lectio



Intro-



INTRODUCTIO
AD EA, QUÆ TRACTANDA SUNT.

§. I.

SUpremus ille Dominus, qui Ecclesiæ suæ usque ad consummationem seculi, & mundi finem se adstiturum promisit, omnibus retro temporibus illi opportunè semper, prout postulabat necessitas, magnos aliquos Sanctos paravit, qui in morem generosissimorum Belliducum tum suómet exem-

 plo,

plo, tum ſuo fervore reſtituerunt prælium, quod illi cum dæmonibus intercedit; in ordinem redegerunt diſperſas fidelium turmas, timidis addidêre animos, iterum erexerunt lapſos, fortioribus aperuêre viam, ac denique ab hoſtibus infernalibus illuſtrem reportavêre victoriam. Horum Belliducum unus profectò fuit S. Ignatius de Loyola, electus à Deo ultimis híſce ſeculis, ad inſtaurandam aciem militantis Eccleſiæ, ad ferendas illi novas ſuppetias adversùs Luciferi aſſultus, ùt ipſa, Deum alloquens, id fatetur Eccleſia: *Deus, qui -- novô per B. Ignatium ſubſidiô militantem Eccleſiam roborâſti.*

Jam verò, ùt olim Judæ Machabæo, cùm fuiſſet electus ad defendendum ac liberandum populum Iſraëlis, gladius è cœlo datus eſt, ſelectus in hunc finem, ùtì teſtatur *Machabæorum liber 2. c. 15. v. 16. Accipe gladium ſanctum: munus à Deo, in quo deiicies adverſarios populi mei Iſraël;* ita Sancto pariter Ignatio datus eſt è cœlo gladius planè invictus, ſacrorum videlicet Exercitiorum liber; & unà ſimul cum illo conceſ-

ſa ei-

ſa eidem eſt cœleſtis quædam ars, dexterrimè tractandi hunc gladium ad obtinendam quamcunque victoriam: *Munus à Deo, in quo deiicies adverſarios Populi mei.* Quòd Exercitia hæc ingens fuerint Dei donum: *Munus à Deo*, teſtatum faciunt Summi Pontifices autenticis ſuis litteris; quòd autem fuerint Inſtrumentum inſignium Victoriarum, frequens ubique locorum teſtatur experientia. Per ſacra hæc Exercitia S. Ignatius ſtatim initiô lucratus eſt Sanctum Indiarum Apoſtolum, Franciſcum Xaverium, & reliquos omnes ſuos primos Socios, qui ad erigendam Societatis Jeſu Religionem convenêre; poſtmodum per hæc eadem Exercitia ad vitam verè Chriſtianam converſæ ſunt innumerabiles animæ; plurimi ſinè numero mortales Religioſum amplexi ſunt ſtatum; in eodem innumeri ſunt conſervati, atque ad ſanctiorem vivendi modum permoti, novum videlicet ſpiritûs vigorem in ſanctiori hac eremo conſecuti; quin & nonnunquam accidit, ut ii, qui veluti per iocum in hanc ſeſe ſolitudinem abdiderant, ſupremi Numi-

nis virtute in viros alios penitus transmutati prodirent. Non vacat hîc texere hiſtoriam huiusmodi eventuum, qui fuſiùs conſcripti apud Autores magìs idoneos inveniri poterunt; id unum dicam, quòd is, qui hac ſuper re penitiùs perſuaſus eſſe deſiderat, edoceri facilè queat de incomparabili fructu, qui temporibus iſtis in Gallia collectus eſt ex unica domo, ſacris huiusmodi Exercitiis deſtinata Venetiîs in Britannia minore; intelliget enim inde, quòd interdum numerus eorum, qui ad ſacram hanc ſolitudinem confluxerunt, ſupra octingentos multùm excreverit, uti contigit annô 1666. Neque numerô fructus minor extitit apud omnes hominum ſtatus, Nobilium ac Litteratorum, Officialium bellicorum, ac Gubernatorum, non ſine ſingularibus inſignis exempli eventibus, quemadmodum teſtantur Relationes, in publicam lucem editæ (*Roſignol. Notiz. memorab. l.* 1. *c.* 3.) Ex illo autem fructu, qui ex unica ſolùm Galliæ civitate collectus eſt, deſumi facilè poterit, quantò ſinè ulla comparatione maior fuerit, qui collectus eſt ex uni-

universa Gallia, Hispania, Flandria, Germania, ex Orbe novo, &, ne longinqua petamus, ex ipsa Italia, ubi hæc Exercitia adeò sunt bene merita de Religiosis Ordinibus, & de universa Christiana Ecclesia, dum eligere docent veram salutis æternæ viam, atque ad eam maiori cum facilitate decurrendam animant. Mirandum proinde non est, quòd Sancta Mater Ecclesia libellum Exercitiorum *admirabilem* appellaverit: *Admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ Autoritate, & omnium utilitate comprobatum. Brev. Rom.* Mirandum pariter non est, quòd S. Franciscus Salesius, à Divino Spiritu pro animarum regimine tantopere collustratus, hæc omnino verba nobis scripta reliquerit: *Tales etiam omnes illi, qui ex instituto, factis seriis & efficacibus propositis sequendi Dei voluntatem, eum in finem per dies aliquot se à negotiis mundanis abstrahunt, ut animas suas diversis exercitiis spiritualibus è gravi sæpe tepiditatis somno ad opera caritatis præstanda exsuscitent, nec non ad interio-*

rem vitæ reformationem faciendam inflamment, inducántque. Quod familiare & sacrosanctum fuit antiquis Christianis; sed deinde, refrigescente paulatim in posterorum cordibus caritate, neglectum fuit, usque dum Magnus Dei servus S. Ignatius de Loyola, Societatis Jesu Fundator, Patrum nostrorum tempore in usum reduxit, ac revocavit.

Sed quoniam gladius, licèt pérbene duratam & acutam habeat aciem, non ideo tamen in cuiuscunque manu eandem exerit virtutem, in mentem mihi venit, tam magnum hoc bonum, quod è sacris Exercitiis erui potest, pro virium mearum tenuitate promovere. Hunc in finem iam olim in lucem edidi librum sub nomine *Religiosæ in solitudine* (in latina interpretatione appellatur Religiosus in solitudine) ut cuicumque Directori, qui maiorem aliunde peritiam non haberet, suppeditarem methodum sacratas Deo Virgines in isthac solitudine iuvandi, cùm illæ sive propriæ devotionis impulsu sacram hanc eremum subeunt, vel ante assumptionem

nem habitûs Religiosi, vel ante Votorum suorum publicam professionem satisfacere imperio Summi Pontificis Innocentii XI. cupiunt. Cúmque videatur fructus aliquis per Dei bonitatem ex libro isto promanâsse, à nonnullis sum impulsus, ut meditationes illas Secularium quoque statui adaptarem, utpote qui & ipsi multis in locis, ùt paulò antè diximus, conantur isthoc medio salutem suam in meliori statu collocare. Id igitur præstiti; sed angustiæ temporis, ad id præstandum mihi superflui, neutiquam mihi tunc indulsêre, ut ultra dies octo libellum extenderem, neque concessêre spatium, maiorem adiungendi meditationum, ad viam purgativam pertinentium, aliarúmve necessariarum, atque Personis huiusmodi statûs opportunarum numerum. Statui proinde, hanc ipsam Solitudinem ad decem usque dies nunc producere, non solùm in eorum commodum, qui sacris híisce exercitiis longiore tempore vacare cupiunt, sed insuper in ipsius Directoris commodum, ut tantò maiorem habeat facultatem seligendi meditationes, quas cæterìs ma-

gis proficuas fore censuerit. Hæ meditationes plerumque diriguntur ad fugam tantummodo peccati mortalis, non quòd re ipsa Christiani hominis professio non sit professio sanctitatis, ùt pluribus in locis nos monet Apostolus: sed quòd depravati temporum nostrorum mores postulare videantur, ut iis, qui in seculo degunt, vix amplius aliquid proponatur, quàm gravia peccata fugiendi necessitas. De cætero, si qui sunt in seculo, qui acquirendis virtutibus studiosiùs invigilant, iis servire meliùs poterunt Exercitia illa, quæ continet Religiosus in Solitudine.

§. II.

Quid rei sint Exercitia spiritualia S. Ignatii, & quod genus occupationum contineant.

EXercitia spiritualia S. Ignatii non sunt quarumcunque meditationum confusa congeries; sed sunt earum selectus aliquis, & occupationum sacrarum tam aptè inter se ordinata coniunctio, ut una

una ſuam alteri vim imprimat ad obtinendum deſideratum effectum, videlicet ad removendas ab anima malè ordinatas affectiones, eámque dirigendam ad intimam cum Deo coniunctionem, & exequendam in omnibus divinam eius voluntatem; hoc enim eſt, ùt ipſe S. Ignatius in Annotationum ſuarum prima loquitur, facere Exercitia: *Præparare & diſponere animam ad tollendas affectiones malè ordinatas, & iis ſublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei circa vitæ ſuæ inſtitutionem & ſalutem animæ, Exercitia vocantur ſpritualia.* Non aliter, quàm accidit in artificioſa aliqua machina, pro qua non ſufficit, multas in unum cumulum rotas, multáque inſtrumenta congerere; ſed oportet, totum opus ea ratione contexere, ut rota una ingrediatur alteram, & inſtrumenta varia ita ſe invicem iuvent, ut quælibet pars machinæ reliquarum ſimul omnium partium virtute operetur.

Huiusmodi porrò artem, ad excelſum adeò finem aptè coniungendi media, S. Ignatius condidicit partim ex lu-

mine, ſibi cœlitus uberrimè communicato, partim ex illa, quam in Manreſana ſpecu diuturno tempore per ſemetipſum hauſit, experientia; quæ duæ res facem illi prætulêre ad componendum Exercitiorum librum. Nos igitur, ut erroris periculum evitemus, inſiſtere conabimur ipſiúsmet S. Ignatii veſtigiis & inſtructionibus; & quoniam Exercitia non minùs ad eligendum, quàm ad reformandum vitæ ſtatum ſervire poſſunt, ea dirigemus tam ad unum quàm ad alterum ſcopum; & primùm quidem removebimus impedimenta, poſtmodum verò inducemus etiam diſpoſitiones ad ſcopum illum obtinendum.

Primùm itaque in meditationibus ſtatuitur finis, cuius causâ creati ſumus, & bonus mediorum ad eum obtinendum uſus; ſubinde ob oculos ponitur, quàm grande ſit malum, ab hoc fine per peccatum deflectere, quáſque pœnas timere debeat, quisquis ab eo recedit; poſtremò denique diſponitur anima, ut ad exemplum filii prodigi, ad ædes paternas revertentis, per delictorum præteritorum pœnitudinem in bonam

nam ſemitam redeat; omnes porrò id generis conſiderationes ad removenda duntaxat impedimenta pertinent.

Supereſt, ut inducantur etiam diſpoſitiones, & ſecurè dirigatur anima per inceptum iter; id, quod obtinetur per meditationes de Vita Chriſti, & multò adhuc efficaciùs per conſiderationes de illius Paſſione; utpote in qua apertiſſima nobis præbuit exempla illarum præcipuè virtutum, quarum exercitium cæterîs eſt difficilius, utì ſunt illæ, quæ non in agendo, ſed in patiendo conſiſtunt. Ultimò denique adiunguntur & aliæ Meditationes, quæ ad glorioſam Jeſu Chriſti vitam pertinent, quæque animam propinquiùs diſponunt ad amorem Dei, quo in amore ſummum & huius & futuræ vitæ bonum unicè conſiſtit, utì & obſervatio primi præcepti divini.

Diſtributa eſt hæc Solitudo pro diebus decem; & diebus ſingulis aſſignantur meditationes quatuor, non quòd omnes quatuor neceſſariò percurri debeant, ſed ut ex iis eligantur illæ, quæ magìs videbuntur efficaces. Complures in eadem cythara ſunt chordæ, neutiquam

quam tamen ſuperfluæ, quia collocantur in illa, ut cythara tonos omnes habeat, non verò, ut in quolibet opere Muſico pulſentur omnes chordæ. Magni præterea facit S. Ignatius Meditationum repetitiones, ut earum veritates cordi noſtro tantò altiùs imprimantur, veluti ſigillum, quod quantò plùs premitur, tantò exactiùs ſuam figuram ceræ imprimit. Oportebit igitur poſt ſelectas Meditationes illas, quæ Directori magìs idoneæ videbuntur, in eum illas ordinem redigere, ut nonnullæ ad penitiùs eas penetrandas iterum aſſumantur, donec perſona illa, quæ vacat Exercitiis, propoſita veritate penitus imbuatur, ac ſeriò conſtituat, ipſo illam opere exercere. Ita legimus, S. Ignatium Meditationi Fundamenti de fine hominis certum aliquod tempus non aſſignâſſe, ſed in illa tamdiu detinuiſſe homines, quamdiu neceſſarium illi videbatur, ut veritas hæc, utpote reliquarum omnium fundamentum, firmas in ipſis radices ageret.

Deinde cuiuslibet Meditationis argumentum ad unitatem aliquam eſt contra-

tractum, ad eorum iuvandam memoriam, qui librum ad manus non habent. Hæc ipsa verò unitas, ut magìs exprimeretur, ad cuiuslibet puncti principium diversi sunt adhibiti characteres, qui veluti pro brevi Meditationis compendio servient. Similiter, si interdum addita sunt verba aliqua Scripturæ Sacræ, etiam illa diversis characteribus sunt expressa, ut iis (loquitur Autor de opere suo Italico) qui linguam Latinam intelligunt, sint adiumento; illi verò, qui latini sermonis sunt ignari, inde non habeant offendiculum.

Præter Meditationes continent Exercitia nonnullas etiam alias actiones sacras, quæ & ipsæ, fini præfixo subordinatæ, plus hoc tempore virium obtinebunt; súntque actus exterioris pœnitentiæ, confessio vel generalis, vel ordinaria, sacra communio, iîs diebûs instituenda, quibûs Directori videbitur; Missæ Sacrificii auscultatio, vocalis oratio, Visitationes Sacramenti, colloquia spiritualia, preces iaculatoriæ; singulariter verò comprehunduntur in illis hæc quatuor: Oratio mentalis, Examina,

Le-

Lectio ſpiritualis, & ſincera animi ſui manifeſtatio, Directori facienda. Hîc igitur pro quatuor híſce capitibus materia quàm aptiſſima ſuppeditabitur, & brevis aliqua de iisdem inſtructio præmittetur.

§. III.

Inſtructio breviſſima pro Oratione Mentali.

ORatio mentalis non eſt exercitium adeò difficile, ut initiô videtur inexpertis; quia denique aliud non eſt, quàm exercitium internarum animæ potentiarum circa obiecta, per fidem nobis revelata; proinde ſi conſuevimus à primo manè in ſerum usque veſperum potentias iſtas exercere circa obiecta ſenſibilia, cur dein illas, adiuvante Dei gratia, paulò altiùs non poſſimus elevare ad conſideranda nonnihil æterna?

Oratio hæc dividi poteſt in quinque partes; prima eſt Præparatio remota; ſecunda eſt Præparatio proxima; tertia exercitium intellectûs; quarta exercitium vo-

voluntatis; quinta demum eſt reflexio, vel examen aliquod ſupra modum, in oratione obſervatum.

Præparatio remota conſiſtit primùm in providendis ac determinandis punctis, quæ meditanda ſunt. Deinde in prævidendo ac determinando fine, ad quem ſit dirigenda meditatio, & fructu, quem inde conſequi cupimus; qui conſiſtit in emendando aliquo defectu, vel acquirenda virtute aliqua; nam qui meditatur, idem agit, quod is, qui in fonte aliquo ſe contemplatur; non ſolùm enim ſuas in illo maculas videt, ſed etiam abluit. Conſiſtit denique Præparatio hæc remota in eo, quòd indormiatur cogitationi de rebus eiusmodi, ſub veſperum ita diſpoſitis; & eadem hæc cogitatio mox iterum reſumatur, cùm de nocte vel manè evigilamus; præcipuè verò, antequam ad meditationem ipſam accedamus.

Præparatio proxima, quæ appellatur etiam Oratio præparatoria, tria pariter continet. I. Actum vivæ fidei de præſentia Dei, qui & intra & extra nos, & in omni loco per ſuam immenſitatem

eſt.

eſt. II. Actum profundiſſimæ demiſſionis, quo Deum adoramus, & peccatorum, adversùs illum admiſſorum, veniam petimus. III. Denique actum petitionis, quo divinum flagitamus auxilium, ut in præſentia Dei reverenter nos geramus, & deſideratum ex Oratione fructum eliciamus.

Sequitur Exercitium intellectûs, qui primùm conſiderat propoſitum Meditationis punctum, conatúrque id omne expendere, quidquid conferre poteſt ad penitus ſibi perſuadendam veritatem illam; atque ita adimplet illud, quod dixit Dominus *Joan. 5. v. 39. Scrutamini ſcripturas.* cùm & aliàs non inveniantur gemmæ ſupra terram, ſed infra, in eiúsque viſceribus. Secundò. Ex bene perpenſa iſthac veritate eruitur alia quædam veritas practica, quæ ad profectum noſtrum pertinet. Tertiò. Fit aliqua reflexio, quo pacto ſe quis circa illam ad iſtud uſque tempus geſſerit? Exempli causâ, ſi pro Meditationis tuæ materia terribilem illam mortis conditionem aſſumas, qua ſemel duntaxat quivis moritur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr.*

9. v.

9. *v.* 27. conaberis primùm, hanc veritatem bene comprehendere, tum quòd illam Fides per Apoſtolum doceat, tum quòd eandem experientia quotidiana demonſtret. Ex hac ſubinde veritate, omnibus communi, aliam veritatem elicies, tibi uni peculiarem, & inde concludes, quòd, ſi mors tam gravis momenti ſit paſſus, ex quo pendeat integra Boni Malíve æternitas, &, ſi error, hoc in negotio admiſſus, corrigi deinceps nequeat, extremæ ſtultitiæ reum facturus te ſis, niſi omnem operam in id impendas, ut ne extremo hoc paſſu aberres à fine tuo. Denique temetipſum inſpicies, quomodo hac in re usque adhuc te geſſeris; an maximæ huic ſecuritati ac diligentiæ ſtudueris, an verò eam per ſummam imprudentiam neglexeris?

Exercitium intellectûs ſubſequitur voluntas, quæ ex propoſitis conſiderationibus I. Varios affectus elicit. II. Propoſita bona concipit, ac ſtrenuè conſtituit emendare præterita. III. Gratiam à Deo poſtulat, qua propoſita perficere queat; & petitioni obſecrationes

adiicit, quò maiori cum fervore poſtulet. Quemlibet ex his voluntatis actibus, ut meliùs me explicem, declarare oportet.

Quod ad affectus attinet, etſi illos oporteret reſpondere cognitis veritatibus, nihilominus, qui frequentiùs ſolent occurrere, iſti ſunt: Pudor de præterita vita malè traducta; Dolor de illata Deo moleſtia; Gratiarum actio pro benignitate, qua nos hucusque toleravit; Timor illius, quod evenire nobis in futurum poterit, niſi vitam emendemus; & alii ſimiles, qui ſimul omnes duobûs hîſce verſibûs ad memoriam nonnihil iuvandam, commodè concluduntur;

Confundor, doleo, timeo, deſidero, & odi,
Credo, amo, compatior, ſpero, offero, & actito grates.

Circa propoſita illud eſt obſervandum, quòd ſinè his meditatio ſtudium potiùs foret, quàm meditatio; nihìlque id eſſet aliud, quàm in fornace ferrum emollire, poſtmodum verò illud

non

non cudere, non elaborare, ſed intactum relinquere. Obſervandum eſt inſuper circa propoſita, quòd non ſufficiat concipere propoſita quædam generica, exempli causâ: *Volo emendare peccata mea*; ſed oportet dicere: *Volo emendare hoc peccatum in particulari.* Imò neque hoc ſufficere debet; ſed deſcendendum eſt porrò ad ſtatuendum aliquod remedium, huic emendationi neceſſarium, quale fors eſſe poſſet, tempus paulò diutius lectioni ſacræ impendere, diligentior uſus operum pœnalium, vel quid aliud ſimile.

Jam verò in Petitionibus gratiæ, quæ totius orationis ſunt pars primaria, neceſſarium eſt, ut reverentia tantò ampliùs augeatur, ſiquidem in iis cum Deo magìs immediatè verſamur: ſic neceſſarium pariter eſt, ut petitionibus adiungantur obſecrationes; id eſt, ut afferantur tituli, & rationes, quibûs Deum efficaciùs moveamus ad concedenda nobis ea, quæ petimus; vel, ut meliùs dicam, ut excitemus nos ipſos ad gratias maiori cum fiducia poſtulandas. Hi

verò tituli & rationes ad tria potiſſimùm capita referuntur.

Primum caput noſtramet eſt miſeria, noſtra peccata, noſtra debilitas, perverſi noſtri habitus, ſuggeſtiones & rabies diaboli, qui nos ideo perſequitur, quia gerimus imaginem Dei. Háſce noſtras miſerias proponemus, loquendo cum Deo in morem pauperis, qui diviti monſtrat ulcera & vulnera ſua, ut tantò certiùs illum ad miſericordiam & eleemoſynam permoveat; vel etiam aſſumendo perſonam Publicani, aut Leproſi, aut Cœci, aut Alterius eiusmodi in Evangelio memorati.

Alterum caput eſt Chriſtus Jeſus; dum nempe petimus, & oramus, utì facit in precibus Litaneuticis Sancta Mater Eccleſia, per eius incarnationem, per eius Nativitatem &c. dum offerimus eius ieiunia, frigus, paupertatem, famem, dolores, Paſſionis eius ignominias, & omnia tam vitæ, quàm mortis ipſius merita; ſiquidem hæc omnia nobis in Cruce donavit Chriſtus, & hoc ipſum donum in ſancto Miſſæ Sacrificio denuo confirmat. Oportet igitur uti

hoc

hoc immenſo theſauro, ac eundem offerre Sanctiſſimæ Trinitati; iam æterno Patri per amorem ſui Filii ſupplicando, iam ipſi Filio exhibendo grande pretium, quod, ut nos redimeret, impendit, & officium noſtri Redemptoris, noſtri Medici, noſtri Advocati, quod in ſe recepit; iam denique rogando Sanctum Spiritum per amorem illum, quo Jeſum Chriſtum ob ſuas virtutes & noſtram Redemptionem &c. complectitur.

Tertium caput eſt Deus, quà Deus eſt; quando nimirum neceſſarias gratias petimus I. Propter amorem Bonitatis ipſius. II. Propter ſancti nominis ipſius gloriam. III. Propter fidelitatem divinarum ipſius promiſſionum. IV. Propter deſiderium, quo fertur in noſtrum commodum. V. Propter mandatum, quo nos iubet ad ſe recurrere. VI. Propter laudem, illi nunc & in perpetuum reddendam. Miſcemus interim hiſce noſtris petitionibus gratiarum actionem pro iis, quæ nobis aliàs contulit, beneficiis, ut & fiduciam noſtram augeamus, & per gratiarum actionem pro obten-

tis ad nova nos dona recipienda diſponamus.

Ultima pars orationis mentalis eſt Reflexio, quæ eſt inquiſitio quædam in tria potiſſimùm capita, poſt finitam meditationem inſtitui ſolita. Primò quidem in modum, qui tum in præparatione meditationis, tum in ipſa meditatione facienda eſt adhibitus. Secundò in acceptas illuſtrationes & facta propoſita. Tertiò demum in evagationes animi & ariditates, quæ ſub meditatione quis pasſus eſt. Quantum attinet ad animi evagationes, quæ diſcurſibus intellectûs interveniunt, atque ad ariditates, quæ voluntatis affectibus obſiſtunt, inquirere oportet, an data illis fuerit occaſio quædam, ſive per negligentiam in præparatione, ſive per languidam applicationem in ipsámet oratione, ſive etiam ante orationem per nimiam libertatem, qua interdiu converſati ſumus cum aliis, vel de rebus tantummodo vanis collocuti; ſive per affectum aliquem malè ordinatum, ſive per nimiam quamdam in rebus temporalibus ſolicitudinem. Sicuti enim Apes fumô pelluntur ab alveari, ita

ita per huius generis defectus cœlestes illustrationes sanctíque affectus pelluntur è corde. Malô subinde cognitô, in promptu erit remedium, si videlicet tollamus illius causas, & occasiones, & insuper coram Deo magnopere nos humiliemus, fateamúrque, iustè omnino fieri, ut iis cœleste manna non depluat, qui crudîs Ægypti cibîs satiari volunt. Similî modô, si desolatio credi possit ex nostra culpa non provenire, sed immitti à Domino ad nos probandos, nostràmque animam in virtute confirmandam, perbene tamen fiet, si nos humiliemus, ac Divinæ voluntati, nos integre permittamus; cavendum simul est, ne propterea tempus orationis decurtetur, sed prolongetur potiùs, ut tantò generosiùs nos ipsos devincamus. Denique advertenda hîc etiam est bona consuetudo, breviter annotandi fructum orationis; nimirum quædam clariora lumina, vel maioris momenti proposita, ut, cùm res annotatas postmodum relegimus, eas tantò faciliùs executioni mandemus. Ita & Hortulanus tempore siccitatis non sinè commodo suo

utitur aquâ illâ, quam uberioris pluviæ tempore collegit.

§. IV.

Inſtructio de uſu Lectionis Sacræ, & Examinum.

SAcra Lectio eſt Orationis ſoror; unde & hanc oportet locum in ſacris Exercitiis invenire. Suppeditabo legendi argumentum in dies ſingulos, ſed primùm ſub libri finem, ut, ſi Director aliam tibi Lectionem opportuniorem fore iudicaverit, hæc nova lectio tibi nulli ſit impedimento. Circa modum utiliter legendi, meminiſſe te oportet, quòd inchoanda ſit ſacra Lectio ab invocatione S. Spiritûs per Hymnum illum: *Veni Creator Spiritus!* Dein pergendum in illa ſinè feſtinatione & absque curioſitate; & denique ſub illius finem rogandus eſt Dominus, ut vires & gratiam nobis tribuat, opere ipſo perficiendi, quæ facienda cognovimus.

Quod ad Examina attinet, quæ hîc proponam, ſunt perveſtigatio, & quædam

dam velut anatomia ſtatûs interioris animæ, ut evellantur inde habitus mali, & boni inibi plantentur, utì dictum eſt ad Jeremiam: *Ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes. Jer.* 1. *v.* 10. Modus utiliter adhibendi hæc Examina, quæ pariter in ſingulos dies ſunt diſtributa, ſimilis erit illi, quem S. Ignatius Primum orandi Modum nominat. Inchoabitur igitur ab actu fidei, quo Deum præſentem credimus, divinámque Maieſtatem adoramus, ſimúlque poſcimus cœleſte lumen ad cognoſcendos defectus noſtros, & gratiam ad illos emendandos, utì ſuperiùs monuimus de Oratione præparatoria. Poſtmodum vel ſedendo vel inambulando percurrentur ſingula Examinis capita, & inventi defectus vel in memoria, vel in charta notabuntur. Circa hos ipſos defectus verò, poſtquam à Deo petita fuerit illorum venia, conſiderandæ ſunt, ut tantò efficaciùs eorum emendatio ſtatuatur, ſequentes rationes. Prima erit conſiderare, quantum animæ tuæ commodum ſit allatura defectuum iſtorum emendatio. Secunda, quantum tibi ſolatium hæc ipſa emen-

datio ſit præſtitura. Tertia, quantopere ad hanc eandem emendationem Chriſtiani hominis Profeſſio te obliget. Quarta, quàm tibi iucundum foret, hos defectus emendâſſe, ſi iam nunc tibi moriendum eſſet. Quinta, quanto cum rubore coram tribunali divino ſis adſtiturus, ſi in hac vivendi methodo perrexeris. Sexta, quantum meritum, quantúmque præmium te in cœlo maneat, ſi te deviceris. Septima, quàm Deo grata ſit futura hæc tui victoria. Octava, quanta hæc ingrati animi nota ſit futura, ſi poſt accepta tot beneficia, poſt tantum Dei in te amorem emendare te neglexeris. Per huiusmodi rationes excitabis affectus, propoſita concipies, atque ad ea perficienda vires à Deo flagitabis, utì ſupra iam dictum eſt in Exercitio voluntatis.

Eodem modo poterunt hæc Examina ſervire tam pro Confeſſione generali, qualis plerumque in Exercitiis inſtitui ſolet, quàm pro animæ tuæ ſtatu, Patri tuo ſpirituali penitus manifeſtando; dummodo non omnia, quæ iſthîc annotata ſunt, deſcribas, ut ea coram

Sa-

Sacerdote recites; ſed hîs tantùm utaris, velut lumine, quod tibi præbetur; ut hac teipſum induſtria meliùs cognoſcas.

§. V.

Quænam Diſpoſitio præmittenda ſit Exercitiis.

OMne bonum noſtrum, utì notum eſt, ex duobus præcipuè capitibus dependet, gratiæ nimirum auxilio, noſtróque labore, cum divina gratia coniuncto; ac proinde quod neceſſarium eſt ad obtinendum ſive hunc, ſive illam, id neceſſarium pariter eſt ad bonam diſpoſitionem pro aggrediendis Exercitiis. Jam verò, quod ad obtinenda pertinet auxilía gratiæ, maximè intereſt, eadem à Deo petere per humilem, fiduciæ plenam, ac perſeverantem orationem; nam Oratio, tribûs hîs conditionibûs inſtructa, eſt communiſſimum ac efficaciſſimum medium, quod Providentia Divina requirit, ut ſua nobis dona largiatur. *Nullum, credimus,*

niſi

nisi orantem, auxilium promereri, ait S. Augustinus *lib. de Eccl. dogm.* Fons, quantum est in se, semper sese imperti-ri est paratus; verùm nisi hortulanus eum derivet ad plantas, istæ ob humoris defectum exarescent. Ducendus itaque tibi sulcus est; hinc Deo te commendabis, & aliquot antè diebûs incipies, eúmque in finem Sanctum aliquem in Patronum eliges, præcipuè Sanctum Angelum Custodem, S. Josephum, S. Ignatium, primum horum Exercitiorum Magistrum, & præ aliis omnibus Beatissimam Virginem, per cuius manus omnes illæ gratiæ transire solent, quas nobis impertitur Deus. Profectò medium istud satìs inculcari non potest, cùm iuxta communem legem eodem passu, quo nostra incedit oratio, incedat etiam Dei gratia, ad opera nostra iuvanda: *Ascendit Oratio, & descendit Dei miseratio*; ùt inquit S. Augustinus.

At non satis est secundum spirare ventum, si navis complicata teneat vela; proinde præter Dei gratiam noster etiam requiritur labor; quam in rem duo

duo ſunt magni ponderis ſubſidia, amplitudo nimirum cordis, & in præſcriptis operibus diligentia. Utramque hanc diſpoſitionem S. Ignatius iure merito requirit; nam ingentî ad pervincendas omnes difficultates, atque ad id omne, quod Deus à nobis exigit, liberaliter illi dandum animô aggredi oportet Exercitia, tum ut nullum divinis favoribus ponamus obſtaculum, tum etiam, ut dæmones ſuggeſtionibûs ſuîs nos turbare non audeant; utì accidit in regionibus oppidò calidis, in quibus nullæ ſunt tempeſtates, neque audiuntur tonitrua, quia calor non ſinit condenſari vapores, qui hos in aëre tumultus excitare poſſint. Eodem modo neceſſaria quoque eſt diligentia in exequendis præſcriptis operibus; hoc enim eſt, quod ex parte ſua facere creatura poteſt. Quàm parùm facit Agricola, dum plantam terræ infodit! *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat.* 1. *Cor.* 3. *v.* 7. Verùm ſi Agricola modicum in arbore plantanda laborem non adhibeat, neceſſarium cœli influxum, quo creſcat, incaſſum expectabit. Hæc autem diligen-

ligentia præ cæteris omnibus adhiberi debet in ſervanda ſolitudine, & ſilentio; nam aliàs, quantò plus ſpiritûs liquor habet, tantò facilius exſpirat, & in auras abit, niſi os vaſis, in quo ſervandus eſt liquor, diligenter occludatur. Poteſt equidem, non diffiteor, Sapientia Divina nobis etiam loqui in medio platearum; ſed mos illius eſt, ſubtrahere nos de turba, & deinde primùm nobis loqui ad cor: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Oſe.* 2. *v.* 14. Cæterîs igitur negotiîs omnibûs te expedi, & alias cogitationes omnes ante Exercitia ſepone, ut horum tempore te integre impendere poſſis unico, quod habemus, negotio, quod eſt ſalus & perfectio noſtra: *Date operam, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis.* 1. *Theſſal.* 4. *v.* 11. utì hanc in rem nos admonet Apoſtolus. Eadem hæc diligentia adhibenda etiam eſt in obſervandis illis regulis, quas S. Ignatius nobis proponit ſub Additionum ac Annotationum nomine, quæ licèt Inſtructionibus ſuprà poſitis ſecundùm aliqua inſertæ iam fuerint,

rint, nihilominus, ut tantò faciliùs Examen particulare in illas instituere possis, eas simul omnes, quæ ad te pertinent, paulò inferiùs proponam, iísque addam reliquas, quæ adhuc propositæ non sunt.

§. VI.

Distributio Horarum pro tempore Exercitiorum.

OPus ultimum, cui magnam oportet impendi diligentiam, est observatio Distributionis horarum, sive Ordinis diurni, prout à Directore præscriptus fuerit. Maioris claritatis causâ Distributionis huius exemplum adiiciam pro tempore hyemali (*iuxta horologium nempe Italicum, quod aliter horas in hyeme indicat, aliter in Æstate; in hac verò latina versione Distributio accomodatur Horologio Germanico*) Pono autem, quòd nocturnæ quieti non tribuantur nisi horæ duntaxat octo, ac proinde surgatur horâ quintâ. Itaque

Ho-

Horâ V. uſque ad Med. VI. ſurgitur, fitque præparatio ad orationem.

Med. VI. uſque ad Med. VII. fit prima oratio.

Med. VII. uſque ad VII. fit reflexio in præcedentem orationem, & annotantur fructus.

Horâ VII. uſque ad Med. VIII. auditur Miſſæ Sacrificium.

Med. VIII. uſque ad VIII. recitatur Officium Beatiſſimæ Virginis.

Horâ VIII. uſque ad Med. IX. Aſſumitur labor aliquis manuarius, vel inambulatur per cubiculum.

Med. IX. uſque ad Med. X. Fit lectio ſacra, ac dein præparatio ad ſecundam Orationem.

Med. X. uſque ad Med. XI. fit ſecunda Meditatio.

Med. XI. uſque ad XI. Fit Reflexio in Meditationem, annotantur fructus. Dein inſtituitur Examen Conſcientiæ.

Horâ XI. uſque ad Med. I. Prandetur; tum aſſumitur labor aliquis manuarius, & aliquantùm quieſcitur.

Med.

Med. I. uſque ad I. fit Oratio aliqua vocalis.

Horâ I. uſque ad II. Lectio ſacra, & dein præparatio ad tertiam orationem.

Horâ II. uſque ad III. fit Oratio tertia, ſive Conſideratio. Materia verò huius tertiæ Orationis erit Examen, quod in ſingulos dies eſt aſſignatum, utì ſuperiùs §. IV. indicatur, niſi fortè placeat per dimidiam horam repetere meditationem aliquam ex præcedentibus, in qua maior hauſtus eſt fructus, reliquam verò dimidiam horam Examini tribuere, aut etiam pro Examine aliud aliquod tempus ſeligere.

Horâ III. uſque ad Med. IV. Fit labor aliquis manuarius, vel inambulatur per cubiculum.

Med. IV. uſque ad Med. V. Recitatur Matutinum vel Roſarium, aut aliæ preces vocales.

Med. V. Viſitatur SS. Sacramentum; ac dein fit præparatio ad quartam Orationem.

Horâ V. uſque ad VI. fit quarta Oratio.

Horâ VI. uſque ad Med. VII. fit Reflexio in præcedentem Meditationem, & annotantur fructus.

Med. VII. uſque ad VII. Fit Lectio Spiritualis, & viſitatur SS. Sacramentum.

Horâ VII. uſque ad horam IX. fit cœna; recitatur Oratio aliqua vocalis, viſitatur SS. Sacramentum; prævidentur puncta craſtinæ Meditationis; fit Examen Conſcientiæ; & conceditur cubitum.

Reliquæ occupationes, quæ hîc nominatæ non ſunt; verbi causâ: Reddere rationem conſcientiæ Patri Spirituali, excipere puncta Meditationis, & huiusmodi, locum habere poterunt tempore aliarum occupationum, minùs urgentium; quale fors eſſe poterit tempus laboris manuarii, vel Lectionis Sacræ, vel Orationis vocalis arbitrariæ; niſi forſan videatur melius, unâ horâ maturiùs è quiete ſurgere, & ſeptenas ſolùm horas ſomno tribuere. De reliquo etiamſi accuratio in obſervanda temporis diſtributione, ſecundùm propoſitam hanc formulam, vel iuxta aliam magìs propri-

priam à Directore facta, nimis anxia esse non debeat, exactam tamen esse oportet, ut nempe nihil eorum, quæ facere nos possumus, omittamus, atque adeò nos disponamus ad recipiendum id, quod à solo Deo dependet.

§. VII.

Annotationes pro eo tempore, quod viæ purgativæ in Exercitiis tribuitur.

FInis Meditationum ad viam purgativam pertinentium est, mundare cor nostrum auxiliô fidei, per attentam considerationem excitatæ: *Fide purificans corda eorum. Act. 15. v. 9.* Quamvis autem Meditationes omnes hanc mundandi cordis virtutem habeant, eam nihilominus præ aliis singulariter obtinent illæ, quæ de peccatis & de Novissimis agunt, quia voluntatem movent ad eiusmodi actus & affectus, per quos munditia hæc directiùs obtinetur; súntque Contemptus suímet ipsius, Ti-

mor divinæ Juſtitiæ, Spes divinæ Miſericordiæ, perfectus de propriis delictis dolor, ſatisfactio per opera pœnitentiæ, & exterminatio amoris proprii, qui radix eſt reliquorum malorum omnium. Proinde quemadmodum nullum hominum genus eſſe debet, quod non interdum huiusmodi ſe Meditationibus impendat, ita convenit omnino, ut in iis omne ponatur ſtudium ad eliciendum fructum aliquem, cùm illæ ſint fundamentum, cui cæteræ omnes incumbunt. Eum in finem ſervient ſequentes Annotationes, in quarum obſervationem, utì dictum eſt ſuperiùs, Examen particulare inſtituendum tibi eſt.

I. Ubi cubitum conceſſeris, antequam indormias, brevî temporis ſpatiô memoriâ repetes puncta ſequentis Meditationis, ſtatuéſque horâ præfixâ in ſurgendo eſſe diligens.

II. Quamprimum evigilaveris, mox iterum eandem materiam animô repetere ſtudebis, atque ad maiorem in te pudorem excitandum, conſiderabis temetipſum, veluti Reum catenîs oneratum, & convictum, vel raptatum ad

tri-

tribunal, ut ibi in te feratur ſententia; aut veluti leproſum, variîs ulceribûs plenum; atque hîs vel aliis ſimilibûs cogitationibûs, Meditationi proximæ reſpondentibûs, occupatus, tuîs te veſtimentîs indues.

III. Antequam incipias orationem, ſtans ad Oratorium tuum, per breve tempus cogitabis, Deum tibi præſentem adeſſe, & attendere ad id, quod modò facturus es; itaque profundiſſima cum reverentia te inclinabis, eúmque adorabis.

IV. Tempore Meditationis vel ſtabis, vel genua flectes, vel etiam ſedebis, vel in terram proſtratus jacebis, ſi libertatem habeas, & ſinè arbitris fueris; ſitum nempe illum elige, qui ad excitandam devotionem tibi magis conducere videbitur.

V. Finita Oratione, ſedendo vel deambulando facies reflexionem in Orationem modò peractam, eo modo, qui ſuperiùs in §. III. ſub finem eſt indicatus.

VI. Omni diligentia fugies cogitationes, quæ gaudium excitant, etſi

alioquin bonæ ſint; & earum locô illas admittes, quæ ad animi compunctionem faciunt.

VII. Eumdem in finem clariori luce te privabis, &, quamdiu in cubiculo fueris, feneſtras habebis occluſas, ac ſipariô tectas, niſi cùm legendum aut laborandum eſt.

VIII. Singulariter tibi cavebis à riſu, & proferendis vel audiendis iis, quæ riſum excitare poſſent.

IX. Magnô ſtudiô cuſtodies oculos, & quantum opus fuerit, in terram defiges, ut nimia videndi libertate ſpiritum non diſſipes.

X. Cæteris bonis operibus adjunges aliquod exercitium pœnitentiæ, non ſolùm interioris, qua magnopere de peccatis admiſſis doleas, ſed etiam exterioris, quæ eſt fructus pœnitentiæ interioris, te ipſum videlicet ex conſilio Patris tui Spiritualis pænali quodam opere caſtigando.

XI. Dum aliquo Meditationis genere te occupas, curiosè non inveſtigabis id, quod in ſequentibus Meditationibus tibi conſiderandum erit; neque hodie

die ſtudebis indagare, quid in craſtinum tibi ſit faciendum.

XII. Curabis te certum reddere, quòd Meditationi plus temporis potiùs dederis, quàm minus, ac præſcriptum erat, ídque potiſſimùm tempore deſolationis, ubi, cùm tentatus fueris ad omittendam Orationem, multò generoſiùs inimicum ſuperabis, eandem prolongando.

Denique ſicut Exercitia te oportet inchoare magnô animô, ac ſeria voluntate id omne concedendi Deo, quod petere à te voluerit; ita in Meditationibus primariò quærere non debes ſpiritûs delicias & teneritudinis lachrymas, ſed potiùs veram cognitionem ingentis illius mali, quod peccando commiſiſti, & pœnarum, quas ideo commeruiſti, quásque deinceps mereberis, ſi denuo peccaveris; ita enim finem ſuperiùs dictum obtinebis.

Inſuper te iſthîc rurſùm moneo, quòd, ſicuti neceſſarium non eſt, ut in qualibet Meditatione omnia tria puncta percurras, ita neceſſarium quoque non ſit, ut ſingulîs diebûs omnes quatuor

Meditationes expedias; ſed illas duntaxat oporteat ſeligere, quas Director indigentiæ tuæ magìs proficuas fore iudicaverit; poſsíſque ſæpius utì Repetitionibûs, utì ſupra §. II. paulò ante finem animadverti.

Meditatio Præparatoria,

Exercitiis Spiritualibus præmittenda.

I. CONſidera, *quanta Deus pro æterna tua ſalute fecerit.* Imprimìs ideam tuam in mente ſua fecit ab æterno; & iam inde in præmium tibi præparavit ſuum ipſius Regnum, ſi tamen legi ſuæ velles obtemperare; ut adeò non de ſe ipſo priùs, & de Divino ſuo Filio cogitaverit, quàm cogitaverit de te, per gratiam in filium ſuum adoptivum aſſumendo. Cogitationibus ſuo tempore ſucceſſêre ipſa opera, dum in bonum & commodum Electorum Deus omnes Naturæ & Gratiæ effectus ordinavit: *Omnia propter Electos.* Ad ſalutem noſtram ſunt ordinatæ non ſolùm

lùm Creaturæ omnes inferiores, ſed etiam ſupremæ; & illi Paradiſi Principes, tam potentes, tam beati, Cœlis ipſis gubernandis aſſueti, bene impenſam ſuam operam arbitrantur, dum miſerrimum quemque mortalium ad obtinendam ſuam ſalutem adiuvant. Quid ampliùs? Deus ipſe grandi huic negotio ſe totum cum omnibus divinis ſuis Perfectionibus impendit. Pater æternus ad tollenda quælibet obſtacula ſuam adhibet omnipotentiam; Filius eius Divinus ſuam impendit ſapientiam pro diſponendis mediis, ad acquirendam ſalutem nobis neceſſariis; & Spiritus Sanctus infinitam ſuam Bonitatem explicat, ut cœleſtibûs nos donîs impleat; atque ſi illi nos aditum concedamus ad cor, non ſolùm omnes ſuas divitias nobis elargitur, ſed ipſam adeò Perſonam ſuam Divinam nobis impertitur, & ipſémet ſingulari quadam præſentia in nobis eſt, ut nos gubernet, nos defendat, & ad ſalutis æternæ nos terminum dirigat. O! quàm cæcus igitur ſit, oportet, qui non videt, quanti momenti negotium ſit ſervare animam ſuam, dum tanta fecit, &

tanta etiamnum facit Deus, ut illam ſervet! Et te ſubibit tædium, pauculos iſtos dies impendendi, ut in meliorem ſtatum redigas hoc infiniti momenti negotium, tuam, inquam, animæ ſalutem? An recuſabis animum tuum impendere illi negotio, cui Deus ipſe per integram æternitatem impendit Divinas ſuas cogitationes? An tergiverſaberis in adhibenda, ùt oportet, hac ſancta ſolitudine, cùm iſtud facilè futurum ſit unum ex efficaciſſimis mediis, quæ tibi ante omnia ſecula præparavit Deus, ut ſuum te faceret? Qua ratione, putas, ſimili opportunitate uſuram Damnati alicujus animam, ſi hæc illi occurreret? Eia igitur! excita cuncta tua deſideria, ut illa hoc tempore impendas ad obtinendam animæ tuæ ſecuritatem. Admirare ſtultitiam tuam, dum in hanc uſque diem parùm adeò cogitâſti de negotio, quod unum omnem tuam curam ac ſolicitudinem meretur. Exhorreſce periculum, cui ſalutem tuam toties expoſuiſti. Gratias agè Deo, quòd à malitia tua ſe vinci non permiſerit; eúmque roga, ut opus inchoatum perfice-

ficere dignetur, tuámque ſalutem in tuto collocet.

II. Conſidera, *Quanta paſſus ſit Deus, ut ſalvus evaderes.* Satìs apparet, quòd Deus ſalutem noſtram comparare voluerit, quocunque tandem pretio; ſiquidem contentus non fuit impensîs omnibûs ſuîs operibûs, ſed voluit inſuper nobis applicare dolores ſuos. Bene nobis faciendo oſtendit, ſalutem ſe noſtram anteferre bonis ſuis; ſed patiendo demonſtravit, quòd hanc ipſam ſalutem noſtram quodammodo præferat ſibímet ipſi, & amori illi, qui eum impellere potuit ad evitandum omne malum, ad Divinam ſuam Perſonam attinens. Propterea cùm ipſe pati non poſſet in Divinitate ſua, admirabile invenit artificium, coniungendi ſibi humanitatem noſtram, ut in hac tolerare poſſet tam immanem dolorum copiam, ut factus ſit Vir dolorum, & hominum omnium in perferendis doloribus exercitatiſſimus: *Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Iſa.* 53. Paſſus eſt in fortunæ bonis, dum in extrema pauperie eſt natus, in eadem vixit,

&

& mortuus eſt. Paſſus eſt in honore, tolerando graviſſimas calumnias, detractiones & impoſturas, ac vivendo vitam abiectam, & contemptu plenam, eámque finiendo morte ignominioſiſſima, quæ id temporis inferri in hoc mundo poterat. Paſſus eſt in corpore, ſuſtinendo dolores incomprehenſibiles, tum ob teneritudinem Divinorum ipſius membrorum, tum ob immanitatem tormentorum, tum ob ipſorum carnificum crudelitatem. Paſſus eſt in anima, ob tantum tædium, tantam triſtitiam, tantúmque agonem, ut vel hic ſolus ſufficeret ad inferendam illi mortem, & exprimendam illi è venis omnibus tantam ſanguinis copiam, ut ipſa tellus inde fuerit humectata; verbô, factus eſt quaſi mare dolorum, ut flammas illas extingueret, quæ te ab ingreſſu cœlorum impediebant. Si Deus ſalutem tuam comparâſſet vitâ commodâ, & deliciîs plenâ, ſufficere id haud dubiè tibi deberet ad cognoſcendum, quanti momenti ſit ingens hoc animæ tuæ negotium; iudica iam ipſe, quàm futurus ſis inexcuſabilis, ſi agnoſcere id nolis, poſtquam

quam ille hanc tuam ſalutem comparavit vita & morte, referta contemptibûs, ignominiîs, & doloribûs, à nemine unquam alio toleratîs. An credibile tibi videtur, quòd Æterna Sapientia tam ſingularia, & inuſitata media pro nobis redimendis elegiſſet, ſi noſtra ſalus exigui res momenti foret? Quid amplius facere potuiſſet, ſi, ut ita loquar, redimere debuiſſet Divinitatem ſuam, quàm ut pro illa daret vitam, poſſibilium omnium nobiliſſimam? Quid aliud igitur foret monſtroſum magìs, quàm videre, quòd recuſes pauculîs iſtîs diebûs omnem tuam curam & ſolicitudinem impendere, ut ſtatuas id, cuius gratiâ Chriſtus Jeſus omnem ſuum ſanguinem impendit? Si modò non exhorreſcis ob hanc negligentiam, exhorreſces olim coram Divino Tribunali, quando videbis omnia, prout reipſa ſunt. Erubeſce de ſtolida mollitie tua; ſtatue firmiter, hoc ſanctæ ſolitudinis tuæ tempore omnes repugnantis naturæ motus ſuperare; & roga Deum, ut, ſi adhuc ſalutis tuæ negotium, veluti rem nullius momenti, negligenter egiſti, hiſce

tan-

tandem diebûs gerere illud incipias, velut negotiorum omnium maximum, utpote cuius iactura penitus eſt irreparabilis, ſucceſſus verò eſt oppidò incertus.

III. Conſidera, *quidnam tu feceris, & paſſus fueris pro ſalute tua.* Nôſti iam, quòd cœlum lucrari debeas obſervatione Mandatorum Dei: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth.* 19. *v.* 17. quòd inſuper beatum illud Regnum ſinè illata ſibi violentia obtinеri non poſſit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth.* 11. *v.* 12. Quem igitur laborem, quam violentiam in hanc usque diem adhibuiſti, ut huic ſententiæ ſatisfaceres? quid tandem paſſus es, ut ingens hoc regnum occupares? quibûs teipſum privâſti commodîs? quas eapropter ſuperâſti difficultates? Forſitan ſinè ulla comparatione plura & maiora tolerâſti, & feciſti, ut animam tuam perderes, quàm ut illam ſervares; forſitan es ex eorum numero, qui multùm laborant, ut malè agant: *Ut iniquè agerent, laboraverunt. Jerem.* 9. *v.* 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis. Sap.* 5. *v.* 7.

Di-

Dimidiô laboris illius, quem effrænes animi tui affectiones tibi imposuerunt, potuisses animam tuam servare & in tuto collocare. Tu verò, qui, ut illam perderes, tanta fecisti ac pertulisti, viribûs omnino concides, si aliquid illâ dignum moliaris? Expergiscere igitur è letargo tam pernicioso, & vitam inchoa Fide tua dignam, & cuncta cætera tua negotia iocum reputa, si cum isthoc comparentur, quod solum maximi interest: *Unum est necessarium. Luc.* 10. *v.* 42. Ecce! iam tempus illuxit magnam hanc veritatem in opus ipsum reducendi. Quis novit, annon hæc solitudo sit medium illud, quod ab æterno elegit Dominus ad obtinendam per illud salutem tuam? Quis novit, annon illi affixa sit Prædestinatio tua? Cogita, solam animæ iacturam esse irreparabilem; & hæc si aliquando sit perdita, non satìs longam fore æternitatem integram pro deplorando hoc errore, & agenda de illo pœnitentia. Et erit adhuc possibile, ut isthæc cogitatio, quæ Deserta & eremos Anachoretîs olim implevit, hodie verò Asceteria sacra Religio-

giosis implere pergit, penes te valere tantum nequeat, ut hebdomadam unicam volentî libentíque animô considerandæ huic veritati impendas? Ingens igitur in te excita desiderium, fructum inde reportandi; statue, cum omni te diligentia Meditationibus, Lectioni sacræ, & Examinibus, quæ tibi proponentur, applicare; cogitationes omnes, ad hócce negotium non pertinentes, ex animo tuo proscribe; solitudinem tuam cum omni rigore custodi; tentationes tuas omnes Patri tuo spirituali sincerè explica; Sanctos aliquos Patronos elige, quibus te sæpius commendabis; ac denique, si forsan per infortunium graviorî peccatô contaminatus esses, cura, ut per accuratam homologesin ab illo te liberes, atque ita omnium maximum Gratiarum Divinarum obstaculum removeas. Nulla huiusmodi diligentia vel est nimia vel superflua, ut ne pretiosi dies isti fructu vacui & inanes abeant; nam, licèt Gratia à bonorum omnium Largitore Deo venire debeat, ille nihilominus, postquam semel suâ nos gratiâ prævenit, dona

dona ſua pro noſtræ ad ea recipienda diſpoſitionis menſura conferre ſolet: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus Exercituum. Zach. 1. v. 3.*

Sacrorum Exercitiorum
Dies Prima.
Meditatio Prima.
De fine hominis.

CReatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum Deum laudet, ac revereatur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat. S. Ignat. in Medit. fundam.

I. Conſidera in allatis modò S. Ignatii verbis altitudinem ultimi finis tui, illius conſequendi grave momentum, & ingentem in eo perdendo miſeriam. Et primò quidem conſidera *Altitudinem* finis tui. Non intrâſti hunc mundum caſu fortuito, ſed in eo es collocatus ab infinitæ ſapientiæ Domino, qui te ex abyſſo nihili, in quo per integram

 tem-

temporis æternitatem jacuiſti, in hanc lucem protrahere non potuit, niſi ad finem aliquem hac ipſa ſua ſapientia dignum. Hic autem finis non alius eſt, quàm ut illi in præſenti hac vita ſervias, illóque in futura per ævum omne fruaris. An percipere poteris aliquid ſublimius? aliquid magìs novum? ſublimius certè nihil, cùm nec in cœlis Angeli, nec Sancti in hoc orbe, neque Sanctiſſima Virgo Dei Mater, neque ſacratiſſima ipſius Jeſu Chriſti humanitas finem nobiliorem habeant, aut habere poſſint, quàm ut in hac vita Creatoris ſui gloriæ ſerviant, in æternitate verò gloriam ab illo referant immortalem. Et nihilominus hæc tibi veritas videtur eſſe noviſſima; dum opera tua, quæ ad finem adeò ſublimem dirigere debebas, ad lutum usque depreſſiſti; *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſalm. 48. v. 13.* Dicere vult Propheta, quòd homo, cùm eſſet in ſublimi admodum loco conſtitutus, & quàm fieri poterat, ſummè exaltatus, id tamen non agnoverit, ſed ratione

ſua

ſua abuſus, ſimilem ſe jumentis præſtiterit, & illorum in morem fuerit operatus. Tu porrò es homo iſte, neque alius eſt tui locô, qui ab infinita potentia creatus, ab infinita ſapientia ad negotiorum omnium nobiliſſimum deſtinatus, incomparabilem finis iſtius altitudinem non agnoviſti, vel ſaltem rem tuam ſic egiſti, veluti illam non agnoſceres; atque adeò, cùm vitam Angelis ſimilem vivere debuiſſes, vixiſti vitam, brutis animalibus ſimilem, nec illis quibuscunque, ſed maximè ſtupidis, & quæ omnium minimè futura proſpiciunt, cogitando ſolummodo de præſentibus, & temporalia præhabendo cœleſtibus ac æternis. Retrorſum te aliquantùm converte, & intuere vitam tuam præteritam; quandónam in illa pro ſcopo tibi propoſuiſti ſervire Deo tuo, téque idoneum reddere ad fruendum illo per totam æternitatem? Numquid voluiſti potiùs, ut Deus hic omnipotens quodammodo ſerviret tibi ad perverſas cupiditates tuas, cùm viveres pro tuo libitu, veluti ſi creàtus eſſes à te ipſo, & in hunc mundum in-

greſſus fuiſſes eam duntaxat ob cauſam, ut gratificareris tuis ſenſibus, & corpori tuo ſatisfaceres. Nemo unus profectò, qui vitæ ac morum tuorum tenorem conſiderat, ſibi unquam perſuadere poterit, te ad reddendam Creatori tuo gloriam fuiſſe conditum; cùm de omnibus negotiis aliis frequentiùs cogites, quàm de iſto, & contra hunc ipſum finem agas quotidie, ac videaris, cœlum ac Deum ipſum habere pro nihilo. An verò exiſtimas, hominem illum, qui ex omnibus aliis eligeretur ad ſerviendum magno alicui Regi, eo fine, ut ſuo tempore fieret illius in Regno ſocius, huic ſuæ ſorti renunciaturum, ob viles aliquas, & nullius momenti reculas, quales illæ ſunt, quarum causâ tu ipſe Deo Majeſtatis infinitæ ſervire negligis, & regni æterni ſocietate excidendi periculo te exponis? Et quamdiu tandem hæc ingens tua ſtoliditas, hæc enormis intemperantia? Si modò non erubeſcis, magìs certè quàm unquam aliàs jumentis ac brutis te ſimilem probas, utpote quæ verecundiæ capacia non ſunt; atque ſi non-

nondum emendare vitam tuam conſtituis, mereris ſanè, ut numquam ampliùs ad cor loquatur tibi Dominus, ſed mori te ſinat in ſtercore tuo. Precare igitur à Deo veniam ob perverſum tuum cum Illo agendi modum; demitte te in profundum uſque nihilum tuum; agnoſce ſupremum illud dominium, quod in te ſemper obtinet Deus, vî cuius nec oculum juſtè convertere, nec paſſum unum progredi potes contra ipſius ſanctiſſimam voluntatem. Fatere, neutiquam te mereri, ut Creaturæ tibi deſerviant, cùm tu ipſe & illarum & tuo Domino non ſervîeris, ſed in hanc uſque diem non ſolùm ſervus fueris otioſus & inutilis, ſed & rebellis Domino & Creatori tuo. Gratias illi age, quòd te tamdiu toleraverit, etiamſi Divinæ ipſius Gloriæ tantopere obſtiteris, ac ſuppliciter illum roga, ut, cùm omne malum tuum inde provenerit, quòd finem tuum ignoraveris, gratiam tibi tribuat, qua illum rite & nunc & in futurum valeas comprehendere: *Notum fac mihi, Domine, finem meum. Pſalm. 38. v. 5.*

II. Conſidera finis tui conſequendi *grave momentum.* Si ideam illam ac propoſitum aſſequaris, quod in te creando ſibi præfixit Deus, illíque fideliter ſervias, quis erit te felicior, cùm in hac vita ſis perpetua fruiturus animi tranquillitate, in altera verò ſalutem ſis adepturus æternam? Atque adeò tam magna erit felicitas tua, ut, ſi Deus millies mille mundos, unum ſemper altero pulchriorem produxiſſet, illósque ſimul omnes tibi dono dediſſet, ingens tamen adeò ac regium verè donum nihil conſideratione dignum adjiceret felicitati ac beatitudini tuæ. *Juſtus vitâ vivet, ait Dominus Deus. Ezech.* 18. *v.* 9. Quaſi diceret: Juſtus vitâ divinâ vivet; vivet eodem ipſo bono, quo ipſius adeò Deus vivit; ita quidem, ut illud ipſum obiectum infinitum, quod per æternitatem univerſam increatum Supremi Entis ac Numinis intellectum admiratione ſuſpenſum tenuit, tuum quoque intellectum per univerſam æternitatem in admirationem pariter ſit rapturum; & illud ipſum gaudium, quod per æternitatem omnem

cor ſummi Boni pleniſſimè ſatiavit, tuum pariter cor per omnem æternitatem ſit pleniſſimè ſatiaturum. Tu corpus tuum tantâ benevolentiâ proſequi ſoles, & illius gratiâ omnia illa bona plurimùm amare, quæ ſenſibûs tuîs percipis; iam imaginare tibi aliquantùm, quòd per annos mille protrahenda tibi ſit vita in perpetua corporis ſanitate, quin experiri debeas ullum diverſarum anni partium intemperiem, multò minùs ullius morbi incommoda; quòd unà tam excellenti perfectáque corporis tui pulchritudine ſis radiaturus, ut in tui amorem ſis rapturus illos omnes, quicumque te conſpexerint; quòd tanta ſis potiturus agilitate, ut fulmine velociùs in ictu oculi ab uno cœlorum polo ad alterum absque ulla fatigatione transferre te queas; ídque inter dies ſemper ſerenos, cum animo numquam non tranquillo, cum pace & lætitia cordis numquam perturbabili, ſemper in divitiarum abundantia, ſemper excellens ſapientiâ, ſemper in honore & exiſtimatione ſumma; annon ad obtinendam huiusmodi vitam, millenîs annîs dura-

turam, laborem aliquem in te ſuſciperes etiam difficilem, aut negotium aliquod momenti gravioris? Et tamen æquali, imò & minori labore, obſervando duntaxat Legem Domini, vivendo vitam Chriſtiani, quin & hominis tantùm, obtinere potes vitam multò feliciorem, nec paucîs ſolummodo ſeculîs duraturam, ſed per omnem adeò æternitatem; nec tamen hæc tibi arridet conditio? Deus ipſe vult eſſe merces tua, ſi tibi libeat parum aliquid tolerare; nec id tibi ſufficit? Nullum illi exiguum adeò præſtabis obſequium, ſi tamen ſis illius amicus, quod Ille remunerari tibi non velit, non ſolùm ſuîs rebûs ac divitiîs, ſed & ſemetipſo toto: *Ego merces tua magna nimis. Gen.* 15. *v.* 1. Et nihilominus nondum ſeriò ſtatuis, tantæ felicitatis conſequendæ ſecuram inire viam? Damnati ſinguli maximum ſibi favorem oblatum crederent, ſi viâ uncîs & novaculîs acutîs inſtratâ ad cœlum immigrare, in eóque non niſi momentum unicum perſiſtere poſſent: & tu, qui ibidem degere potes æternùm, illuc immigrare non voles,

non

non dico, per novaculas & vulnera, ſed ne quidem per nullius fere momenti laborem? Quî fieri poteſt, obſecro, ut eò devenire quis poſſit, quin ſe non fide ſolùm deſtitutum, ſed & mente omnino captum oſtendat? Pro comparando huius mundi regno, quod denique non eſt niſi ſplendida ſervitus, tot impenduntur cogitationes, tot inſtituuntur conſilia, tot cuduntur occultæ machinationes, tot exhauriuntur theſauri, perduntur tot hominum vitæ, nulli labori parcitur, nullis ſumptibus: & tamen quantò æquius foret, ut nulli tu labori, nullis impenſis parceres, ad obtinendum imperium, quod in cœlo numquam habiturum eſt finem? Et quid tandem exigit Deus, ut tibi hoc donet imperium? an aliud exigit, quàm ut vitam agas rationi conſentaneam? quàm ut ipſi obedias in rebus, divinâ ipſius gratiâ juvante, tam facilibus? ut eum ipſi honorem habeas, quem tu ipſe haberi tibi vis à ſubditorum tuorum quolibet? Atque ut modicum hoc illi præſtare non debeas, juſtum & æquum exiſtimas, abdicare te in perpetuum

ſempiterna & immenſa beatitudine? Rubore ſuffundere, quòd illâ te graviter peccandô ſæpenumero abdicaveris; tuæ te ſtoliditatis accuſa in omnium Sanctorum præſentia, qui, ut ſalvi evaderent, tanta egerunt, & tanta pertulerunt; roga Deum humillimè pro obtinenda præteritorum venia, & ubere auxilio ad emendandam in poſterum vitam.

III. Conſidera in eodem hoc fine perdendo *Miſeriam*. Quis te infelicior, ſi Deo non ſervias, & animæ tuæ ſalutem non obtineas? In hac vita circumferes in corde tuo integrum anguſtiarum ac remorſuum mare; in altera verò incides & mergéris in mare flammarum æternarum. Infelicem in hoc caſu Patrem, qui te genuit, quia te protulit Reprobum, ac dæmonum in abyſſo ſocium! Miſeram Matrem, quæ in hanc te lucem edidit, quia in lucem edidit abortum Avernalem! Maledictam diem illam, quæ in hunc te mundum admiſit, quia inimicum admiſit æternum Dei! O quantò tibi fuiſſet meliùs, ſi in tuo ſemper nihilo remanſiſſes potiùs, quàm quòd naſcendo in-

inter homines, tuâmet culpâ inferni ſis factus titio, cùm tamen adeò facilè pulcherrimi inſtar ſideris lucere potuiſſes in cœlo! Quid tibi proderit, ad dies aliquot pauculos totîs viribûs indignam aliquam à Creaturis captâſſe voluptatulam? Quid tibi proderit, injuſtè corraſiſſe modicum aliquid pecuniæ? Quid proderit, in aliquo terræ angulo, qualis eſt patria tua, exiſtimationis ac nominis aliquid obtinuiſſe? *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. *v.* 26. Si tuum aliquando finem perdideris, bonum omne per totam æternitatem perdidiſti, & inveniſti malum omne, per totam æternitatem tolerandum. Quis hominum foret adeò ſtolidus, ut acceptaret omnes totius mundi voluptates, ſi poſtmodum pro ſupplicio per diem integrum perſiſtere deberet in accenſo rogo? Et tu prudentem te arbitraris, dum ob nihilum te ipſum conſtituis reum pœnæ ſinè comparatione maioris, ſive dolores, ſive diuturnitatem ſpectes. Expergiſcere tandem igitur, & animad-

ver-

verte, te duas inter æternitates conſtitutum, quas inter nullum tibi ſupereſt medium: aut ſemper vivendum in cœlo inter delicias omnes, aut ſemper ardendum in inferno inter omnes deſperationes! An ergo exiſtimas, tuam hanc neceſſitatem, in qua te conſtitutum vides, eſſe levis momenti negotium? Et nihilominus inter cætera cuncta negotia hoc illud eſt, quod plùs omnibûs reliquîs neglexiſti, licèt rè ipſa unicum ſit, ac ſummum, ſalus nempe animæ tuæ. Quis novit, quoties te periculo expoſueris, perdendi in perpetuum Æternitatem beatam, quæ te expectat, téque præcipitandi in illam Æternitatem infelicem, quam tibi minatnr Deus? Quid merebitur tandem aliud, qui nihili æſtimat, ſive perdat, ſive lucretur Deum, quàm ut & illum nihili faciat Deus? Et tamen Deus optimus etiamnum tibi tempus indulget corrigendi errorem tuum, & in tuto collocandi ſalutem tuam. Itaque ex animo deteſtare præteritas vitæ tuæ iniquitates, & præcipuè tempus adeò pretioſum, tam leviter Vanitatibus impenſum. Gratias age

age Deo, quòd ad pœnitentiam te expectaverit, & propone, quocunque tandem impendio ſatagere de conſequendo ultimo fine tuo, ingentis inſtar ſaxi, quod id omne conterit, quidquid illi ſit obvium, & ab obtinendo centro vult illud impedire. Simul precare Deum, ut, quoniam tibi ſignificavit, eum, qui animæ ſalutem quærit, corporis caſtigationi ſe debere impendere, gratiam tibi tribuat, ut corpus caſtigando, animæ tuæ ſalutem promovere valeas.

Meditatio Secunda
Pro Die Prima.
De Mediis conſequendi finem ultimum.

REliqua verò, ſupra terram ſita, creata ſunt hominis ipſius cauſa, ut eum ad finem creationis ſuæ proſequendum juvent, unde ſequitur, utendum illis, vel abſtinendum, quatenus ad

ad profecutionem finis vel conferunt, vel obſunt. S. Ignat. in Medit. fundam.

I. Conſidera ingentem *Mediorum* copiam, de quibus tibi proſpexit Deus pro obtinendo ultimo fine tuo, ſimúlque demonſtravit, quantum deſideret, æternùm te beatum reddere. Media iſthæc ſunt primò Bona fortunæ, & externa, divitiæ, honores, felicitas temporaria; ſecundò Bona naturæ, ingenium, prudentia, ſenſuum tuorum ac membrorum integritas; tertiò Bona ſupernaturalia, illuſtrationes animi, boni motus cordis, gratia ſanctificans, dona Sancti Spiritûs, virtutes, Sacramenta, Conciones, Libri ſacri, exempla Sanctorum, inſtructiones Confeſſariorum, pax & remorſus conſcientiæ, Angelorum cuſtodia, ac Deus ipſe, qui ad obtinendum finem tuum ultimum per Creaturas ſuas te adiuviſſe neutiquam contentus, in propria ſua Perſona ſalutem tuam promoturus, è cœlo deſcendit, & tui causâ hominem induit, & ex ultimo fine, qui ipſémet eſt, voluit quodammodo fieri medium,

non

non solùm verbis & exemplo suo, sed & sanguine & vitâ suâ, nullisque pepercit sumptibus, ut liberam tibi viam ad cœlum pergenti panderet. O quantum igitur tuâ debebit interesse, servire Deo in isthoc mundo, & eodem æternùm frui in altero, dum in hunc ipsum finem non modò Creaturas suas omnes impendit, etiam illas, quæ in cœlo sunt, nobilissimas, sed & suámmet Divinissimam Personam, itinera sua, sudores suos, opprobria sua, suam paupertatem, suam mortem, & immensum Meritorum suorum thesaurum, tibi hæreditatis nomine relictum: *Omnia vestra sunt*, inquit S. Paulus; *vos autem Christi.* 1. *Cor.* 3. *v.* 23. & 24. Si proinde per summam tuam infelicitatem perdas animam tuam, cuinam imputari debebit culpa? Excusationem profectò nullam invenies, cùm ostensurus sit tibi Dominus, quòd pro te fecerit omnia: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Isa.* 5. *v.* 4. Admirare igitur ingentem Domini erga te bonitatem; gratias illi age ex intimo corde; erubesce, quòd multò minùs egeris pro con-

confequendo Deo tuo, quàm pro confequendis creatis ac nullius momenti bonis. Humillimè pete veniam irrogatæ Ipfi injuriæ, dum nullam Ipfius habuifti curam; & unà hanc illum roga gratiam, ut hæ veritates indubitatæ ex animo tibi numquam ampliùs elabantur, fed in omnibus tuis orationibus te dirigant.

II. Confidera *Abufum*, quo in hanc ufque diem hæc media perdidifti. Quomodo enim hactenus ufus es donîs Gratiæ? Quis novit, annon caufam defumpferis liberiùs offendendi Deum ex ipfius luminibus, quibûs tibi fides aperuit Bonitatem ac patientiam Dei in toleranda tua malitia? annon fpes veniæ te permoverit ad cumulandas injurias, eásque tu parùm curaveris ob promptum adeò remedium, quod tibi præfto erat in pœnitentiæ Sacramento? Id certè verum eft, quòd incaffum receperis tot auxilia gratiæ tum externa, quibus multi alii peccatores fumma cum diligentia refpondiffent, fi ipfis illa fuiffent fuppeditata: *Si in Tyro & Sidone factæ effent virtutes, quæ factæ funt in*

in vobis, olim in cilicio & in cinere pœnitentiam egissent. Matth. 11. *v.* 12. Multò dein magìs abusus fuisti bonîs naturæ, ac fortunæ, dum creaturas, quæ servire tibi debuerant pro scala, qua in altum ascenderes ad Deum, convertisti in murum intergerinum, Deum inter ac te; quin etiam in arma hostilia, quibûs Deum ipsum impeteres; dum aliud non cogitâsti, quàm ut tuis satisfaceres sensibus, cum injuria licèt ac contemptu summi Benefactoris tui. Hóccine est servire Deo? Hoc potiùs est desiderare, ut Ille serviat tibi, & quidem contra seipsum, ut suppeditet tibi vires & auxilia, quibûs abuti possis pro tuo libitu: *Servire me fecisti in peccatis tuis. Isa.* 43. *v.* 24. Et quamdiu tandem durabit hoc prælium te inter ac Deum? quamdiu Deus perget suppeditare tibi media salutis tuæ; tu verò perges eadem adhibere contra Illius honorem, & contra tuam ipsius salutem? quamdiu perget Deus tibi tanta præstare bona, tu verò perges Illi reddere totidem mala? O te miserum, cùm propediem debebis horum omnium

reddere rationem, & quando Deus illa, quæ in tuum tibi commodum præſtitit, cum iis comparabit, quæ in ſuum tu dedecus & ignominiam commiſiſti! Jam nunc rationes tuas cum tuo Servatore compone, antequam illas ineat tuus Judex. Erubeſce de ſummè ingrato adverſùs Illum animo tuo; obſtupeſce prodigentiam tuam in projiciendis tantis theſauris, plena manu in te congeſtis, ut dives æternùm fieres! Deteſtare miſeram tuam vitam, quam in hanc usque diem tam inconſultè duxiſti, veluti Deus non eſſet, cui ſervire, quo frui æternùm poſſes; ſed tu ſolus Mundi Dominus fores. Propone, nil aliud deinceps quærere, quàm Deo ſoli placere, & certam reddere ſalutem tuam; ac denique gratiam à Deo pete, ut ingens hoc conſequendæ ſalutis tuæ negotium animô tam ſeriô, tantáque cum efficacia geras, quantam illud ſuo jure deſiderat.

III. Conſidera *Emendationem*, quam iſte mediorum abuſus à te requirit. Hæc emendatio in eo verſatur, ut media pro mediis, non verò pro tuo fine habeas, id eſt, non aliter iîs afficiaris, niſi quan-

tum

tum tibi prosunt ad obtinendum finem desideratum. Propterea creaturas omnes in tres classes divide; earum aliquæ semper ad finem ultimum prosunt; tales sunt omnia gratiæ dona, Sacramenta, opera pietatis; has magnô numerô debes adhibere, iîsque summa cum diligentia uti, cùm isthæc media sint adeò pretiosa, ut anima damnata unicam iîs utendi occasionem, toties à te neglectam, perlibenter sibi compararet, etiamsi ipsa sola tolerare deberet per millies mille Secula totius inferni mala & tormenta simul omnia. Creaturarum aliæ sunt, quæ obtinendo ultimo fini semper obsunt, quia semper coniunctæ sunt peccato, utpote prohibitæ per legem Dei; istas à te rescindere debes penitus, ab iísque toto animo abhorrere, utpote divinæ Gloriæ tuæque felicitatis inimicis. Sunt demum & aliæ, quæ nonnunquam ad assequendum finem tuum te juvant, interdum verò etiam obsunt; circa has autem emendatio tua ita se geret, ut cor tuum in perfecto quodam æquilibrio constituas, adeò, ut non ad unam magìs quàm

ad alteram ſe inclinet, niſi quantum creatura illa plùs minúsve te juvat ad obtinendum Deum & ultimum finem tuum. Itaque niſi velis admittere imprudentiam omnium maximam, ſanitatem infirmitati, paupertatem divitiis, honorem infamiæ, vitam morti præferre non debes, niſi quantum illud præ altero te ad felicem æternitatem promovet. Quæ conſecutio certior? Viator non viam quærit amœniorem, ſed breviorem, quæ rectà illum ducit ad patriam; Nauta non deſiderat ventos placidos, ſed illos, qui navem citiſſimè ac ſecuriſſimè in portum invehunt; Ægrotus non petit medicinam dulciorem, ſed tollendæ ſuæ infirmitati magìs idoneam. An ergo in ſolo ſalutis negotio inverſus ordo tenendus eſt? An inſtar alicujus boni amanda eſt illa ſanitas, illa commoditas, illa dignitas, illa voluptas, quæ inimica eſt animæ, illíque noxia? An igitur & tu tam cœcus eris in poſterum, ut fallacem adeò bilancem adhibeas, & bonum tibi iudices id, quod te retardat ac impedit à conſequendo ſummo Bono?

no? Hoc nimirum eſt mutare rerum voces ac nomina, & malum nominare bonum, & bonum malum: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum! Iſa. 4. v. 20.* Expergiſcere igitur tandem aliquando ex lethali hoc ſomno, & ſtatue tendere ad finem tuum ultimum totîs animi tui viribûs, omnia ſuperare obſtacula, nec umquam ſubſiſtere, dum illum aſſequaris; non aliter ac ſolet fluvius, qui neque riparum amœnitate allicitur, nec obiectîs aggeribûs retardari ſe ſinit, nec requieſcit aliquando, dum ſuo ſe mari coniungat. Quid proin agunt in corde tuo affectus illi malè ordinati erga creaturas? Reſcinde illos omnes è corde tuo, etiamſi tibi adhuc tam cari fuerint ac oculi tui pupillæ: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. 5. v. 29.* Quid agunt tot oblectamenta, tot negotia, quæ tibi ſurripiunt tempus, cogitandi de negotio ſalutis tuæ? Abſcinde omnia, quæcumque ſunt nimia, etiamſi tam cara tibi fuerint, ac dextera tua: *Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam,*

& projice abs te. ibid. v. 30. Quid agunt tot in animo tuo ſuſcitatæ ex aliorum factis, ad te non pertinentibus, turbæ? Reſcinde iſthæc omnia, & ejice ex corde tuo: *Si autem pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. Matth.* 18. *v.* 8. An agi putas de re exigua, dum agitur de perdenda, vel conſequenda in omnem æternitatem immenſa felicitate, & poſſeſſione infiniti Dei? An poteſt aliquando cedere in noſtrum commodum, ſi cœlo renuntiemus pro obtinenda terra? Creatori pro creaturis? Bonis ſempiternis pro momentaneis & imaginariis voluptatibus? Deteſtare igitur obliquas illas vias, quas adhuc triviſti; ſtatue, omnia tua deſideria impendere ſpebus æternæ felicitatis, quæ te exſpectat; roga Dominum, ut, quemadmodum Ipſe te unicè creavit propter ſe, ita tibi largiatur gratiam, ut & tu propter Ipſum unicè vivas, & illud ſit unicum negotium tuum, quod unicum eſt bonum tuum.

Exa-

Examen

Pro Prima Die.

De Desiderio servandi animam.

I. Examina desiderium, quod habes, servandi animam tuam. In magnis ac difficilibus negotiis eodem passu ambulant ac procedunt desiderium, & eventus suscepti negotii ; nam alioqui non superantur obstacula, quæ interveniunt.

II. Examina qualitates istius Desiderii. 1. Debet illud esse *efficax*, quod te ad bene agendum permoveat ; quia voluntas dimidiata & imperfecta, quæ sine effectu manet, invenitur in peccatoribus omnibus, eâque, ùt dici solet, plenus est infernus. 2. Debet esse *summum*; quod enim foret hoc probrum, si negotium, possibilium negotiorum omnium gravissimum, languidè solùm desideraretur? si, dum bona præsentia, quæ tam citò transeunt, tanto cum ardo-

ardore desiderantur, Bona æternitatis desideriô non nisi languidô digna crederentur? 3. Debet hoc Desiderium esse *unicum*; volo dicere, non desideranda est præterea ulla res alia, quæ saluti tuæ sit contraria, & reliqua omnia non aliter sunt desideranda, quàm si saluti tuæ sint proficua.

III. Examina *Originem* languoris ac tepiditatis circa tuum hoc desiderium; quæ inde scaturit, quòd salutis tuæ negotium credas esse negotium, quod facilè sit successurum. At hæc securitas, cùm sit negligentiæ ac socordiæ mater, auctorem non habet nisi dæmonem. Sed profectò verba & vita Sanctorum, ac multò magìs Doctrina & Vita Christi cogunt nos judicare & credere, difficilem esse salutem nostram, ac proinde ad eam obtinendam debere nos impendere magnam diligentiam, assiduè de illa cogitare, & reliqua omnia nihili facere. Monstrosa sanè res est, videre, quòd Christianorum plerique tam parùm sibi timeant, cùm tamen Servator noster apertè denuntiet, vix hominem justum fore servandum: *Justus*

vix

vix ſalvabitur. 1. *Pet.* 4. *v.* 18. exiguum eſſe numerum Electorum: *Pauci electi. Matth.* 20. *v.* 16. arctam eſſe ad cœlum viam, & anguſtam cœli portam; paucos eſſe, qui viam illam teneant; paucos item, qui per portam illam ingrediantur: *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Matth.* 7. *v.* 14. Horribilis iſthæc audacia in periculo tam formidando oriri perfectò non poteſt, niſi à miſeranda & horribili cœcitate.

IV. Examina te, quænam adhibeas *Media* ad obtinendam ſalutem tuam, quænam opera, non aliunde debita, adiungere ſoleas, ut tantò certiorem reddas ſalutem tuam; an verò hæc omnia reſerves in futurum, quando nimirum identidem magìs creſcet difficultas bene agendi ob roboratam ac inveteratam malam conſuetudinem; vel an iſthæc omnia differas in ipſam adeò mortis horam, tam incertam, & tot plerumque difficultatibûs impeditam. Profectò ſi Chriſtus Jeſus arbitrio noſtro reliquiſſet & tempus & gratiam nos con-

vertendi, non possemus neque tempus illud, neque gratiam adeò nobis certò promittere, & tanta cum securitate, quanta nobis hæc eadem promittimus, quando sunt tam dubia & incerta.

V. Examina, quibus te *periculis* perdendi animam tuam exponas. 2. An occasiones etiam inquiras abjiciendi paradisum, cùm illas potiùs vitare deberes ac fugere. 3. An certum habeas, diutiùs permanere in statu peccati mortalis, cùm timere potiùs deberes, vel semel duntaxat in hoc statu concedere cubitum; itáque semper vivas, velut anima tua foret anima bestiæ, aut esset anima jurati inimici tui.

VI. Examina, quænam *impedimenda* removere debeas, ut magìs certam securámque reddas salutem tuam; an fortè amicitiam aliquam, an quoddam negotium, an aliquod oblectamentum. In universum loquendo, grande salutis impedimentum est superbia, & vita voluptatibus dedita; quia superbia impedit ac retardat gratiam, vita verò mollis

lis hominem impedit, ne reſpondeat gratiæ, néve operetur cum illa.

VII. Examina, an habeas in corde tuo *Dictamina quædam ſaluti animæ penitus oppoſita*, qualia forent iſta: Deum eſſe bonum, proinde peccari poſſe ſine timore, cùm nobis condoleſcat; poſſe quemlibet vivere pro ſuómet arbitratu, dum ſe poſtea in pœnitentiæ tribunali reum agat; niſi vindictam capias, núllum tibi habendum eſſe honorem; ſi modò jucundos ac hilares dies non agas, dum juventâ flores, nullum deinceps tibi fore tempus eosdem agendi; & alia his ſimilia, Evangelio prorſus oppoſita. Atque hæc omnia non ſunt niſi fraudes, & quàm maximè timenda; ſi enim ſola voluntas eſt corrupta, corrigere illam poterit intellectus; at ſi corruptus eſt intellectus, quod illi corrigendo ſupererit remedium? Si princeps horologii rota ſiſtatur, quænam alia ſuum proſequetur curſum & officium?

Agnoſce defectus tuos in tanti momenti negotio; perpende rationes, quæ movere te debent ad eos emendandos,

dos, utì dictum eſt in libelli hujus initio in Inſtructione de Examine. Denique roga Deum, ut, cùm ipſe tanta fecerit, ut te ſervaret, tu ipſe, quantum in te eſt, ſalutem tuam ne impedias; ſed tuum quoque conatum adhibeas, tanto cum animi ardore, quantum meretur anima, quæ eſt tua, eſt unica, eſt immortalis.

Meditatio Tertia.

Pro Prima Die.

De Gravitate peccati Mortalis.

I. Conſidera, quòd alicujus injuriæ gravitas metienda ſit ex tribus hiſce capitibus, nimirum ex conditione offenſi, & offendentis, & ex qualitate offenſæ. Proinde conſidera, quòd *Offenſus* per lethale peccatum ſit ipſe Deus, id eſt, Dominus erga te infinitè bonus in ſeipſo. Quid boni aliquando habuiſti ſinè Deo, cùm ſinè Illo ne qui-

quidem fuiſſes poſſibilis? Peccando igitur offendiſti Creatorem tuum, ſinè quo in hunc mundum non veniſſes umquam; offendiſti Conſervatorem tuum, ſinè quo in hoc mundo ne uno quidem momento perdurâſſes; offendiſti Redemptorem tuum, ſinè quo æternùm periîſſes, & qui tibi ſua morte, ignominiîs & doloribûs plena, æternam cœli beatitudinem comparavit. Offendiſti inſuper Dominum adeò in ſemetipſo bonum, ut dæmones, qui tamen in inferno tantô illum odiô proſequuntur, ſi apertam illius faciem intueri poſſent, omnes & ſinguli illum neceſſariò cogerentur amare, & quidem amore longè maiori, quam foret illud odium, quo in illum ſimul omnes ad id uſque tempus ferebantur; quin &, ſi illis hic Dei amor inſuper conſtare deberet novô pœnarum infernô, eorum quilibet novum hunc infernum ſubiret ac perferret hilariter, ut magìs Deum amaret, & ne illi vel minimùm diſpliceret; pleno ſimul ore faterentur omnes, omnia hæc amoris ſigna, ſi comparentur excellentiæ, qua Bonum infinitum amari meretur,

tur, esse omnino ac penitus nihil. Hic igitur est ille Dominus, quem offendisti; vel, ut loquar meliùs, non est hic ille Dominus, quem offendisti; hic enim Dominus est Ens infinitè perfectius, & omni cogitatione tua, imò & cogitationibus omnibus supremarum etiam Intelligentiarum cœli sublimius. An potes igitur hæc omnia credere fide divina, & interim præ dolore non emori, si reminiscaris, quòd immensam hanc Bonitatem non modò non amaveris, sed insuper peccando habueris ùt inimicam, & nuntium illi remiseris in perpetuum; cùm modus tibi nullus ampliùs superesset divinam hanc restaurandi amicitiam, & emendandi errorem tuum. Nunc saltem, cùm suâ te gratiâ præveniat Deus, detestare culpam tuam, ùt malorum omnium summum, utpote malum, quod ad ipsúmmet Deum attinet; age Illi gratias pro patientia tam diuturna, quam in te sustinendo exercuit; fatere coram universa cœli curia horribilem proditionem tuam, quam adversus Dominum tuum es machinatus, factus velut alter, multòque peior diabolus,

lus, ac illius in culpa ſocius, licèt illo naturâ longè inferior. Confirma propoſita tua, potiùs perdendi mille vitas, quàm denuo Magno huic Domino rebellis eſſe; eúmque roga, ut ſuam tibi exhibeat bonitatem, & tuum tibi cor immutet penitus, illúdque ſibi totum retineat & conſervet.

II. Conſidera qualitatem *Offenſæ*, quæ Deo per mortale peccatum irrogatur. Siquidem illa eſt injuria ſummè horribilis, quæ continet contemptum Dei maximum, & ſummam in eum crudelitatem. Continet illa maximum Dei contemptum; cùm enim ex una quidem parte concurreret Voluntas Dei, & altiſſimæ illius Maieſtatis beneplacitum, ex altera verò parte voluntas tua, & malæ ordinatæ affectionis tuæ animalis oblectatio, dum auſus es peccare, voluntati Divinæ voluntatem tuam prætuliſti, & in corde tuo iniquiſſimam hanc ſtatuiſti ſententiam, meliùs tibi eſſe, non obedire Creatori, ut tibi ipſi ſatisfacere queas, &, quamvis tibi Deus adhibita omni Autoritate ſua imperaret; quamvis adhibita omni ſua Potentia tibi minaretur;

retur; quamvis adhibita omni sua bonitate te invitaret ac alliceret; nihil tamen hîs omnibûs commotus, tuæ cupiditatis explendæ desiderium plùs ipso Deo apud te valere, re ipsa docuisti: *Projecisti me post corpus tuum.* 3. *Reg.* 14. *v.* 9. Eodem modo peccatum tuum summam continet in Deum crudelitatem, quia directè collimat ad illum offendendum, quin etiam, si modò foret possibile, ad illum penitus destruendum, ac redigendum in nihilum, perturbando immensam illam felicitatem, sinè qua Deus non posset manere Deus. Unde, sicut Caritas eius est indolis, ut, si Deus non possideret bonum illud, quod possidet, id ei Caritas impertiretur; ita peccatum, Caritati in omnibus oppositum, tantæ est malitiæ, ut, si Deus perdere posset bonum, quod habet, id ei tolleret peccatum. Vide igitur, quid egeris peccando: irrogâsti Deo malum illud omne, quod irrogare illi potest ulla creatura; nimirum obedientiam illi denegâsti, eúmque despexisti; &, quod amplius est, quòd illum in nihilum non redegeris, non

tuæ

tuæ perversitati ac malitiæ defuit, sed divinæ ipsius Perfectioni debetur, quæ intrinseci mali non est capax. Tu proinde hoc atrox & horribile facinus attentâsti; atque ita in eo te statu constituisti, quem Deus æternùm abhorrebit, quin illum aliquando possit ex oculis amittere, vel sinè horrore aspicere, aut illi se non opponere cum infinitis ac omnibus Perfectionibus suis. Quam igitur pœnam merebitur, qui facinus hoc est ausus? Et tu, quid tandem odisti, si non odisti peccatum tuum? Tam necessariò Deus illud odit, ut, si illud odisse desineret, desineret esse Deus; & tu propterea tam parùm es solicitus, ut nec illud te admisisse horreas, nec te terreat periculum, in eandem hanc abyssum denuo incidendi? *Numquid parva est fornicatio tua? Ezech.* 16. *v.* 20. Demitte te igitur in profundum iniquitatis tuæ, tibíque desidera lachrymarum mare, ut proditiones tuas, quas adversùs Dominum tuum machinatus es, dignè deplorare valeas; pete millies ab eo veniam, eúmque roga, ut bona reddere dignetur ei, qui Ipsi tot

intulit mala, & idcirco tibi priùs vitam eripiat, quàm te denuo peccatum ullum admittere ſinat.

III. Conſidera conditionem *Offendentis*, quæ injuriæ menſuram implet. Offendens tu ipſus es, & idcirco, ut vilitatem tuam intelligas, conſidera te primùm corpore tenus, quod nunc quidem eſt vas immunditiæ, & paulò antè minus erat, quàm formica, quia nihil omnino. Conſidera te iam animâ tenus; plenus es ignorantia, fragilitate, malitia, imprudentia, & iniquitate; extrinſecùs circumdatus es inimicîs innumerîs, tam viſibilibûs, quàm inviſibilibûs, tot tantísque tentationibûs impulſus ad lapſum, à tot tantísque malè ordinatis affectionibus raptatus in profundum, ſuſpenſus ſupra peccatorum & pœnarum abyſſum, in quam omnî momentô decideres, niſi idem ille Deus, quem offendiſti, ſuâ te gratiâ retineret. Quanti igitur æſtimare temetipſum debes, qui ex teipſo ad aliud nihil vales, quàm ad peccandum, & perdendum teipſum? *Perditio tua, Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Oſe.* 13.

13. *v.* 9. Quidquid ex rebus omnibus non eſt vel nihilum, vel peccatum, vel infernus, tuum non eſt, ſed ſolius Dei. Si poſt hæc omnia juſtam adhuc tuæ vilitatis ideam concipere non valeas, compara te cum rebus aliis. Quid igitur es tu, ſi compareris cum hominibus omnibus, qui modò ſunt in univerſo mundo? quid es, ſi compareris cum omnibus illis hominibus, qui aliquando fuerunt, ac futuri ſunt deinceps uſque ad finem mundi? quid es, ſi compareris cum omnibus Angelis, & omnibus in cœlo Sanctis? Quis in tanta omnium multitudine invenire te poſſet? Quis ullam vel minimam tui rationem haberet? & quid huic immenſæ multitudini deeſſet, ſi tu abeſſes? Deeſſet nimirum Entis alicujus atomum, quod tamen & ipſum tuum non eſt, ſed Dei; judica dein, quid in abſentia tua deeſſet univerſæ multitudini creaturarum omnium poſſibilium? Et tamen omnis hic creaturarum, non modò re ipſa jam exiſtentium, ſed poſſibilium cumulus, ſi comparetur Deo, eſt infinities minus, quàm ſit pulveris granulum, toti Univerſo

comparatum: *Quaſi pulvis exiguus. Iſa.* 40. *v.* 15. Tu igitur, qui punctô entis minus es, & ex mera Dei gratia poſſides exiguum illud, quod habes; & in parvo illo totius Univerſi creati granulo ſtationem illam occupas, quàm habes inter omnes creaturas posſibiles; tu, inquam, auſus es Divinæ voluntati reſiſtere, ut viveres pro tuo genio? Tu, qui paulò antè nihil penitus fueras, irritare auſus Deum æternum, qui ſemper extiterat? Tu, qui propriîs tuîs viribûs nec paleam potes de terra tollere, auſus es congredi cum Omnipotente Domino? Tu pauper & inops, qui ne ſpiritum quidem ducere ex te ipſo potes, inſurrexiſti adversùs Rerum omnium Dominum? Tu, qui totus, quantus es, merum es compoſitum ex Miſerationibus divinis, tua ſponte renunciâſti Amicitiæ Dei Altiſſimi? Itáne agitur cum infinito Deo, & quidem à creatura tam miſera, tot cumulata beneficiis? Quî, obſecro, fieri potuit, ut tanta patraveris mala? *Feciſti mala, & potuiſti? Jerem.* 3. *v.* 5. Et quare tandem inductus es ad facien-

cienda tot mala? An fortè coactus aliqua necessitate? An ob aliquod ingens lucrum & commodum? Imò verò machinatus es, & perfecisti horribilem hanc proditionem ob res nihili, quæ modò non sunt; & bonum tibi foret, si numquam fuissent; & nihilominus putridum hoc stercus prætulisti immenso illi Perfectionum Oceano, qui Deus est! Quid, oro, dixerint Angeli de hac commutatione, à te instituta? quantùm lætati fuerint dæmones, cùm te viderent sui sceleris socium? Et nunc quæ abyssus erit tam profunda, ut tuæ vilitati satìs respondeat? Agnosce, qualis evaseris per peccata tua; detestare illa infinities; fatere coram Deo, te infernos mille fuisse promeritum; propone deinceps priùs millies mori, quàm ad peccandum redire; simul Deum ardenter roga, ut, cùm ipse suómet sanguine voluerit occidere peccatum, non sinat ampliùs, ut locum illi præbeas in corde tuo.

Meditatio quarta.

Pro Prima Die.

De Pœnis, peccato irrogatis.

I. Considera, quòd, ſicut ex umbra metiri poſſumus corpora, ita ex pœnis, peccato irrogatis, metiri quodammodo poſſimus ipſius peccati malitiam; cùm pœna ſit umbra peccati. Itaque conſidera primùm ſupplicium ac *pœnam Angelorum rebellium*; & in ea perpende, quem in modum Angeli primùm à Deo ſint habiti, antequam peccârunt, & quomodo deinde ſint habiti, poſtquam peccârunt. Fuerunt itaque creati in cœlo empyreo, ùt Operum Divinorum primitiæ, repleti ſapientiâ, inſtructi omnibûs naturæ & gratiæ dotibûs, puriſſimi Spiritus, ſummô dotati ingeniô, maximâ præditi potentiâ, ornati pulchritudine ſingulari, ſancti per caritatem, omnésque virtutes cæteras, & jamjam vicini ſummæ Bea-

Beatitudini, æternùm duraturæ. At verò quomodo tantæ Creatoris ſui munificentiæ reſponderunt? Ingens illorum numerus Deo recuſavit obedire, & arbitrii ſui libertatem, ſibi relictam ad ſerviendum Deo, ſéque ipſos Illi cum magno ſuo merito ſubjiciendos, contra Ipſius voluntatem impendit. Jam vide, quàm grande ſit malum, ab ultimo ſuo fine recedere, & graviter peccare. Deus, ingrato hoc Angelorum animo & negatâ ſibi obedientiâ offenſus, eos ſimul omnes in inferni abyſſum præcipitavit. Pœna hæc tres habuit ſummi horroris circumſtantias, fuit enim ſubitanea, fuit univerſalis, fuítque ſumma. Fuit ſubitanea, quia ipſos obruit adhuc arma tenentes in manibus, ſuâ nimirum ſuperbiâ etiamnum tumidos, quin illis daretur ſive locus, ſive tempus, ſive auxilium ad agendam pœnitentiam; permiſſique ſunt ruere, citiùs omni fulgure, de cœlo in ignem æternum. Fuit univerſalis, quia fuêre tam multi, ut arborum folia ſuperarent, nec parcitum eſt vel uni. Si punitus eſſet ſolus Lucifer, aut ſaltem contentus fuiſſet Deus,

ſi decimus quisque, utì fieri ſolet apud ſeditioſos ac rebelles milites, ex ingenti illo Spirituum adeò ſublimium exercitu ad pœnam vocatus fuiſſet, ſatìs utique ſuam Deus manifeſtâſſet Juſtitiam ad conterrendos omnes homines, ſecundùm naturam multò viliores Angelìs. Quàm igitur fuit manifeſtum Juſtitiæ divinæ teſtimonium, quòd ſimul omnes condemnaverit ad ignem æternum, nulla habita ratione ſive nobilitatis, ſive ſcientiæ, ſive numeri, ſive bonorum, quæ poſt indultam ipſis pœnitentiam præſtitiſſent, nec malorum, quæ in contumacia perſiſtentes patraturi erant! Fuit denique pœna hæc ſumma, quia rebelles hi ſpiritus perdiderunt omnia gratiæ dona, & in ſua damnatione incurrerunt miſeriam infinitam, absque ulla ſpe, inde aliquando evadendi. O ingens igitur odium, quo Deus noſter fertur in peccatum! Infecta hoc peccati veneno videre pulcherrima manuum ſuarum opera, & illa non modò non expurgare, ſed omnia ſimul projicere in ignem ſempiternum absque ullo remedio! Quis non timebit

bit magnum hunc Dominum? quis Illum habere sibi volet inimicum? quis redire volet ad Illum offendendum? *Quis non timebit te? ô Rex Gentium! Jerem.* 10. *v.* 7. Compara nunc peccata tua cum peccato horum infelicium Angelorum; & admirare diversam longè rationem, qua tecum est actum. Dæmones non nisi semel peccavêre; & tu toties ac toties: illi peccârunt sola cogitatione; & tu, quæ contra Dominum es machinatus, ipso etiam opere perfecisti: illi peccando se neutiquam subjecêre creaturis, se vilioribus; tu peccando factus es vilior ipsis adeò brutîs ac bestiîs: illi numquam habuêre gratiam resurgendi, tu postquam toties illam habuisti, toties illâ fuisti abusus: illi nullam irrogârunt injuriam sanguini Jesu Christi, qui pro illis non est effusus; tu verò illum toties pedibûs conculcâsti: & tamen negatum est illis momentum vel unicum, quo pœnitere ac emendare se possent; tibi verò concessi sunt anni & anni; & idem ille Dominus, qui se illis inexorabilem præbuit, non solùm est pro te mortuus,

ſed prior etiam eſt in petenda abs te pace, téque ipſe ſolicitat ad petendam peccatorum tuorum veniam. O bonitatem incomprehenſibilem! Et tu iteratò voles contra illam arma corripere? Maledicta millies ſint omnia peccata! Statue, in te ipſo omnia illa, quæ commiſiſti, peccata omni pœnitentiæ genere vindicare; fatere, te indignum eſſe, qui vel oculos ad cœlum attollas; contremiſce ob periculum redeundi in antiquam ſilvam, & Deum ora, ut, cùm erga te Deum Miſericordiarum, non verò Deum vindictæ ſeſe exhibuerit, etiam vires tibi largiatur, ipſius invitationibus reſpondendi per actus veræ pœnitentiæ, & in corde tuo ſtabiliat inviolabile illum non ampliùs offendendi propoſitum.

II. Conſidera in *Adami pœna* immenſam peccati malitiam, expendendo duntaxat hìc bonum, quod à Deo recepit Adamus, & malum, quod illi reddidit, ac denique pœnam, quàm propterea incurrit. Fuit itaque Adamus, primus homo, creatus in terreſtri Paradiſo ad imaginem Dei, ditatus gra-

tia, & justitia originali, vî cujus erat affectionum suarum moderator, & creaturarum omnium Dominus, immunis à morte, liber ab omni miseria, constitutus inter delicias, à quibus subinde transire debebat ad cœlum, futurus æternùm ac plenissimè beatus. Sed homo à socia muliere seduci se passus, Obedientiâ Creatori suo negatâ, ob leve pomum Divinam illius amicitiam perdidit. Et ecce! postquam hoc peccatum in mundum intravit, integrum secum malorum omnium exercitum invexit; nam omnia, & bella, & fames, & pestis, & terræ motus, & tempestates, & inundationes, & mortes, &, quod ampliùs est, ipsa justitiæ originalis jactura, naturæ corruptio, & ejusdem adversùs virtutes omnes lucta, ejusdem ad vitia cuncta propensio, omnes injustitiæ, omnes iniquitates & peccata, tot innocentium infantûm interitus, tot animarum peccantium æterna damnatio, non sunt nisi pedisequæ infelices, & miser comitatus primi illius peccati, ab Adamo commissi. Et quamvis ille dein nongentîs admodum

annîs egerit pœnitentiam; quamvis Jesus Christus etiam ipse, huic peccato remedium allaturus, medicinam illi paraverit ex ipso suo sanguine, nihilominus peccati hujus toxicum, ipsi radici, Adamo nimirum, insitum, vim suam venenatam omnibus quoque ramis, Adami nempe posteris, infundit, & infundere pergeret æternùm, si Mundus sinè fine perduraret. Et hæc omnia non sufficient, ut manibûs quodammodo palpes, quàm grave & grande malum sit non obedire Deo? Quî fieri potest, ut hæc omnia per fidem credas; & te peccâsse non exhorrescas, imò & denuo ad peccandum redeas? Etiam hîc agnoscere potes malitiam tuam in comparatione cum primi Parentis peccato & pœna. Ipsius peccatum fuit in re, de seipsa perlevi; ipsius peccatum fuit tantùm unicum, & eo, quo peccavit, tempore necdum viderat exempla Divinæ Justitiæ, in peccatores exercitæ, necdum viderat Deum, eo fine mortuum, ut non admitteretur peccatum; quantò igitur fuisset æquiùs, ut punireris tu, qui & peccatorum numero, & peccati genere,

&

& tempore peccantem Adamum longè superâsti; & postquam peccati veniam fuèras consecutus, millies iterum Creatorem tuum offendisti, quin deinde de agenda cogitares pœnitentia, veluti peccata illa non essent tua? Quandónam igitur in bonum tuum aperies oculos? Jam nunc, jam hoc momento fiat! Detestare supra omne malum peccata tua, offer te Deo ad ineundas perlibenter cum illo rationes, & pensanda peccata tua per Amorem tantò majorem, & parem in Divino servitio diligentiam. Prosterne te igitur ad pedes Dei tui, instar Rei; age infinitæ illi Bonitati gratias, quòd tamdiu te pertulerit; & roga, ut inter te & ipsum componat ac stabiliat amicitiam, quæ per cuncta deinceps secula non ampliùs solvatur.

III. Considera pœnam à Divina Justitia *irrogatam Jesu Christo*; in cujus comparatione omnis alia Justitiæ vindicta, in peccatum exercita, quasi pro nihilo est habenda. Perpende igitur Personam, quæ patitur; tormenta, quæ sustinet; peccatum, quo movetur, ut pœ-

pœnam perferat. Peccatum, propter quod patitur, proprium Chriſti peccatum non eſt, cùm Ille ſit ipſámet Innocentia, ſéque tantùm obtulerit Vadem. Tormenta ſunt mare dolorum, non ſolùm extrinſecùs ab inimicis, ſed & intrinſecùs ab Amore ſuo illatorum, neque ſolùm provenientium à pœnis ac tormentis inauditis, ſed etiam ab opprobriis, ignominiis, contemptibus, numquam hactenus in Orbe viſis. Perſona, quæ patitur, infinitæ eſt Dignitatis, utpote Homo, & ſimul Deus. Unde vulnus unicum ſacratiſſimi Corporis Ipſius haberi debuerat pro malo longè majori, quàm omnes Damnatorum pœnæ, & omnia Creaturarum mala. Nihilominus, etiamſi Dominus propter homines ſe humiliet, & orando Patri ſuo cœleſti proponat averſionem illam, qua Corpus ſuum mortem adeò crudelem ac ignominiâ plenam tolerare horrebat, nihilominus, inquam, ſtatuitur, ut mortem hanc ſubeat; & licèt unica ſanguinis Ipſius ſtilla ſit ſufficiens, quin & abundans peccatorum noſtrorum ſolutio, petitur nihilominus, ut omnem adeò ſuum ſangui-

guinem fundat; & quod per unicam Ipſius lachrymulam fieri poterat, jubetur fieri per integrum pœnarum diluvium. Et quid ampliùs exigere Peccator poteſt, ut plenè perfectéque intelligat peccatorum ſuorum enormitatem, quàm ſi advertat, quòd Divina Juſtitia, ſi punire debeat, integram pœnarum æternitatem exigat; & ſi debeat ignoſcere, ipſius Dei mortem expetat? Si odium iſtud, quod Deus adversùs peccatum demonſtrat, & rigor ille, quo peccatum punit in ſacroſancta Filii ſui Perſona, nondum ſufficit ad oſtendendam nobis immenſam ipſius peccati malitiam, oportebit ſanè dicere, quòd nobis vel ratio, vel fides deſit. Et erit poſſibile, ut malum illud nobis videatur eſſe bonum, noſtrámque voluntatem ad ſui amplexum ſolicitet, quod æterna Jeſu Chriſti ſapientia majus eſſe judicavit malum, quàm fuerit jactura vitæ Divinæ in dolorum & opprobriorum abyſſo? Obſtupeſce cœcitatem tuam, qua in hanc uſque diem exiguam adeò rationem habuiſti illorum tuorum vulnerum, pro quorum remedio neceſſarius

rius fuit omnis Jeſu Chriſti Domini tui ſanguis. Diſce ex hoc ipſo, quanto cum pœnitentiæ zelo in te ipſo vindicare debeas injurias, iniquitatibûs tuîs Deo Domino irrogatas. Erubeſce, quòd adeò molliter habueris Proditorem Divinæ Majeſtatis, videlicet corpus tuum. Offer Jeſu Chriſto & ſanctiſſimæ ipſius Matri cor tuum, ut ne ampliùs illuc ingredi ſinant illud peccati monſtrum; eósque hanc gratiam, cæterîs omnibûs majorem, impensè roga.

Sacrorum Exercitiorum
Dies Secunda.
Meditatio Prima.
De Odio, quod Deus adversùs peccatum gerit.

I. COnſidera odium, quod Deus gerit adversùs peccatum, ut à prima juſti rectíque Regula, quæ eſt Volun-

luntas Dei, discas abhorrere ab hoc infernali Monstro ex toto corde tuo. Deus itaque peccatum odit unicè, implacabiliter, & infinitùm. Et primò illud odit *unicè*; ac proinde quis sibi perfectè poterit imaginari, quanto cum impetu & conatu Summum se Bonum opponat Malo peccati, siquidem hoc solum agnôscit pro inimico, & contra hoc solum omnes Omnipotentis suæ Voluntatis vires impendit? Deus, qui odit, & aliud non odit, nisi peccatum! Pro! quantus horror! In omnibus totius mundi creaturis Deus invenit aliquid boni, illis ab Essentia sua Divina communicatum, illiúsque habet rationem, & curam. At in peccato, & in peccatore, quatenus est peccator, non videt aliud, præter abyssum malitiæ, mare veneni, & profundum abominationis absque omni fundo; ac propterea illud abhorret, detestatur, & adversùs illud omnem Divini sui cordis indignationem effundit. Atque ita melius foret esse bufonem, venenô plenum, vel basiliscum, quàm esse, & vel unicô momentô manere peccatorem. Adverte jam

miſerandum animæ tuæ ſtatum; nam, cùm diuturno adeò tempore fuiſſes unicum Odii divini objectum, omnipotentis indignationis ejus terminus, meta fulminum, à divina Ipſius Juſtitia intorquendorum, nihilominus durante inimicitia tam formidabili, vixiſti lætus & hilaris, inveniſti tempus ridendi, geniales agendi dies, peccata cumulandi peccatîs, ac Dei tui patientiam novîs ſemper novíſque injuriîs irritandi. Quid igitur tibi interim accidiſſet, ſi Ille à tua ſe malitia vinci permiſiſſet, ſi per ſuam Miſericordiam juſtiſſimum Cordis ſui furorem non retârdaſſet? Experireris jam nunc profectò ſine omni remedio fructum rebellionis tuæ, in ignis ſempiterni captivitate per cuncta ſecula inſolubili catena conſtrictus. Et animum etiamnum habebis, ut iterum audeas, tanti Domini te inimicum reddere, & in infelici adeò ſtatu, ac divinis ipſius oculis tam abominando, te conſtituere? Proteſtare millies, id numquam ampliùs eventurum; deteſtare, & execrare millies indignas illas voluptates, quarum amore Divinæ Voluntati te toties op-

posuisti; gratias age Deo, quòd tanta cum patientia te pertulerit, & modò tanta cum bonitate tibi veniam offerat; opta pro deplorandis dignè peccatis tuis omnes verorum pœnitentium lachrymas, & omnium Seraphinorum amorem, ut iniquitates tuas compensare valeas; & quoniam Dei sanctitas non aliud malum odit, quàm peccatum, eum per hanc ipsam suam sanctitatem ora, ut illud ipsum odium suum nimiùm levis ac modicæ contritionis tuæ locô acceptare; hanc verò identidem pro sua gloria tibi augere dignetur.

II. Considera jam alteram divini adversùs peccatum odii conditionem, éstque hæc, quòd peccatum non solùm unicè, sed & *implacabiliter* oderit, adeò, ut non possit unquam inter duos istos inimicos, Divinam nimirum Bonitatem inter & peccatum pax ulla coalescere. Tu, quando peccatum odisti, odisti illud per actum tuæ voluntatis liberum; & idcirco, postquam illud odisti, potes recedere ad illud iterum amandum; sed Deus odit peccatum per

ipſam ſuam Eſſentiam divinam, & diabolico huic abortui cum omnibus ſuis Perfectionibus divinis eſt contrarius; unde, quemadmodum non poteſt aliquando non eſſe Deus, ita eſt impoſſibile, ut aliquando ſe non opponat malitiæ peccatoris: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Pſal.* 5. *v.* 5. Hæc nempe eſt Eſſentia Dei, eſſe inimicum implacabilem, & eſſentialem omnis peccati. Illas igitur abominationes, quas tuîs vitæ diebûs admiſiſti, Sapientia Divina iam ab æterno prævidit, ac deteſtata eſt, atque deinceps deteſtabitur æternùm, quin immenſum iſtud odium per cuncta futura ſecula vel momentô unicô ſit interruptura; atque ita vides, quid egeris peccando; conſtituiſti nimirum ante conſpectum Dei abyſſum malitiæ, quæ numquam ampliùs ex Divinæ Cognitionis oculis removeri poterit; & hac ratione momentaneam turpitudinem ob oculos poſuiſti Divinæ indignationis, ac abominationis æternæ, qua ſemper ferebatur Deus, ac deinceps æternùm feretur in actum illum peccati tui. Et tu poſt hæc omnia

non

non jam colliquescis in lachrymas? imò etiamnum dubitas, annon rursus debeas, aut velis tam fœdum & Divinissimis oculis tam abominandum objectum ponenere ante conspectum Dei, novum denuo peccatum admittendo? Explica mentem ac propositum tuum coram universa cœlesti curia, quòd id numquam ampliùs facturus sis in posterum; promitte, quòd omni tentationi resistere velis ad mortem usque; statue, per omnem tuam vitam te exercere in continuis seriæ contritionis actibus; ut, si Deus æternùm pergat videre peccata tua, saltem unà cum illis etiam videat dolorem intimi cordis tui; & videat simul, quòd, sicuti per malitiam tuam immixtus fuisti numero proditorum ipsius, ita nunc per bonitatem ipsius immiscearis verorum pænitentium numero, cum insuperabili proposito, quamdiu vixeris, numquam ampliùs ex illo recedendi.

III. Considera, quòd Deus peccatum non tantùm oderit unicè, nec tantùm implacabiliter, sed oderit illud etiam *infinitè*. Odii mensura semper est amor, voluntas enim eodem ipso

paſſu, quo per viam amoris tendit ad ſuum bonum, eodem neceſſariò diſcedit à ſuo malo oppoſito per viam odii. Propterea ſicut Deus infinitè ſeipſum amat, ita convenit, ut infinitè oderit contrarium ſibi malum, quod eſt peccatum; itaque ſi in uno corde omne illud odium, quod dæmones ac damnati omnes erga Deum gerunt, conjungeretur, & ſi odium iſtud ſingulîs per omnem æternitatem momentîs duplicaretur, nihil tamen foret omne hoc odium in comparatione illius, quo Deus vel unicum peccatum proſequitur; cùm odium creaturarum ſemper ſit limitatum; odium verò Dei ſemper ſit infinitum. En igitur, quid amaveris, quando peccâſti; amâſti Monſtrum tam inviſum Deo, quàm Deus ſibímet ipſi eſt amabilis. Et nunc vix illud magìs deteſtaris, quàm ſi illud non attineret ad te, neque tu illud in lucem protraxiſſes, ſèd alius aliquis tui locô ingentis mali hujus autor extitiſſet: *Numquid parva eſt fornicatio tua? Ezech.* 16. *v.* 20. An tibi nullius momenti malum eſſe videtur monſtroſa illa fœditas, quam Deus abomina-

natur absque fine? Quis fallitur? an Deus, an tu? Deus malitiam peccati tantumdem odit, quantum amat infinitam Essentiæ suæ Divinæ Bonitatem; & tu peccatum hoc tuum magìs amas, quàm animam tuam; & eò progrederis, ut venenata voluptate tua fruendi causâ, hilariter etiam æternitati bonorum cœlestium renunties, lætóque animô Miseriarum infernalium æternitatem subeas. In Dei bilance peccatum unicum gravioris est ponderis, quàm omnium Electorum opera bona, quàm omnium Sanctorum virtutes, & omnium Angelorum amor; in tua verò bilance illud ipsum peccatum ponderis est tam exigui, ut interdum dicas: quid tandem mali est? sufficit, quòd illud Secerdoti confitear; quin & eò prolaberis, ut etiam inter æquales tuos de illo glorieris, veluti de generoso facinore. Rursum igitur temetipsum interroga: Quis fallitur? an Deus, an ego? quis errat? Prô admirandam animi tui cœcitatem! In posterum saltem apertos circumfer oculos, atque, dum vides, quòd infinita Dei Sapientia tale de peccati malitia

ferat iudicium, tu pariter totîs illud cordis tui viribûs abhorre; opta contritionem animi parem iniquitatibus tuis; ſanctam in illos invidiam concipe, qui numquam Deum offenderunt, & infinitæ puritatis illius genio numquam ſeſe oppoſuêre; Deum ſimul ſuppliciter ora, ut miſerationibus ſuis novas addat miſerationes, neque contentus ſit, quòd tamdiu patienter te pertulerit, ſed abundantem quoque gratiam tibi largiatur, in poſterum citiùs eligendi mortem, quàm ut vel ſemel unico peccato, quod divinis oculis tam inviſum eſt, in cor tuum patefacias aditum.

Meditatio Secunda

Pro Die Secunda.

De Peccatis propriis.

I. CONſidera ingentem & formidabilem peccatorum tuorum *numerum*, quorum fors minima pars eſt illa, quam memoriâ tenes; ſed ut illorum ali-

aliquantulum ſaltem obiter & ſinè ordine reminiſcaris, percurre loca omnia, in quibus hactenus vixiſti, omnia negotia, quæ geſſiſti, ætates omnes, quas egiſti. Prô! quàm longa eſt peccatorum catena, quam ad hoc uſque tempus continuâſti, dum finis unius peccati initium plerumque fuit alterius. Hinc nullam vitæ tuæ partem tranſire permiſiſti, quam tuîs iniquitatibûs non deturpaveris, & profanaveris. An externi ſenſus tui hucusque fuêre quid aliud, quàm totidem portæ, per quas in cor tuum ingreſſa eſt mors? Internæ tuæ potentiæ ad quid frequentiùs tibi ſerviêrunt, quàm ut omnium eſſent inſtrumenta vitiorum, quorum vel capax fuerat vitæ tuæ ſtatus; dum illud duntaxat malum non commiſiſti, cujus vel nullam ſenſiſti tentationem, vel cujus committendi opportuna tibi defuit occaſio? Præ cæteris autem voluntas tua, creata ad amandum ſummum Bonum, quoties ſeſe reddidit tam abominandam, quàm abominandæ fuerant indignæ illæ res, quas amplecti voluit, obversîs Domino & Creatori ſuo humerîs;

rîs ; ídque cum facilitate tam incredibili, quaſi nullum ſupra ſe Dominum, nullam omnino legem haberet. Itaque niſi ex propoſito excœcari velis, fateri debes, quòd anima tua, ùt olim Jobus erat in corpore, plena ſit vulneribûs, tota diffluens ſanie, & putridum velut apoſtema coram oculis Domini. Jam autem ſi unicum ſolum peccatum veniale meretur mortem; lethale verò inſuper & infernum, quoties tu prome-ritus es, ut tollereris è mundo, & præcipitareris in infernum? An ergo negare poteris, quòd magna in te fuerit miſericordia Dei, dum non ſolùm te ſuſtinuit, licèt tot peccatîs onuſtum, ſed inſuper tibi tot præſtitit bona? Quamdiu igitur perges iîs adhuc abuti? Da tandem aliquando victas Bonitati Divinæ manus; fatere malitiam tuam, eámque deteſtare quàm potes maximè; pete à Deo dolorem peccatis tuis æqualem; ſtatue, Deum deinceps tantò ferventiùs amare, quantò impudentiùs illum antehac offendiſti; & ſpera, illum tibi manum benignè porrecturum,

ac retenturum, ne unquam ampliùs ad ipſum offendendum redeas.

II. Conſidera præter numerum, etiam *pondus* peccatorum peccatorum tuorum. Si loquamur de peccatis venialibus, eorum quodlibet, eſt maximum totius mundi malum, exceptô peccatô lethalî. Si verò loquamur de peccatis gravibus, quodlibet illorum, quia eſt malum, quod Deum ipſum attingit, infinities ſuperat mala omnia, quæ ſolùm ad creaturas pertinent. Idcirco, ſiquis creaturas omnes poſſibiles contumeliis afficeret, hæ tamen contumeliæ, quia tantùm offenderent ſemper perfectiones finitas ac limitatas, numquam poſſent comparari unico duntaxat peccato mortali, utpote quod omnes ſimul, eáſque infinitas, Dei perfectiones offendit. Hinc debitum, quod peccatrix anima ſuîs peccatîs contrahit, eſt adeò magnum; ut omnia Sanctorum, quin & ipſius ſanctiſſimæ Virginis, opera bona, millies duplicata, ſatisfacere tamen pro illo non poſſint; neque ſuperſit aliud, quod in bilance divinæ juſtitiæ gravitati vel unius peccati opponi

ad

ad æquilibrium possit, quàm Redemptoris Crux. Propterea peccatum est malorum omnium summum, malum unicum, & verum malum; omnia verò mala reliqua, quæ nos quidem appellamus mala, in comparatione cum hoc malo, quod unum duntaxat est verum malum, sunt umbra duntaxat mali. Unde si omnes alterius vitæ pœnæ se solis in certamen venire possent cum unico peccato, minùs infelix foret ille, qui omnes illas pœnas pateretur, quàm is, qui grave peccatum admittit: *Est utilis potiùs infernus, quàm illa. Eccli. 28. v. 25.* Hoc pondus est unius duntaxat peccati gravis, contra Divinam voluntatem admissi; quisquis igitur non exhorrescit, quòd commiserit adeò multa, eáque commiserit adeò libere, velut offenderet Deum tantummodo pictum, is profectò cor saxeum gerit. Quid igitur tibi superest, quàm ut defleas hanc temeritatem, hanc duritiem tuam, desiderando simul dolorem, doloribûs omnibûs majorem, ut divinæ Majestati, quam indignè adeò despexisti, debitum honorem reddas? Hunc

igi-

igitur dolorem à Deo ex intimo corde pete, cùm ſis adeò miſer, ut peccare quidem poſſis, ſed dignam agere pœnitentiam nequeas ſinè gratiæ illius auxilio, quo toties privari meruiſti; & unà illum roga, ut, ſicut patientiam ſuam in perferendis peccatis tuis tam apertè demonſtravit, ita dignetur etiam ſuam in te demonſtrare bonitatem, ſuámque omnipotentiam, peccata tua penitus deſtruendo, tibíque veræ pœnitentiæ donum largiendo.

III. Poſt numerum & pondus peccatorum tuorum, illorum quoque *Menſuram* conſidera. Hæc menſura eſt illa remuneratio, qua tu cumulatæ adeò Divinorum Beneficiorum tibi collatorum menſuræ reſpondes. Expende nonnihil attentiùs multitudinem & excellentiam Bonorum illorum, quæ tibi largitus eſt Deus, tam eorum, quæ communia ſunt omnibus, quàm eorum, quæ tibi ſunt peculiaria, & in quibus tantæ tibi præ cæteris creatûris collatæ ſunt prærogativæ. Perpende dein, quàm parùm fueris promeritus, ut tantîs fruereris favoribûs. Perpende infini-

finitam Benefactoris tui sublimitatem, cujus causâ quodlibet vel levissimum donum maximi faciendum est; & infinitum pariter amorem, quo te complexus est Deus, dum ab æterno te elegit, ut tanta tibi conferret bona. Si propter te solum de cœlo descendisset in terram, si propter te solum natus esset in summa paupertate, humilitate & contemptu, si propter te solum passus ac mortuus fuisset, quid dicerent dein Angeli & homines omnes, si tam ingratum tuum animum erga Deum viderent? Et tamen Illi non minùs es obstrictus modò, cùm pro te sit fatigatus, passus, & mortuus tanto cum amore, veluti tu solus ad reportandum inde fructum in mundo fuisses. Hoc autem posito, cùm tantîs Dei benificiîs te circumdatum cernis, meritò tibi videri deberet impossibile, non solùm, ut Deum velis offendere; sed etiam ut eum possis offendere; ac dicere tu pariter deberes: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Gen. 39. v. 9.* quomodo fieri potest, ut summum Benefactorem meum adeò graviter

ter offendam? Nihilominus non ſolùm potuiſti, & voluiſti illum offendere, poſtquam ab illo tot bona recepiſti; ſed & eodem ipſo tempore, quo Ille ſua in te dona manu plena effundebat, Illum offendiſti; quin & illa ipſa dona veluti in arma convertiſti, quibûs illum impeteres. O rem ſanè horribilem, quòd Deus ex nihilo te creaverit, tu verò Illum ob rem nihili contempſeris! quòd Deus tot ac tantis aliis te prætulerit, ut bene tibi faceret, tu verò illum poſtpoſueris vel ipſi tuo corpori, quod non eſt niſi fimentum putridum! quòd Deus ſit mortuus, ut vitam tibi daret, tu verò, cùm vitam pro Illo ponere debuiſſes, qui vitam pro te poſuit, Ipſius vulnera renovaveris, & ampliora reddideris, atque, cùm illum plùs amare debuiſſes, quàm temetipſum, utì meretur, tu illum minùs amaveris, quàm umbram boni, quæ jam diſparuit! Compara jam aliquantùm inter ſe duas iſtas menſuras, eam videlicet, qua te dimenſus eſt Deus per ſua beneficia, & eam, qua tu Deo reſpondiſti per tua peccata. Erubeſce de te ipſo coram

Deo,

Deo, & universa Angelorum & Sanctorum ipsius curia, qui tam fideliter illi servîerunt; renova coram illis tuam Christiani hominis professionem, qui tantopere est obligatus ad serviendum Deo, Creatori ac Redemptori suo. Obstupesce, quòd tam ipse Deus cum Angelis & Sanctis suis, quàm creaturæ reliquæ te adhuc sustinuerint, neque in te insurrexerint ad vindicandas injurias, Creatori ac Domino suo à te illatas; fatere, te commeritum, ut terra tuis sub pedibus dehisceret, ut aër te suffocaret, ut suîs te radiîs, velut totidem fulminibûs, Sol percuteret, ut novus pro te solo conderetur infernus, in quo flammæ essent multò candentiores prioribûs, & dæmones hodiernîs dæmonibûs truculentiores, cùm & tu dæmones omnes ingratô animô tuô multùm superaveris. Denique cùm tibi tempus pro emendanda infidelitate tua præterita sit concessum, promitte Deo novam in posterum vitam; eúmque roga, ut tot ac tantis beneficiis, jam collatis, addere dignetur & hoc, ut scelerum tuorum non recordetur ampliùs, & uberem

rem tibi gratiam largiatur, ut ea deinceps æternùm non admittas.

Examen
Pro Die Secunda.
De malè Ordinatis Animi Affectionibus.

I.

Examina ſtatum Affectionum tuarum, ſive malè ordinatorum motuum Appetitûs tui ſenſitivi, qui cauſa ſunt omnis mali in anima, ſicut humores perturbati cauſa ſunt omnis morbi in corpore. Vide igitur 1. quales ſint hæ animi tui Affectiones, & quas vires habeant. 2. An inter eas ſit aliqua, quæ tibi præ cæteris dominetur, & quouſque. 3. Ad quænam peccata tam hæc quàm illæ te inducant. 4. Qua ratione tu illis reſiſtas, & quem illas devincendi animum habeas. 5. An malum timeas, quod inferre tibi poſſunt; cùm facilè poſſit accidere, ut

aliqua huiusmodi affectio mala, maximè, si sit prædominans, ùt Ascetæ loquuntur, te deducat in præcipitium æternum, utì accidit Judæ, & innumeris aliis.

II. Examina te singillatim de malis Affectionibus tuis, & quidem 1. de iis, quæ ad appetitum *Irascibilem* pertinent; nam hæ, cùm soleant plus aliquid apparentis rationis habere, magìs etiam foventur, ac nutriuntur. Vide igitur, an subitò in iram præcipitem concitaris. 2. An id fiat levibus de causis; an interiùs etiam perturberis, & quousque. 3. An iram hanc diu foveas, & diuturnam serves injuriarum, quas tibi illatas existimas, memoriam, & in verba minùs decentia prorumpas. 4. An nihil mali facias, ut te vindices, nec advertas, quòd tibimetipsi malum tantò majus inferas, cùm Deus oderit hominem, qui odit proximum suum, & nolit impertiri veniam illi, qui veniam negat proximo suo: 5. An sis pusilli animi in bene agendo, & ob levem adversitatem, atque ob timorem, ne à mundo arguaris, bonum opus

opus intermittas, etiamsi Mundo in sancto baptismate renuntiaveris.

III. Examina te de appetitu *Concupiscibili*, ac primùm de amore immoderato eminendi præ aliis, qui vocatur *Superbia*. 1. An in animo tuo glorieris de bono illo, quod habes, veluti non accepisses illud à Deo. 2. An putes, te plus habere, quàm habes. 3. An glorieris de rebus malè actis, veluti tua te peccata pulchriorem redderent, cùm te potiùs magis faciant abominabilem, ac diabolo similem. 4. An desideres, tantùm placere hominibus, ab iisque laudari & commendari, hujusmodi laudes æstimando tanquam ingens bonum, & ad hunc finem actiones tuas dirigas. 5. An te ipsum magni facias, & grandia de te præsumas. 6. An fingas, te bonam habere intentionem, & vitia tua bonitate ac virtute simulata contegas. 7. An sis pertinax in opinione tua, nec velis cedere aliis, præsertim Superioribus. 8. An alios, sive te minores, sive æquales, sive etiam te majores despicias. 9. An de omnibus hisce vitiis parùm tibi timeas,

neque consideres, quòd superbia non fuerit à Deo tolerata etiam in Angelorum omnium nobilissimo ac ditissimo, & multò minùs in te sit toleranda, qui es terræ hujus vermiculus.

IV. Examina te de minùs ordinato amore divitiarum, qui apellatur *Avaritia*. 1. An habere desideraveris rem aliquam alterius, sive per fraudem & viam injustam, quod repugnaret ultimo Decalogi præcepto, sive absque injustitia, sed nimia cùm anxietate, atque ita ex auro desiderato tibi feceris idolum. 2. An opera tua bona primariò facias ob lucri alicujus utilitatem, quod hujusmodi operibus est annexum. 3. An eos valde felices esse existimes, qui multas habent divitias, & bonîs temporalibûs admodum abundant; contra id, quod Christus dicit in Evangelio: *Væ vobis divitibus!* 4. An negotiationi & faciendo quæstui nimiùm te immergas; omne propemodum tempus tuum, etiam diebûs festîs, illi impendas, ac propterea animæ tuæ immemor, æternitatem beatam lucrari negligas. 5. An lucri causâ mendacia lo-

loquaris, falſa juramenta proferas, nomen Dei contumeliosè appelles, cum pauperibus immitiùs agas, lites protrahas, etiam iniquas; inimicitias excites, etiam inter tuos; aut alia hujusmodi committas vitia, quorum Avaritia radix & mater eſt, etiam ab Apoſtolo appellata Malorum omnium radix. 6. An nimiùm contriſteris, ſi quid ex rebus tuis amittas, vel ſi damnum aliquod in rebus temporalibus patiaris, quaſi velles contra ipſum Deum conqueri. 7. An differas reſtitutionem ſinè juſta cauſa, & ob quodlibet leve incommodum; tibíque ſufficiat propoſitum, reſtituendi in futurum; velut interea non eſſes in ſtatu peccati; cùm tamen Deus non ſolùm prohibeat, tollere rem alienam, ſed etiam illam retinere. 8. An parcè & ſordidè rebûs tuîs utaris, tantùm ut accumules divitias, & interim omittas dare eleemoſynas in ea quantitate, & eo tempore, quo illam tibi caritas imperat.

V. Examina te de amore malè ordinato erga voluptates carnis. Opera mala carnalia non indigent exami-

mine, sed pœnitentiâ, quia nimiùm quantùm suo se fœtore produnt, ac manifestant. Examina te proinde solùm de nimio desiderio agendi lætos ac hilares dies, & omnia illa oblectamenta admittendi, quæ primo tibi intuitu videntur innocentia, at in progressu sæpe finiuntur in gravibus peccatis. Nimis est difficile, intra liciti se continere confinia, & ad illicita non transire; præterquam quòd nimis jucundè ac hilariter in hoc mundo vivere, sit character perditionis æternæ, cùm Dominus in Evangelio dicat: *Væ vobis, qui ridetis nunc! Luc. 6. v. 25.* Monstrosus & perturbatus est ordo, omnes suas cogitationes deliciis consecrare carnis illius, quæ ob has ipsas delicias Prædestinationem nostram adeò reddit dubiam, dum nos Prædestinatorum omnium Prototypo, Jesu Christo, tam dissimiles facit.

Agnosce errores in hoc rerum genere admissos; detestare illos, & rationes illas te emendandi adhibe, quæ superiùs in Instructione de usu Examinum §. IV. allatæ sunt.

Me-

Meditatio Tertia

Pro Die Secunda.

De Malo, quod Peccatum continet, & gignit.

I.

COnſidera *malum, quod peccàtum in ſe ipſo continet.* Unum eſt Summum Bonum, propter quod amanda ſunt cætera bona omnia, & quod amandum eſt propter ſeipſum; & hoc Bonum eſt Deus. Unum pariter eſt ſummum malum, propter quod odio habenda ſunt omnia mala, & quod odio habendum eſt propter ſeipſum; & hoc malum eſt peccatum. Non poteſt inveniri major oppoſitio, quàm ſit illa, quæ Deum inter & peccatum intercedit; ac proinde neceſſariò peſſimum eſt illud malum, quod adeò vehementer eſt oppoſitum Optimo. Itaque ſi Deus eſt immenſum perfectionis mare, pec-

catum eſt abyſſus malitiæ ſinè fundo. Si Deus eſt Bonum omnibûs bonîs infinitè ſuperius, peccatum eſt malum malîs omnibûs infinitè majus. Si Deus eſt Ens ejusmodi, ut in Illius comparatione res omnes aliæ non ſint entia, peccatum eſt abominatio talis, ut in ejus comparatione omnia mala reliqua non poſſint nominari mala. Peccatum ergo eſt maximum hujus & alterius vitæ monſtrum; neque Deus ipſe poteſt cognoſcere aliud majus, ac Divinæ ſuæ Bonitati ac Majeſtati magìs oppoſitum. Unde ſi auferri ex inferno peccatum poſſet, infernus non ampliùs eſſet infernus; & ſi in cœlum introduci poſſet peccatum, cœlum non ampliùs foret cœlum. Vide igitur, quid egeris peccando! in lucem produxiſti monſtrum adeò abominandum, quod ſeſe opponit bonis omnibus, quæ in Deo ſunt, & eſt juratus omnium Divinarum Perfectionum hoſtis; atque adeò dum tu hoc ipſum Monſtrum amâſti, & in cor tuum admiſiſti, evaſiſti quodammodo tam malus, quàm bonus eſt Deus. Agnoſce ſtatum ſummæ tuæ miſeriæ, té-

téque propterea in profundum usque demitte; Age gratias Misericordiæ Dei tui, quod manum tibi ad liberandum te porrigat; & quoniam ad destruenda tua peccata etiam indiget voluntate tua, omnem illam adhibe, ad abominandum omne malum, quod patrâsti, & pete à Deo, ut suâ te gratiâ ita roboret, ut eo modò possis resistere peccato, quo peccatum resistit Deo.

II. Considera *malum, quod peccatum gignit in hac vita.* Peccatum enim primò destruit habitus virtutum supernaturalium, & dona Sancti Spiritûs; & relinquit animam cadaveris instar, ob mortuam in illa fidem & spem. Secundò privat animam bonîs immensis, quæ continentur in gratia, cujus gradus vel unicus prævalet universo mundo, cùm illa sit donum maximum, quod Deus puræ creaturæ in hac mortali vita largiri potest. Tertiò spoliat animam omnibûs bonorum operum meritîs, spoliat illam titulô & prærogativîs filii Dei, amicitiâ Dei, & jure illo, quod habuit ad Patris sui cœlestis hæreditatem in cœlo. Postquam verò

animam bonîs omnibûs ſpoliavit, omni miſeriarum genere illam implet; Mentem replet tenebrîs & erroribûs; voluntatem replet duritie & averſione à Summo Bono; Appetitum concupiſcibilem replet effrænatîs concupiſcentiîs ac deſideriîs; iraſcibilem verò omnium bonorum operum nauſeâ; corpus replet impuritatibûs, & ſenſus externos confuſionibûs; ac efficit, ut anima illa, quæ priùs erat vivum Divinitatis templum, fiat ſpelunca dœmonum, & draconum nidus. Quî ergo fieri poterit, ut creatura, lumine rationis prædita, & vera fide illuſtrata, tantum ſibi malum peccando inferat, & poſtquam peccavit, quî fieri poterit, ut in ſtatu tam infelici hilariter vivat, ſi tamen iniquitatem ſuam attentiùs conſiderando ruminet? Verùm non illam ruminat, ſed integram devorat: *Os impiorum devorat iniquitatem. Prov.* 19. *v.* 24. Erubeſce de te ipſo, & propone, tuum deinceps corpus, utpote ſeductorem tuum, ùt meretur, perſequi; atque cùm malum, quod & Deo, & tibi intuliſti, aliud non habeat remedium, quàm pœni-

nitentiæ lachrymas, pete oculis tuis à Deo duos lachrymarum fontes, & cordi tuo verum pœnitentiæ ſpiritum, quo jacturas tuas poſſis reſarcire, & injurias tum Divinæ Majeſtati, tum animæ tuæ illatas, in temetipſo pro meritis vindicare.

III. Conſidera *malum, quod minatur peccatum in vita futura*; nempe damnationem æternam. Expende aliquantùm attentô animô, quid ſit habitare ſecundùm corpus & animam in igne tam horribili, ut ipſos adeò montes devoraret, & ibi habitare per cuncta ſecula; cùm tamen vel ſolum acumen noſtratis flammulæ breviſſimô temporis ſpatiô tolerari non poſſit, quæ tamen flammula pictus propemodum ignis eſt, ſi infernis ignibus comparetur. Expende pariter aliquantùm; quid ſit in perpetuum perdere Deum Miſericordiæ, qui ſe totum cum omnibus ſuis perfectionibus divinis in id impendit, ut animam in cœlo æternùm beatam faciat; & ejus locô invenire Deum Juſtitiæ, qui ſe totum in id impendit, ut æternùm cruciet animam rebellem, eique in-

infligat ictus adeò graves, ut illa ſemper agnoſcat, ab Omnipotente ſe percuti. Poſtquam nonnihil intellexiſti, quid ſit damnari, obſerva, quòd tam crudelis agendi modus cum anima, paulò ante Domino tam dilecta, ſit actus Divinæ Juſtitiæ, id eſt, actus infinitæ Rectitudinis, quæ nec falli aut errare umquam poteſt, neque in re ulla excedere; & quæ poſt examinatum in ſua Bilance, ex una quidem parte peccatum, ex altera verò illud malorum omnium barathrum, æquiſſimè iudicat, peccatum eſſe confuſionem & recti ordinis perturbationem adeò magnam, ut pro ea tollenda, & reddendo Divinæ Majeſtati honore, per malum illum peccati actum ablato, neceſſaria ſit pœna, in doloribus, quos continet, immenſa, & in ſua diuturnitate infinita. Hoc eſt judicium, quod de peccato ſtatuit Deus; an audebis te ipſius opinioni opponere, tibíque perſuadere, Divinam Sapientiam hac in re falli & errare? At cùm illa non poſſit errare ſive in hoc, ſive in ullo alio, quomodo inhorreſcere debes, quòd vel ſemel duntaxat peccaveris? & quo-

quomodo hic proditor adeò tibi poteſt adulari, ut novîs indigeas rationibûs, illum non admittendi rurſus in tuum pectus? An forſan hæc ſententia nondum eſt in tot ac tantis hominibus vel ob unicum duntaxat peccatum executioni data? Et ſi peccatum unicum ſufficit ad accendendum ignem æternum pro illis infelicibus, an tu animum habebis, ut novîs peccatîs nova iterum ligna adjicias ad illud incendium, quod & tu majori cum ratione tibi timere juſtiſſimè potes? Propone igitur, ſumma cum generoſitate cuilibet tentationum generi reſiſtere, etiamſi te oporteret mille vitas impendere; fatere, te indignum eſſe, qui oculos in cœlum attollas, quod tantopere peccando contempſiſti. Obſtupeſce, & admirare temeritatem tuam, qua te ita geſſiſti, veluti nullus pro te foret infernus: pete veniam, quòd adeò graviter Deum tuum offenderis, eúmque coëgeris ad pronuntiandam adversùs te ſententiam adeò formidabilem, dum peccâſti; & per Miſericordiam illam, quam quidem non mereris, quæ tamen ipſi eſt propria,

pria, illum roga gratiam, citiùs omnem è venis tuis fundendi ſanguinem, quàm ut illum iterum offendas.

Meditatio Quarta

Pro Die Secunda.

De Morte.

I.

COnſidera, quòd Ezechiel Propheta, ut mortem nobis deſcribat, illam tertiò appellet finem: *Finis venit, venit finis; nunc finis ſuper te. Ezech. 7. v. 2.* ídque propterea, quia mors trium rerum eſt finis; eſt nempe finis omnium ſenſibilium; omnium deceptionum, & omnis temporis. Eſt itaque Mors *Finis omnium Senſibilium*; Non noviſti aliquando alium aliquem Sodalem tuum, olim viventem, nunc verò mortuum? Jam vide, quomodo illi finitæ ſint omnes ipſius commoditates, amicitiæ, converſationes, neceſſitudines; finitæ ſunt illius in veſtitu vanitas,

nitas, prompti ſermonis gratia, ſuperbia vitæ, alienæ laudis gloria; finita ſunt illius lucra, illius mercimonia, illius oblectamenta, illius voluptates; verbô: finita ſunt illa omnia, quæ forſitan quæſivit, ut ſenſibus ſuis ſatisfaceret. Ita poſt paulò & hæc omnia finientur tibi; tuúmque corpus brevì tam fœtidum evadet, ut, licèt diutiùs habitare quis poſſit in vicinia fimeti, nemo tamen habitare diutiùs poſſet in vicinia cadaveris tui in hac terra. Quid igitur tantam rebus temporariis ſolicitudinem impendis? quid ſaccum hunc putredinis, qui eſt caro tua, tam ſedulò curas? quid omnia ſus déque vertis, ut illi blandiaris, ſi hæc omnia nullum alium finem habent, quàm quòd lautiorî conviviô vermes in ſepulchri loculo aliquando ſaginentur? Si poſt annos pauculos omnis hic mundus redigendus eſſet in cineres, non aliter tu illum reſpiceres, quàm ſi jam modò jaceret in cineribus. Jam verò, ſi mortuus tu aliquando fueris, tibi mundus redactus jam erit in cineres, quia tu illum aliter, quàm in cineres redactum

actum, in extremo nempe Judicii die, non ampliùs unquam videbis. Nihilominus tanto amore in bona hæc transeuntia raperis, velut illa moriendo deserere numquam deberes, tantô desideriô scenæ istius visibilis teneris, ac si non esset mera bonorum apparentium species; laboras cum tantis periculis, cum tantis sudoribus onerare navem, quæ dissolvi jam incipit, ac in profundum mergi; in hac arena tam mobili domum laboras exstruere, quæ iam vacillat, & in te propediem corruet, suáque ruinâ te opprimet. Quotidie imminentem hanc à sensibilibus omnibus separationem tibímet ipsi magìs difficilem reddis, dum iis cor tuum magìs identidem agglutinas. Et quamdiu tandem adeò perditè boni umbram persequi voles, quæ te fugit? *Usquequo gravi corde - - diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. v.* 3. Demirare imprudentiam tuam, qua hucusque res transitorias tanta consectatus es cum anxietate, quæ major esse non potuisset, si res illæ fuissent æternæ; propone, quòd omnia, quæ in

in mundo ſunt, quia paucos intra dies illa relinquere cogéris ex neceſſitate, jam nunc relinquere velis cùm magno tuo merito, & ab illis affectum omnem reſcindere, eúmque ad ea transferre, quæ ab infami hoc latrone, morte nimium, auferri tibi numquam poterunt, ſed te in alteram quoque vitam comitabuntur, ac ſemper tecum permanebunt: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat. Luc. 12. v. 33.* Gratias age Deo, quòd tempus tibi indulgeat ad corrigendos hos errores tuos, eúmque roga demiſſiſſimè, ut, ſi vixiſti hactenus, acſi moriendum tibi non eſſet, vivas impoſterum, acſi mortuus jam eſſes.

II. Conſidera, quòd mors ſit *finis omnium deceptionum.* Communiſſima miſeræ hujus vitæ deceptio eſt, quòd terrena, utpote ſenſibus noſtris vicina, nobis videantur magna; cœleſtia verò, utpote longiùs à nobis remota, parva nobis videantur. Similiter ærumnæ & pœnitentiæ videntur graves, & peccata videntur nobis levia: *Dicitis bonum*

malum, & malum bonum. Iſa. 3. *v.* 20. Sumus hîc velut in hypocauſto, quod plenum eſt fumô, nec videre nos ſinit ſive id, quod intus eſt, ſive ea, quæ foris ſunt; malè cognoſcimus præſentia, pejùs adhuc futura. Verùm in hora mortis hîc fumus evaneſcit, hæ tenebræ diſſipantur; Anima, quæ talpæ inſtar clauſos ſemper oculos tenuit, eos incipit aperire; tum verò temporaria cuncta, utì revera ſunt, videntur illi eſſe nihil, ſola verò æterna incipiunt illi apparere, ùt grandia: *Quod æternum non eſt, nihil eſt.* Et quoniam peccata noſtra dubiam reddunt ſalutem noſtram, incipiunt illa nos immodicè gravare ac premere; non aliter ac navis, in terram extracta, quæ, dum in aquis natabat, gravis ſui ponderis nullum faciebat indicium. Quid igitur faciet homo, deliciarum ac hilaritatis amans, qui deceptiones ſuas agnoſcere negligit in illam uſque horam? Quanti æſtimabit ſuas illas voluptates, quibûs nec in minima quidem parte ex amore Dei ſui privare ſe voluit, & quas modò diſparuiſſe conſpicit? Quam ratio-

tionem habebit reſpectuum illorum humanorum, atque dicteriorum, ob quorum timorem bonas inſpirationes toties rejecit, ac divinæ ſeſe oppoſuit voluntati? Qantopere illum gravabunt ea ſcandala, quibûs alios ſe minores poſt ſe traxit, & malô exemplô ſuô ſeduxit? Quàm ſtultum ſe appellabit, quòd factus ſit Proborum deriſor, cùm illorum vitæ potiùs debuiſſet fieri ſectator? Diſce parumper opportunum à morte conſilium, & illius ſta iudiciô, quod rectum ſemper & juſtum eſt: *O mors! bonum eſt judicium tuum. Eccli.* 11. *v.* 3. Jam nunc, dum tempus habes, id age, quod ſub id tempus actum aliquando voles; & in tempore nunc fuge, quod tunc fugiſſe te fruſtra deſiderabis, niſi proponas, priùs tibi providere, quàm neceſſitas immineat, vigilando ſemper, tamquam ſervus fidelis, antequam veniat Dominus. Erubeſce, quòd, cùm vita tibi ſit ſolùm ideo conceſſa, ut diſcas mori, tam parùm tamen attenderis ad condiſcendam hanc ſcientiam, & veritatem tanti momenti vix non penitus oblivione deleveris; roga in-

ſuper Deum per mortem illam acerbiſſimam, quam ipſe pro te ſuſtinuit, ut gratiam tibi largiatur, qua emendare te queas.

III. Conſidera, quòd mors ſit pariter *finis omnis temporis*. Magnum eſt beneficium, quod nobis confert Deus, quia dum Angelis pauca ſolùm temporis momenta conceſſit, quibûs coronam ſuam mereri poſſent, nobis longum adeò plurium annorum ſpatium indulget. Verùm quid nobis prodeſt hoc beneficium, ſi tempus adeò pretioſum, quod bene deberet collocari, perdatur inutiliter, vel etiam in animæ detrimentum impendatur? Agedum! favor hic ſingularis brevì finietur: *Tempus non erit ampliùs. Apoc.* 10. *v.* 6. Et reipſa jam nunc, hac ipſa hora, qua mortem meditaris, quot homines tempus ſuum finiunt, qui, ſi redire poſſent ad inchoandam denuo vitam, & meliùs componenda animi ſui negotia, quid non impenderent? Teipſum pauliſper interroga? ſi hoc ipſo momento moriendum tibi foret, quid non dares pro longiori nonnihil temporis ſpatio ad

agen-

agendam pœnitentiam, & ſalutem tuam in meliori ſtatu collocandam? Quantum tibi foret ſupplicium, ſi hoc momento apparere deberes coram Tribunali divino, & manus exhibere bonorum operum vacuas, animi verò conſcientiam tot malîs operibûs onuſtam? ſi comparere ibi deberes illo ipſo tempore, quo tot Viri Religioſi, tot ſacratæ Virgines, tot alii probi Chriſtiani comparebunt etiam ipſi, pleni magnîs meritîs, ac tot tantíſque victoriîs, à dæmone & carne ſua reportatîs? Quomodo igitur tot bonorum operum occaſiones hilariter præterlabi ſinis, & majoribus itentidem periculis per nova peccata te exponere non dubitas? An fortè, ſi malè mortuus ſemel fueris, redeundi tempus habebis ad emendandum errorem? *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr. 9. v. 27.* id jam noviſti; & nihilominus etiamnum differs te parare ad infinitæ conſequentiæ negotium, cujus gravitas Angelorum omnium linguîs ſatis explicari non poſſet? Momentô unicô rebus omnibus temporariis vivere deſines; momentô unicô Judicem

tuum videbis; momentô unicô omnia tua peccata, & omnia ingratæ mentis tuæ crimina tibi objicientur in faciem; momentô unicô irrevocabilem tuam audies ſententiam, manendi ſemper vel cum Reprobis, vel cum Electis. An omni vitæ tuæ tempore habere potes momentum, quod gravioris aut majoris ſit momenti? Tu tamen illius tam immemor vivis, veluti ſi longè id etiamnum abeſſet. Si in Indias uſque migrandum tibi foret, quanta cum ſolicitudine & cura ad iter adeò longinquum parares neceſſaria? Nunc verò dum unico ſaltu immenſam illam viam, quæ tempus inter & æternitatem interjacet, emetiri deberes, animum habes, magnum hunc ſaltum ex improviſo tentandi, quin priùs aliquantùm retrocedas, ut opportunè te præpares, veluti ſi malè moriendo perdere nihil poſſes, aut certè id, quod ſemel perdidiſti, aliàs recuperare iterum poſſes? Numquid tua tibi vecordia videtur prodigioſa, ſi, dum agitur de tam magno tuo commodo, tu tamen dormitare pergas? Eja! cogitationes tuas excita,

ta, & propone, omnia reliqua negotia habere pro ſomnio in comparatione graviſſimi hujus negotii, quod tibi incumbit, procurandæ videlicet beatæ mortis. Nulla diligentia poteſt eſſe nimia, dum æternitatis beatæ ſpem locô meliorî collocare poſſis: *Magìs ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 2. Petr.* 1. *v.* 10. Erubeſce igitur de præterita negligentia tua, & multò magìs de tua temeritate, qua tam impudenter auſus es peccare, & tempus illud, quod tibi duntaxat ad ſerviendum Deo conceſſum fuerat, impendere ad illum offendendum. Deteſtare illam ex intimo corde, & roga Deum, qui eſt Rex ſeculorum, ut largiatur tibi auxilium, recuperandi tempus perditum, & bene impendendi tempus illud, quod Ipſe deinceps tibi ad ſalutem tuam indulgebit; cùm paulatim incipiat ingruere nox, quando nemo ampliùs poterit operari: *Venit nox, quando nemo poteſt operari. Joan.* 9. *v.* 4.

Sacrorum Exercitiorum
Dies Tertia.
Meditatio Prima.
De Morte Peccatorum & Justorum, expreſſa in morte Epulonis & Lazari.

I.

CONſidera in Epulone *Ideam vitæ & mortis Peccatorum.* Tria potiſſimùm vitia in ejus vita inſinuat Evangelium: Amorem malè ordinatum Divitiarum: *Erat quidem dives.* Nimium amorem honoris & gloriæ: *Induebatur purpura & bysſo ;* qui erat veſtitus ſupremorum Magiſtratuum ; & malè pariter ordinatum amorem voluptatum: *Epulabatur quotidie ſplendidè ;* eo duntaxat fine impendendo divitias, ut ſuis ſatisfaceret ſenſibus, quin ullam illarum partem largiretur languenti ac infirmo Pauperi. Si Dives hic noſtrîs tempori-

ribûs viveret, quot & quanti beatum illum appellarent? Honorari ab omnibus, timeri, & anteponi æqualibus, contemnere minores, imperitare populo, natare in deliciis, abundare pecuniarum copiâ, ut pro ſuo genio vivere, ſibíque ſatisfacere queat, quanta felicitas! Ita ſanè de ſeipſo exiſtimabat hic Dives, unde & dicebat: *Anima mea, habes multa bona, repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Luc.* 12. *v.* 19. Sed adverte pauliſper, ùt paulò pòſt mutetur hæc ſcena: pauculîs diebûs in falſa iſthac felicitate transactîs, atque, ut ita dicam, in ipſo hoc læto ſomnio, ecce! adeſt repentè Mors, ut illi ſurripiat omnia: *Mortuus eſt Dives.* Sed parùm aut nihil hoc eſt; poſt primam hanc mortem, ſequitur mors ſecunda, & ſepelitur illius anima in igneo mari: *Et ſepultus eſt in inferno;* conſtitutus eſt videlicet in ſtatu infinitæ miſeriæ, in quo juvari ad recuperandam vitam non poterit, quemadmodum ad vitam priſtinam revocari non poteſt, qui mortuus ac ſepultus jam eſt. Ubinam modò eſt

purpura? ubi comitatus aulicus? ubi famulantium turba? ubi divitiæ? ubi deliciæ? ubi applausus? ubi facetiæ? Præterîerunt omnia velut umbra: *Transierunt omnia illa, tamquam umbra. Sap.* 5. *v.* 9. in eorum vicem successit ignis inextinguibilis, jactura summi Boni irreparabilis, desperatio æterna; semper enim desiderabit aquæ guttulam ad refrigerandam linguam suam, & numquam illam poterit obtinere. O! si loqui tibi posset, quid diceret tibi de statu suo præterito & præsenti? Si redire ad vitam posset in hac terra, credísne, illum desideraturum vivere in exercitio pœnitentiæ continuo plùs Davide? futurum patientem plùs Jobô? castiorem Josephô? liberaliorem in pauperes Abrahamô? Sed jam locus non est corrigendo ipsius errori; at tibi locus & tempus superest, si noveris aliorum damnô sapere, & contemnere modicum illud mellis, quod per palatum tam citò defluit, & æternum in visceribus dolorem relinquit: *Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat.* Quis igitur densum adeò lutum

li-

linit ſuper oculos animæ tuæ, ut veriſſimas iſtas veritates non videas? Deteſtare tempus illud, quo eas non percepiſti; ſtatue, nunc demum inchoare vitam, cogitationibûs hîſce dignam; Hoc enim eſt eſſe ſapientem, cognoſcere res, antequam eveniant; nam poſtquam illæ jam evenerunt, etiam ſtulti eas cognoſcunt, & ſinè fructu deplorant. Propone igitur, aliud deinceps non æſtimare, niſi quod æternùm durat. Roga denique Deum, ut incomparabili Fidei dono, adjungere quoque dignetur donum intellectûs, ut ſublatîs ignorantiæ tuæ obſtaculîs, cognoſcas & impleas veri Chriſtiani partes, & in præmium referas vitam æternam: *Intellectum da mihi, & vivam. Pſal.* 118. *v.* 144.

II. Conſidera in miſero illo Lazaro *Ideam vitæ & Mortis Juſtorum*; ſiquidem ille vitam ſuam omnem exegit in paupertate, contemptu, & doloribus. Quis illo majores ſuſtinuit dolores, cùm illius corpus fuerit unicum quodammodo aut ulcus, aut vulnus? *Ulceribûs plenus*; quis illo magìs erat con-

contemptus, cùm nuſpiam invenerit miſerationem ullam, niſi à canibus? *ſed & canes veniebant & lingebant ulcera ejus.* Quis illo minùs quibûsvis rebûs temporariîs inſtructus erat, cùm deſideraverit ſedare famem decidentibûs de menſa divitis duntaxat fruſtulîs & micîs, quas tamen obtinere non potuit? *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Divitis, & nemo illi dabat.* An ergo Deus ſic agit cum amicis ſuis? Ita eſt; ita omnino cum illis agit; vult enim, ut per bonorum iſtorum ſenſibilium ac momentô transeuntium defectum ſibi comparent immenſum bonorum inexplicabilium ac æternorum pelagus. Quid ais? an te ſpectaculum adeò miſerandum exterret? Si te exterret, ſignum eſt, quòd res iſtas examines non fidei, ſed ſenſuum bilance. Ecce! brevì aderit mors, ut finem imponat miſeriis omnibus, & Mendicum iſtum felicitatis omnis poſſeſſorem efficiat: *Factum eſt, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* In hoc beatitudinis ſtatu Deus ipſe manibûs ſuîs la-

lachrymas ab oculis ejus abſtergit; collocatur in throno Divinitatis; admittitur ad poſſidendum bonum illud immenſum, quo Deus ipſe beatus eſt. O paupertatem felicem! O pretioſos dolores! O derelictiones fortunatas! An audebis ſuſtinere contrarium, quin tamen & Evangelio, & Chriſtiani, quem prætefers, Profeſſioni renunties? At ſi contrarium ſuſtinere non audes, cur igitur hujus vitæ bona tanto cum deſiderio conſectaris? Cur fugis ærumnas, adverſa, opera pœnitentiæ, cruces, quas tolerare oportet pro obſervanda lege divina? O crucem beatam, quæ in tantam commutatur gloriam! Revoca jam, ac depone præteritas opiniones tuas, à vero tantopere alienas; Deteſtaſtare millies imperiti ac fallacis Mundi leges & dictamina; ſtatue reſiduam tibi vitam ad leges & regulas æternas exigere; & Redemptori tuo demiſſè ſupplica, ut, cùm ipſe in terras venerit, ut ſuo lumine mundum omnem colluſtraret, non te diutiùs ſinat in tenebris incedere, ſed impertitâ tibi Sanctorum ſcientiâ, te filium lucis efficiat, & ùt filium

lium lucis incedere faciat. *Ut filii lucis ambulate. Ephes.* 5. *v.* 28.

III. Confidera, *cuiusnam vitæ tua vita sit similior, & cujusnam morti mortem tuam magìs fore similem sperare possis*; vitæ & morti Epulonis, an verò vitæ & morti Lazari? Si divitiîs affluis, diligenter adverte, te collocatum in statu, qui saluti tuæ sit valde oppositus; atque idcirco solicitè cave, ne tuum illis cor affigas: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal.* 61. *v.* 11. Alioquin subibis periculum audiendi formidandam illam & horrificam vocem, Damnationis æternæ prodromam: *Væ vobis divitibus! Luc.* 6. *v.* 24. Si vivis in deliciis, cautè invigila, ne illis ad usque satietatem te ingurgites, ita, ut modicum illud bonorum operum, quod egisti, hac tibi moneta sit penitus persolutum, tibíque postmodum nihil remaneat, præter peccatorum tuorum debitum, quod expungere nequeas: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Luc.* 6. *v.* 25. Si honoribûs emineas, solerter cave, ne illi in æternum convertantur opprobrium:

brium: *Væ, cùm benedixerint vobis homines. ibid. v. 26.* E diverſo, ſi Divina Providentia in ſtatu te conſtituit paupertatis, abjectionis, & adverſitatis, curiosè attende, ne huic Ordini, à Patre tuo cœleſti conſtituto, te opponas, neque calicem illum, quem ſuîs ipſe manibûs tibi porrigit, cum iracundia & furore à te repellas; nam alioquin inutiles reddes amabiliſſimos illos ductus, quibûs ille utitur, ad te in cæleſtem Patriam rectà dirigendum, qui quàm maximè ſunt dolores & adverſa. Quid? An ad cœlum pergere tu voles viâ latâ? At hæc eſt via perditionis & interitûs, non ſalutis. An voles, ut ſufficiat, vitam omnem contaminâſſe quovis peccatorum genere, poſtmodum verò ultima vitæ momenta, quæ mortem proximè præcedent, conſecrare Deo? An voles, ut ſufficiat, nil aliud præter peccata ſeminare, ad colligendos inæſtimabiles bonorum omnium fructus? Itáne teipſum amas ſtudiosè decipere, ubi deceptio integram tibi miſeriarum æternitatem advehit? *Periiſſe ſemel, æternum eſt.* Propone igitur contemnere

re omnes vitæ mundanæ vanitates, & libentî animô acceptare, quidquid tolerare te contigerit, ut vitam Christiani hominis vivas; &, quoniam æquum non eſt, ut nullo aut exiguo tibi pretio ſtet acquiſitio illius Regni, quod Dei Filius omni ſuo ſanguine comparavit, offer teipſum Deo, ut tecum agat pro ſuo beneplacito, dum benignè te habeat in æternitate: *Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas.* Fatere denique, quòd juſtiſſima foret damnationis tuæ ſententia; ſiquidem jam *Recepiſti bona in vita tua.* Statue nihilominus, adhuc in tempore ad Redemptorem tuum appellare, ut cauſam tuam mutare dignetur per ſuam gratiam, qua præ ceteris peccatoribus ob tuam duritiam magìs indiges.





Me-

Meditatio Secunda

Pro Die Tertia.

De eo, quod in Morte accidit corpori.

I.

COnſidera corporis tui ſtatum, qui mortem proximè præcedit, qui mortem comitatur, & qui mortem conſequitur, ut inde condiſcas, corpus tuum in poſterum non tanto cum fervore diligere, ùt uſque adhuc dilexiſti. Quod *mortem proximè præcedit*, plerumque eſt morbus aliquis; proinde tibi, ùt veriſſimum, in animo finge, te ab aliquo jam tempore ex morbo decumbere, morbum tuum pedetentim augeri & creſcere, varia identidem accedere ſymptomata, eáque permoleſta, ùt febrium æſtus, nauſeam, dolores, timores vicinæ mortis, ſalutationes Amicorum & Medicorum, qui ſæpenumero ærumnam augent, quam lenire ac mitigare cuperent. Interim debilitantur

ſenſus, deficit phantaſia, internæ potentiæ neceſſariîs ad exercendos ſuos actus ſpiritibûs deſtituuntur, infirmus dejicitur tædiô, langueſcit, patitur deliquia; & vel ad ipſos naturæ actus exercendos idoneus non eſt, neque aliud animô jam volvere poteſt, præter dolores ſuos. Hic erit corporis tui ſtatus ante vicinam mortem, quando hæc te latronis inſtar improvisò non obruit. Nihilominus hoc ipſum tempus, quod jam habes, quàm parùm erit idoneum componendis animi tui Rationibus? Eſſe tamen poteſt, quòd ad ejusmodi tempus, non modò tam incertum, ſed & plerumque tantopere impeditum, diſferas poſſibilium omnium negotiorum maximum, negotium videlicet certam reddendi ſalutem tuam. Indubitatum eſt, tanti noſtrâ intereſſe beatam mortem, ut, ſi homo extitiſſet ab æterno, ſéque ad hanc mortis horam ab æterno comparâſſet, nequaquam tamen hæc præparatio fuiſſet nimia. Fieríne tamen poſſit, ut, poſtquam omnem vitam tuam in vanitatibus, ineptiis, & erubeſcendis flagitiis inſumpſiſti, tu nihilo-

hilominus poſtmodum ſperes, te præmiſſa tumultuaria duntaxat præparatione mox fore paratum ad reddendam Summo Judici totius vitæ tuæ rationem, atque tot inter & corporis & animi perturbationes facillimum arbitreris, unicô momentô Rationes componere tam intricatas, & deteſtari mox ſuper omne malum peccata illa, quæ præ ſummo Bono antehac amâſti ſemper, ſicque ab uno extremo ad alterum uno velut impetu tranſilire? Quidſi autem neque iſtud tibi tempus indulgeatur, quod & negatur multis, & nemini unquam promiſſum fuit à Deo? Quidſi iſtud ipſum tempus, ſi tibi concedatur, non tamen tibi ſufficiat ad avellendum penitus cor tuum à peccatis omnibus? Quidſi illa confeſſio, ſub poſtremum hoc tempus peracta, animata non ſit ſincero cordis dolore, utì requiritur? Verbô, ſi Deus non velit in te patrare divinæ ſuæ gratiæ miraculum, quod neutiquam es meritus, quodnam dein per omnem æternitatem tibi remedium ſupererit? Nónne animadvertis, te morti obviàm ire, non ſecus ac beſtia, quæ ad macellum du-

citur; de morte ne quidem cogitando? Et quamdiu tandem hæc tua ſtultitia perdurabit in negotio, ex quo dependent omnia, dum in rebus aliis, quæ nullius ſunt momenti, es adeò cautus & ſolicitus? Erubeſce ob hanc tuam inconſiderantiam adeò temerariam; gratias Deo redde, quòd, cùm vitam tibi in hac cœcitatis tuæ nocte potuiſſet eripere, te tamen miſeratus, indulſerit tibi tempus hanc tuam inſaniam corrigendi. Propone, ſæpius deinceps cogitare de morte & ſalubri hac cogitatione reſiduam tibi vitam in meliorem ordinem redigere; Deum denique precare, ut incomparabili huic conceſſi temporis beneficio hunc etiam favorem adjiciat, tibíque vires largiatur, ut quàm maximum inde fructum reportare noveris.

II. Conſidera corporis tui ſtatum *mortis ipſius tempore.* Progreditur identidem morbus, téque ad extrema reducit; Medici te deſeruêre; Sacerdos adſtat ad lectuli caput; ſacratus tibi porrigitur cereus; & quia hunc retinendi vires tibi non ſuppetunt, in tenendo illo juvaris à circumſtantibus; oculi obte-

tenebrantur ; lingua graveſcit ; labia liveſcunt ; marceſcit facies ; extollitur pectus ; pedes intumeſcunt ; remittit anhelitus ; arteriarum pulſus intermittitur, ac ceſſat ; moreris, & anima tua recedit à ſocio illo corpore, quod adeò carum tot annîs habuit. Atque ita momentô unicô ablata tibi ſunt omnia ; nullus pro te jam ſupereſt mundus, cœlum nullum ; nullus jam tibi lucet ſol ; nullus tibi campus eſt ; nulla tibi civitas, nulla tibi domus, nullæ ampliùs divitiæ, nullæ deliciæ, nulli ſunt tibi honores, nihil è rebus omnibus temporariis. Mors infamis hic & magnus latro tibi ſuſtulit omnia, ſinè ulla relicta ſpe, illa tibi reddendi ad extremum uſque Judicii diem. Quandónam verò in hoc te ſtatu conſtitutum videbis? Converte animum ad præterita, & attende, quàm breve fuerit tempus illud, quod hucusque tibi præterîit ; non majus, imò brevius erit tempus illud, quod tibi ſupereſt. Citò, citò veniet dies illa, cujus matutino tempore vivus etiamnum eris, at veſpertino mortuus ; aut ſub cujus veſperum vives, & inſe-

quenti matutino iacebis exanimus. Et ſi dies hic fatalis tibi iam nunc adeſſet, quid egiſſe te velles? An velles, ut in Eccleſiis magna cum pompa te oſtentâſſes, acſi fores mundi Dominus, & gloriæ tibi duxiſſes, profanare locum ſanctum; an verò velles, ſumma cum reverentia te ibidem fuiſſe verſatum? An velles, te ſingulìs momentìs ſanctiſſimum Dei Nomen contumeliosâ tuâ linguâ violâſſe; an verò malles, te illud identidem magno cum animi ſenſu invocâſſe? An velles, te pauperes abegiſſe cum iracundia; an verò magna illis cum caritate ſuccurriſſe? An velles proximi tui famam te lacerâſſe; an verò illam adversùs maledicos defendiſſe? An velles, imperia te ſubditis diſtribuiſſe cum ſuperbia; an verò cum manſuetudine, & moderatione Chriſtiana? An velles, tempus omne te exegiſſe in deliciis; an verò in pœnitentia, & bonis operibus? O cœcitatem cordis tui! certum eſſe intelligis, brevì adfuturam horam illam, in qua nil aliud magìs ſit tibi diſpliciturum, quàm malum peccati, nec aliud tibi ſit placiturum, præter bonum vir-

virtutis; & nihilominus vivere pergis, veluti numquam futura ſit illa hora. Expergiſcere tandem de hoc ſomno mortis! An fortè hîc ſermo non eſt de te? An fortè non agitur de ſummo tuo commodo? An fortè in hoc ipſo periculiſſimo ſtatu te brevì conſtitutum non videbis? Ah! potentiarum tuarum vires omnes adhibe ad deteſtandam præteritam ſocordiam tuam, & concipiendum inde ruborem; veniam à Deo amariſſimîs pete lachrymîs; convertere ad Virginem Matrem Sanctiſſimam, ut illa, cùm univerſalis omnium ſit peccatorum Advocata, potiſſimùm in hora mortis; tua quoque jam nunc ſit Advocata, tibíque impetrare dignetur & tempus & auxilium ad agendam pro peccatis tuis dignam pœnitentiam, & ad illa deinceps corrigenda.

III. Conſidera ſtatum corporis tui *poſt mortem.* Quamprimum anima tua fuerit ab illo ſeparata, remanebit hoc deforme admodum, ac turpe, pallidum, frigidum, horridum, fœtidum, putidum, & quovis jnmento magìs abominandum; non ſe movet, non ſentit; deſeritur à famulis; qui illud re-

verebantur, tergum nunc illi vertunt; qui illud antea timebant, jam illud sinè timore huc illuc vertunt. Atque ita vestitur denuo, compingitur in sandapilam, effertur è domo, deportatur ad templum, & postquam à circumstantibus non sinè horrore conspectum est, absolutîs brevi tempore exequiîs, aperitur sepulchrum, & injecto in illud corpore, curiosè clauditur, ne illud suo fœtore viciniæ morbum contagiosum invehat. In funesto hoc loco, in his tenebris, in his horroribus, desertum à carissimis etiam propinquis suis, oblivioni traditum ab amicis, despectum ab omnibus, relinquitur miserum corpus in potestate vermium, qui paulatim à carnis putrescentis corruptione prognati, patrem suum devorant, illúmque brevì eò reducunt, ut omnia simul totius Orbis fœtentia stabula odorem non adeò gravem spirent. Denique, postquam cadavere ad satietatem usque pasti sunt vermes, moriuntur etiam ipsi, suóque fœtore cadaveris fœtorem exaggerant; post ossa demum carne penitus exspoliata, corpus omne redactum in cine-

cinerem vix manum implebit. At numquid hoc corpus illud eſt, quod ut molliter haberet anima, toties maluit renuntiare cœlo? Numquid hoc corpus illud eſt, quod veſtibûs involvebatur adeò pretioſis; quod incolebat conclavia tam magnifica; quod tanta ſolicitudine adversùs quæcunque muniebatur incommoda, adeò ut divinæ quoque Leges infringerentur, ut illi ex omni parte ſatisfieret? Ita eſt; hoc ipſum eſt corpus illud; & tamen adeò à ſe ipſo diverſum, ut illo ſit jam potior bufo in ſuo latibulo. O Mundum infelicem! & quando decipi ac decipere deſines? Ergóne omnes pompæ, voluptates omnes, omnis pulchritudo, omnis elegantia deſinit in fœtidum ſterquilinium, aut carcinoma? Et tamen eſt invenire multos adeò Chriſtianos, qui ob ſterquilinium iſtud hæreditatis ſuæ cœleſtis portioni renuntiant! Imaginare tibi paululùm, animam tuam, poſtquam corpus in ſtatum hunc miſerandum fuerit reductum, ad illud in ſepulchro viſendum adduci; quid diceret miſera, memor, quanta ob illius amorem peccata com-

miſerit; quòd ob illius amorem Divinam à ſe gratiam projecerit; quòd ob illius amorem Divinam contempſerit amicitiam; quod in illius gratiam tot alios perdiderit homines, dum eos exemplô ſuo peſſimô pertraxit ad peccatum? & quem in finem denique? ut corpus illud ſua putredine lautius aliquando convivium vermibus appararet. Quantum illa tunc horrorem conciperet ex indigniſſima hac agendi ratione? Quàm ardenter optaret, ut ſibi liceat conſumptis illis membris novam impertiri vitam, ut illam auſteriore vivendi genere afflictare, caſtitatis virtute perpurgare, atque ùt vivum Templum Dei honoribus conſecrare poſſet? Nunc animæ tuæ ſupereſt idipſum faciendi tempus; tunc id optabit incaſſum. Oculos igitur aperi ad palpabilium iſtarum veritatum lumen; ſtatue, in poſterum non tam indignè perdere tot occaſiones, quæ tibi ſuppetunt, dignos faciendi pœnitentiæ fructus; erubeſce, quòd tanto tempore communi plurimorum deceptione faſcinari te ſiveris; & quoniam hæc mortalis vita demum deſinit in pauxillum pul-

pulveris, roga Deum, ut gratiæ ſuæ tibi largiatur auxilium, ut vitam hanc, ùt decet, parvi pendas, ac deinceps non æſtimes, niſi quòd æternùm durat.

Examen

Pro Die Tertia.

De Confeſſione

I.

EXamina, *quanti facias* immenſum beneficium, quod Deus tibi per ſacrum Pœnitentiæ Myſterium confert, quódque fons quidam eſt, proſiliens è Servatoris noſtri vulneribus, non minùs ſalubris, quàm ſalubres ſunt canales illi, per quos defluit; tantíque eſt pretii, quanti eſt ipſe Domini ſanguis. Si conſideres, quàm difficile ſit obtinere veniam injuriæ, homini ab homine illatæ, præcipuè ſi offenſus ſit Nobilis, aut Dignitate majori conſpicuus, non

non poteris non admirari Bonitatem Dei, qui Sacerdotum manibus credidit poteſtatem remittendi innumerabiles injurias Divinæ ſuæ Majeſtati illatas, quarum quælibet inexhauſtam continet abyſſum malitiæ.

II. ExaminaFructum, quem è ſacra confeſſione haurire ſoles. Res inter monſtroſiſſimas, quas apud Chriſtianos videre licet, eſt & hæc, quòd multæ adeò confeſſiones conjungantur cum tot tantísque peccatis, ac tot & toties repetitis lapſibus. In hoc Pœnitentiæ Myſterio, ſi rite parati acceſſerimus, præter gratiam, quam dicimus ſanctificantem, conferuntur nobis inſuper auxilia gratiæ, quæ dicitur actualis, tamquam veri ac proprii pœnitentiæ effectus, ad pervincenda, deſtruenda, & emendanda peccata illa, de quibus cum vero cordis dolore nos reos agimus; igitur ſi iſthoc medio tam potenti pauci admodum juvantur, neceſſe eſt, gravem admodum errorem ex eorum parte committi. Jam autem hi defectus vel ſe tenent ex parte confeſſionis, vel

ex

ex parte ſacri Judicis, vel ex parte Pœnitentis.

III. Examina proinde *Confeſſiones tuas*. 1. An ſatis ſint integræ, ſive, an per culpabilem negligentiam non omittas te accuſare de re aliqua, ad ſacrum tribunal pertinente. Id verò perfacilè accidere poteſt circa peccata, ſolîs cogitationibûs admiſſa, vel inchoata duntaxat, & opere non omnino perfecta, de quibus nonnulli, per ignorantiam in rebus Divinis ſanè magnam, accuſare ſe non ſolent, velut eorum nulla foret habenda ratio. 2. Similiter contingere idipſum adhuc faciliùs poteſt in peccatis, quæ vocantur omiſſionis, circa proprii nimiram ſtatûs obligationes, quæ à multis negliguntur, ac poſtmodum hujus ſuæ negligentiæ nullam rationem habent, etiamſi illa ipſa ſit potiſſima mundi ruina.

IV. Examina *diligentiam, quam adhibes, ad inveniendum bonum animi arbitrum.* Quæ major eſt neceſſitas, quàm pro itinere tam periculoſo, quale eſt iter ad cœlum, proſpicere ſibi de perito viæ duce? Pejùs, imò peſſimè

face-

faceres, ſi talem non modò non quæreres, ſed inſuper fugeres, eligendo Virum ejusmodi, qui te non auſit reprehendere, & curiosè vitares illum, qui malis tuis remedium afferre cuperet. Quid aliud hoc foret, quàm indicium manifeſtum, quòd ſanari non velis, ac proinde, ut clariùs loquar, quòd ſalutem æternam conſequi non velis.

V. Examina *errores, qui contingere poſſunt ex parte pœnitentis* in tuis confeſſionibus, quales forent, ſi ad confeſſionem non afferres verum dolorem, aut ſerium emendationis propoſitum. Examina proinde perquam diligenter, an eliciendo huic dolori ſtudeas, & Deum ora, ut illum tibi largiatur, quandoquidem is ingens eſt Dei donum, atque ad illum obtinendum te para conſiderando, quantæ ſit Majeſtatis Deus, quem offendiſti, quantus ſit illius in te amor, quanta beneficiorum tibi collatorum copia & magnitudo; atque ſi rationes iſtæ ſat roboris non habent, excitandi te ad veram & perfectam animi contritionem, ſaltem obtinendæ, quam vocant, attritioni

te

te impende, considerando malum, quod peccando animæ tuæ intulisti, & immensas illas æternásque pœnas, quæ in inferno te manent, si pœnitentiam vero corde non egeris, & emendare te neglexeris. Observa insuper propositum tuum, de hac ipsa emendatione susceptum, quod si in voluntate non seria & efficaci consistat, nec absolutè dicat: *non volo ampliùs peccare*; sed tantùm: *non vellem peccare*, quin ex parte tua adhibeatur ullum emendationis obtinendæ medium, quin fugiantur pericula & proximæ relabendi occasiones; tum enimvero hoc tuum propositum in tuam caderet perditionem ac interitum; quia non remitterentur tibi peccata tua, atque, si in hoc statu decederes, damnationem æternam non evaderes.

VI. Examina, quomodo *à peracta confessione te geras*. Nam tria tibi sunt agenda; primò agendæ sunt gratiæ Numini, quòd adeò facile nobis reddiderit peccatorum remedium, quod tantô ipsi pretiô stetit; secundò comparare te debes ad exsolvendam religiosè pœ-

pœnitentiam, & adjungenda etiam alia pœnitentiæ opera, ut Deo ſatisfacias; tertiò renovandum tibi eſt emendationis propoſitum, & ad illud conſtanter ſervandum petenda eſt à Deo nova gratia.

VII. Examina denique *Propoſitum, quod habes, ſæpius redeundi ad ſacroſanctum hoc pœnitentiæ balneum.* Proponere te conveniret, ad illud te rediturum, antequam de novo in antiqua tua peccata recidas; ſic enim facilè per novam illam gratiam, quam ibidem acquiris, vires ac robur acciperes, te penitus emendandi; verumtamen ſaltem illico ad confeſſionem redi, quando per ſummam tuam miſeriam in antiquam iterum cloacam relapſus fueris. Quis cum mortuo vel unica ſolùm nocte dormiret? tu verò habebis animum, & non una, ſed pluribûs adeò noctibûs, diebûs, imò menſibûs integrîs ages cum anima tua mortua? Anne eſt poſſibile, ut, cùm momentîs te ſingulîs mors poſſit occupare, tu tamen momentô vel unicô perſeverare poſſis in ſtatu hominis condemnati ad infernum, & in exti-

timo præcipitii æterni margine? Si vel ſemel tantummodo accidiſſet in mundo, ut peccator aliquis in ſuo peccato fuiſſet repentè & inòpinatò mortuus, deberet haud dubiè tragicus ejusmodi caſus per cuncta futura ſecula mortales omnes terrere, & cautos reddere; & nunc, ubi caſus hujusmodi tam frequenter accidunt, & adeò multi momentô decidunt in abyſſum, inveniri poſſit aliquis, qui idem ſibi non timeat, niſi fidem ſimul amiſerit? Agnoſce defectus tuos in tanti momenti negotio, & exerce virtutum actus, in aliis iam examinibus pro tui emendatione propoſitos.



Meditatio Tertia

Pro Die Tertia.

De bono Temporis uſu.

I.

COnſidera cauſas, quas habes, bene applicandi tempus reſiduæ tibi vitæ; ſúntque potiſſimum hæ tres; quia tempus eſt pretioſum, quia breve, quia propter ſolam animam conceſſum tibi eſt. Tempus igitur eſt *pretioſum*; quia ſingulîs ipſius momentîs lucrari tibi potes integram gaudiorum æternitatem. Ob mentis oculos tibi ſtatue immenſum illud deliciarum pelagus, in quo feliciſſimè ſubmerſi ſunt Beati Cœlites. Quid aliud illud eſt, quàm remuneratio bene collocati temporis, quod olim ad augenda illis merita conceſſum erat? Sed & tu momentîs ſingulîs lucrari potes tantum, quantum valet æterna Dei poſſeſſio; & tamen hucusque theſaurum adeò pretioſum ac divi-

divitem abjecisti, dum tempus infantium nugis ac crepundiis impendisti, qualia profectò sunt mundi negotia, quæ ad consequendum ultimum finem tuum nihil conferunt; aut illud etiam perdidisti comparando tibi miseriam sempiternam, dum videlicet id peccatis tribuisti. Hóccine est ratione pollere? O quàm brevì mutabis mentem, cùm finitum tibi fuerit tempus! Cùm aliquando perductus ad Divinum Tribunal fueris, quantum ibi promitteres, ac dares, si tantillum duntaxat haberes temporis, ut veri perfectíque doloris actum posses elicere, atque ita causam tuam meliori in statu collocare? Quantùm ibi te pœnitebit, quòd innumeras bene agendi occasiones adeò inutiliter excidere tibi passus fueris? Si ad summam tuam perniciem in illo judicio mala in te cadat sententia, qualis tunc erit tua desperatio? O Deus! perdidisse bonorum æternitatem, cui obtinendæ momentum unicum suffecisset! incidisse in ignis æterni barathrum, ad quod evitandum tot anni fuêre concessi! contempsisse amicitiam Dei, quam ille tan-

to tempore tibi obtulit, tanto tempore à te petîit, tanto tempore tibi paratam habuit! Itaque nisi juratus es tuímet ipsius inimicus, illud pœnitentiæ tempus ne expecta; sed erubesce potiùs, quòd tot tantáque requirantur argumenta, ut ad bene agendum persuaderi te sinas. Tanto labore opus non erat, ut ad malè agendum, & ad optimum vitæ tuæ tempus in peccatis perdendum impellereris. Haud adeò hærebas olim, ut potiorem vitæ tuæ partem Mundo consecrares; cur igitur modò permoveri non potes, ad concedendas Deo saltem reliquias? Absit hoc à te. Hoc etiamnum temporis puncto, quo agnoscis errorem tuum, illum incipe detestari; erubesce propterea coram Deo, eíque gratias age, quòd, postquam tantum temporis abiecisti, tempus tibi nihilominus largiatur ad corrigendum errorem tuum; & quia facere nunc potes, quod ne ipsi quidem Beati in cœlo facere queunt, mereri videlicet, propone, vitam tuam omnem in id unicè impendere, ut thesaurum tibi acquiras in cœlo; Deúmque roga, ut ad

ad hoc ipſum tibi præbeat auxilium, quemadmodum tibi dedit conſilium: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis. Luc.* 12. *v.* 13.

II. Conſidera cauſam alteram bene impendendi vitæ tuæ tempus, quia videlicet eſt *Breve.* Quàm multi modò ſunt, qui meliore quàm tu fruuntur valetudine, & tamen elapſô annô non integrô ſepulti jam erunt. Jam verò, quis ſecurum te reddit, quòd in eorum numero computari tu ipſe non debeas? Quis te docuit, quòd anni novi ſis viſurus initium, aut ejusdem conſpecturus ſis finem? Non multum abibit temporis, cùm à morbo proſtratus in lectum, te conſtitutum videbis in dura neceſſitate, qua deſerere debebis omnia, & ab omnibus deſeri. Eſſe facilè poteſt, ut mors jam ſit in limine, ad perficiendam hanc magnam rerum mutationem; tu tamen interim exiſtimas, millenîs eam milliaribûs à te diſtare; & diuturna tibi auguraris tempora, &, quæ venient, diverſa futura credis à præteritis, quæ tamen ùt umbra præterîerunt: *Anima*

mea, habes multa bona, reposita in annos plurimos. Luc. 12. *v.* 19. Atque adeò magnas tibi à mundo res promittis, voluptates, amicitias, novas possessiones, honores; at non audis id, quod subjunxit Dominus: *Stulte! hac nocte animam tuam repetent à te.* O stultum te, si quietem invenire velis in inquieto hujus vitæ mari! O stultum te, si securum ac certum te velis in eo, quod tuum non est, quale est id, quod primùm est futurum! Stultum te, si existimes, quod vel atomus temporis, impensa pro tuo libitu & genio, bonorum ac malorum æternitati prævaleat, quæ te expectat. Non igitur deinceps ita tibi agendum est; habere te pro mortuo debes, ut in posterum coram Deo vivas, & æternæ tuæ saluti consulas. Ecce! Sancta nostra Mater Ecclesia nos omnes pulverem vocat: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quia, licèt etiamnum pulvis non simus, adeò tamen breve est temporis spatium, quod superest, dum in pulverem redeamus, ut iam dici possit, jam nunc in pulverem

rem nos redactos esse. Erubesce igitur de tua stultitia, quòd, cùm adeò sit breve tuum vivendi, & merita colligendi tempus, tu nihilominus tot oblectamenta, tot hilaritatum occasiones quæsiveris, ut tempus tantò citiùs inutiliter abiiceres, ac omnino perderes; veluti si non haberes, quod in altera vita vel perdere, vel lucrari posses. Pete quàm humillimè à Deo veniam; & age illi gratias, quòd commodum adhuc te emendandi tempus tibi indulgeat; & quoniam horîs singulîs tuum tibi tempus semper imminuitur, statue, quidquid tibi temporis superest, id omne impendere tuæmet animæ; Deum insuper demissè roga, ut suâ gratiâ bonam hanc tuam voluntatem reddere dignetur efficacem.

III. Considera causam tertiam bene impendendi residuum tibi vitæ tempus, quia videlicet *concessum tibi est pro tua solùm Anima.* Propter animam solam te in mundo constituit Deus, non propter corpus; atque, si vivis, solùm vivis, ut occuperis in grandi negotio promovendi salutem animæ tuæ,

 eám-

eámque reddendi certam. At ſi de iſthac veritate judicium ferri deberet ex tuis tantùm operibus, quis non crederet, quòd in mundo vivas ob ſolum duntaxat corpus tuum? Corpori omne impendis tuum tempus, omnes tuas cogitationes, & omnes curas tuas, ut illi ſemper blandiaris, ut illud ubique defendas, ut omnes illi voluptates compares. Beatum te, ſi in animæ tuæ bonum vel milleſimam partem adhibeas illius curæ ac ſolicitudinis, quam corpori impendis! jam nunc profectò ſanctus fores. Quid ergo juvat, quòd rationem tibi & argumentandi vim indulſerit Deus, ſi eam tantùm adhibeas, ut tuis in hac vita commodis invigiles; & tempus non invenias, tuis in æternitate commodis invigilandi? An tuam ſic vitam tranſiges ſemper, & antiquum adhuc vitæ tenorem retinebis, cùm paulò pòſt te opprimet mors? Heu! non ita! Deus enim cœcitatem tuam miſeratus, jam adeſt, ut hîſce ſolitudinis ſacræ diebûs te illuminet, ut, ſi vitam tuam hucusque perdidiſti agendo nihil, aut malè agendo, eam non per-

perdas in posterum: *Ecce nunc dies salutis.* 2. *Cor.* 6. *v.* 2. Nunc, nunc statuere oportet, quòd in alium mutari velis, ut certam reddas salutem tuam. An fortè existimas, quòd ad salutem tuam sufficiat, si moriaris post suscepta sacra Mysteria, crucifixi effigiem in manibus gerens? Non utique Sancti tam diuturna solicitudine ad mortem bene obeundam se comparâssent, si ultimæ infirmitatis tempus huic negotio sufficeret; neque Christus ipse nos in Evangelio monuisset toties, ut semper ad mortem parati simus, si subita tantùm ac tumultuaria sufficeret illorum præparatio, qui inchoare vitam Christianam volunt, cùm eam finire jam oporteret. Timere sanè videris, ne nimium tribuas animæ tuæ, nimis citò ad meliora te convertendo? aut etiam credere, te hucusque nondum satìs offendisse Deum tuum, & ingratum tuum animum necdum illi satìs comprobâsse. O! si damnatorum alicui tempus illud concederetur, quod tibi suppetit! illius certè nec momentum unicum perderet, & nullum omnino medium in tuto collo-

candi ſalutem ſuam prætermitteret. Id ipſum tibi agendum eſt in hoc negotio; totum te debes offerre Deo, & firmiſſimè ſtatuere, quibûscunque tandem impensîs conſequi ſalutem tuam, & vitam probam vivere. Ad Deum itaque recurre, qui ſuum pro anima tua ſanguinem fudit; pete ab illo veniam, quòd præclaras tot occaſiones ſalutem tuam promovendi abjeceris; erubeſce de ſocordia tua; & cùm Deus inſpirationibûs te ſuîs toties invitaverit, confide, quòd is ipſe, qui te fugientem eſt inſecutus, te rejecturus non ſit, ſi illum corde ſincero quæſiveris.

Meditatio Quarta

Pro Die Tertia.

De Judicio Particulari.

I.

Conſidera *Examen*, quod ſtatim inſtituetur de Chriſtiano, cùm fuerit mortuus. In eodem ipſo loco, ubi

ani

anima discessit è corpore suo, in eodem loco, ubi forsan aliàs mandata Dei ac Domini sui liberiùs est prætergressa, erectum videbit horribile tribunal, illíque suam indicabit præsentiam Deus, & adventum ad judicium. In hoc judicio prodibunt in lucem mala omnia, quæ à primo rationis usu ad extremum usque momentum commisit anima; nec erit defectus ullus, qui maneat occultus, nec ullum verbulum otiosum, neque aspectus minùs consideratus, neque cogitatio paulò liberior; judica jam, quid futurum sit de peccatis nimis enormibus, à peccatore toto vitæ suæ tempore commissis, in infantia, in juventute, in ætate virili, & in ipsa etiam senectute, in qua interdum non sufficit, quòd nos peccatum deserat, ut & ipsi statuamus peccata deserere. Prodibunt pariter in lucem bona omnia, quæ anima præ socordia omisit, tempus malè perditum, inspirationes repulsæ. Prodibunt etiam in lucem opera illa bona, quæ perperam ac malè sunt facta; orationes sinè attentione, & absque habita divinæ præsentiæ reverentia; Verbum

bum Dei ex inani ſciendi cupiditate, & ſinè animi fructu exceptum; Templa facetiîs & nugîs profanata; dies feſti negotiis minimè neceſſariis impenſi, ſacra Myſteria ſive ex conſuetudine tantùm, ſive omnino malè & indignè frequentata. Prodibunt in lucem peccata occulta, peccata aliena, ſed nobis imputanda, vel quòd illa ſive malô exemplô noſtrô, ſive inſuper conſiliô juverimus, vel quòd illa non impediverimus, ùt exigebat officii noſtri ratio. Prodibunt omiſſiones innumeræ, quarum causâ qui coram Divino Judice non comparebit inſtar arboris, fructibûs venenatîs onuſtæ, facilè comparere poterit inſtar arboris, ſolîs onuſtæ foliîs, ac proinde pariter ignem infernalem meritæ. Hæc omnia momentô videbit anima, ſola, & tremebunda, quin ullus pro ipſa loquatur, aut eàm excuſet, & quod amplius, videbit hæc omnia ingenti cum lumine, ſibi à Divina Jeſu Chriſti Sapientia communicato; unde longè aliter de peccato ſentiet, ac modò de illo ſentit, non illud habebit pro re levi, & propemodum pro joco; ſed habe-

habebit illud pro re horribili & pro malitiæ pelago, quemadmodum Deus; adeò ut anima, seipsum intuita, objectum sit habitura magìs formidandum, quàm sit dæmonum simul omnium fœditas. Quid igitur misella dicet, dum leve adeò bonorum operum suorum pondus, & adeò grave pondus, & ingentem numerum peccatorum illorum, quæ antehac obcæcata parùm adeò curabat, & tam facilè committebat, bibendo sicut aquam iniquitatem, intuebitur? O! quàm libenter tunc rediret ad retexendam de integro vitæ suæ telam! O! quomodo tunc aperiet oculos suos, quos adhuc tenuerat clausos! O! quàm diversa erit idea, quam hoc vitæ suæ tempore sibi formaverat de pœnitentia, de solitudine, de operibus caritatis? Si itaque vis haberi sapiens, futuris tuis in tempore prospice; & præveni examen illud adeò severum, atque tam universale, quod te manet; imaginare tibi illud admodum vicinum, cùm fieri possit, ut annô proximô hac ipsa hora judicatus jam sis. Obstupesce de hac præterita tua negligentia, qua parùm

rùm adeò timuisti, quod maximi quique Ecclesiæ Sancti tantopere timuerunt; cùm tamen meritò plùs illîs omnibûs timere deberes; ac denique converte te ad Judicem tuum, qui nihilominus est tuus Advocatus; eúmque roga, ut omnia tibi peccata tua remittat, & vires impertiatur, quibûs per voluntariam pœnitentiam illa exsolvere possis, antequam veniat reddendæ rationis hora.

II. Considera *sententiam* hujus Judicii, quæ erit definitiva, immutabilis, justissima, & ipsius Servatoris ore per vocem internam in animæ corde pronuntiata. Itaque si Christianus eo momento deprehensus fuerit in peccato lethali, dicet illi Christus tonô terribilî: Discede à me maledicte! quia non mereris assistere in præsentia mea, neque admitti ad participandam gloriam meam; discede in ignem æternum, quò te abstrahit peccatorum tuorum pondus, ad societatem dæmonum illorum, quibus potiùs quàm mihi te obsequentem præbuisti; hæc est pars tua, quam elegisti; hanc tibi æternùm habe; serviát-

que

que tibi ſanguis meus in damnationem tuam æternam, quia noluiſti, ut tibi ſerviret in remedium. O ſententiam formidandam! Et quid dicet peccatrix anima, cùm illam audiet? quàm erit conturbata! quàm adſtabit deſperata, cùm videbit non eſſe appellationi locum; cùm videbit, quàm bene peccatîs ſuîs ſententiam iſtam ſit promerita! Quis proin animô poſſit capere, quanto cum furore ac rabie deteſtatura tunc ſit voluptates ſuas! quàm horribilia ſpectra futura ſint in oculis ejus ſua illa peccata, quæ illam modò parùm adeò terrent! quàm ſe millies faſſura ſit ſtultam, quòd aures non dederit ſacro animi Arbitro, Angelo ſuo Cuſtodi, & internis Domini ſui inſpirationibus! ùt ſeſe millies appellatura ſit inſanam ac amentem, quòd ob viliſſimam turpitudinem abjecerit bonum infinitum, illúdque commutaverit infinitâ miſeriâ! Chriſtianus è diverſo, qui Dei ſui mandatis obtemperavit, dum beatam illam audiet ſententiam, qua ab eodem ipſo Judice ad cœlum invitabitur, quantùm ille ſuam prædicabit fidelitatem, ſuam pœniten-

tentiam, ſuam caritatem! An poſſibile eſt, inquiet, ut modici hi labores mei bonô tam grandî penſari debeant? An ærumna tam modica in tantam converſa eſt gloriam? An lachrymæ tam exiguæ converſæ ſunt in æterna gaudia? E duabus híſce ſortibus etiam te alterutra aliquando tanget, tu veró propterea nec minimùm es ſolicitus? O incredibilem cœcitatem! Has veritates nôſſe, ac fide divina credere, & tamen tam ſtolidè vivere, ac ſi nulla haberetur illarum notitia! ſcire, quòd pœnitudo ſub id tempus ſervitura non ſit, niſi ad exaugendam pœnam, non verò ad eam auferendam, & nihilominus in illam uſque horam differre pœnitentiam! ſcire, quòd ſola tunc opera bona, ſola opera caritatis nos redditura ſint divites ac opulentos, & nihilominus tempus inſumere nugîs & ineptiîs, pecunias expendere in vanitates potiùs, quàm in ſolatium pauperum! Gratias age Deo, qui tibi largitur tempus; propone illud impendere in id unum, quod unicè & infinitè eſt neceſſarium, nimirum ad promerendam felicem ultimo illo die ſen-

ſententiam ; erubeſce de periculo, in quod teipſum toties conjeciſti, ne penitus à Deo tuo abjicereris; illúmque roga, ut pretioſus ille ſanguis, quem animæ tuæ dotem eſſe voluit, tibi nunc ſerviat ad exſolvenda tua debita, non verò ad eadem novîs iterum peccatîs augenda.

III. Conſidera *Executionem* hujus ſententiæ. Sponſæ infideli auferuntur ornamenta omnia, illi antehac à Sponſo donata; ita & animæ peccatrici auferetur id omne, quidquid in illa boni remanſit, fides nimirum, & ſpes, virtutes morales ac politicæ, quas in hac vita forſan acquiſivit ; proin manebit deinceps ſinè ulla prudentia, ſinè ulla juſtitia, ſinè ulla fortitudine ; quod verò ſupererit, character ſcilicet baptiſmi, ad majorem ipſius ignominiam ſerviet, ac tormentum majus; quia in abyſſo illa & Infidelium animæ, & ipſi dæmones illi perpetuò inſultabunt. Ita ſpoliata, è gradu ſuo deturbata, ab Angelis deſerta, tradetur in hoſtium infernorum manus, qui eodem momento illam raptabunt in profundum, ubi debebit

ſinè morte ſemper vivere, in malorum omnium tempeſtate, in igneo habitaculo, quod ſibímet elegit miſera, dum ob illud cœlo ipſi nuntium remiſit. At quantus hic erit dolor, æternùm hærere in igneo illo habitaculo, cùm tantus ſit dolor pauculîs duntaxat momentîs in eo durare? Quam pœnitentiam non ſubiret perlibenter infelicium illarum animarum quælibet, ut mederetur errori ſuo? quos contemptus, quas ignominias non acceptaret? quibûs voluptatibûs magna cum voluptate ſe non privaret? Magnæ ſibi gratiæ ac favori duceret, ſi per annos adeò millenos in limine portæ civitatis jacere ſibi contingeret, ut omnium intrantium & exeuntium pedibûs conculcaretur; acceptaret libentiſſimè auſteritates omnes, quas Sancti ſimul omnes in ſuum corpus exercuerunt; & magni ſibi gaudii videretur eſſe materia, ſi omnem ſuſtinere deberet tormentorum cumulum, quem à Tyrannis omnes omnino Martyres ſuſtinuerunt. Nunc igitur, cùm multò minora ſufficiant ad liberandum te à tam grandi malo, nimirum ut obſerves mandata

data Dei, tentationibus generoſiùs reſiſtas, minùs delicatè corpus tuum habeas, aliquantò magìs ad opera pietatis & miſericordiæ incumbas, ut proximo præſtes eadem, quæ præſtari tibi à Deo deſideras; túne hoc modicum facere recuſabis, cùm ſis omnino certus, brevì adfuturum tempus, quo fruſtra deſiderabis, incomparabiliter plura & hîs majora pro tua ſalute præſtitiſſe? Adeſt igitur tempus, quo ſtatuere tandem debes, inchoare vitam, nomine, quod geris, Chriſtiani dignam, quin ampliùs id audias, quod in contrarium opponit caro tua cum ſenſibus tuis; nam aliàs quomodo vita tua reſponderet fidei tuæ, tuum in bonis operibus frigus gravitati periculi, in quod apertîs oculîs animam tuam conjicis? Quantæ tibi cederet ignominiæ, ſi videres Chriſtianos alios, ſocios tuos, tecum olim, at non ex tuo more, viventes, à Deo vocari ad coronam, quòd Domini ſui mandatis obtemperantes extiterint, Angelorum manibus ad cœlum extolli, & in triumpho in Regnum Beatorum invehi; dum interim tu, mortalium infeliciſſimus in

dæmonum manibus ac poteſtate relinqueris, ut æternùm careas omnî vel minimô bonô? Si ſola rerum iſtarum imaginatio tanto te horrore concutit, quid erit, ipſo illas opere experiri? idque tantò magìs, ſi priùs illas experiri debeas, quàm illas credas? Erubeſce de ſtulta ſecuritate tua, qua vixiſti hactenus, velut non haberes, quod tibi timendum ſit, vel de quo reddenda ſit tibi ratio; Deo redde gratias, quòd tibi nihilominus te emendandi tempus indulgeat; Deteſtare præteritam tuam iſtarum tam gravis momenti veritatum oblivionem, & in Servatoris tui vulnera confugiens, illum roga, ut non ſinat perire animam tuam, cujus redemptio tam carô illi pretiô ſtetit: *Tantus labor non ſit caſſus.*



Me-

Sacrorum Exercitiorum Dies Quarta.

Meditatio Prima.

De Judicio, quod instituetur de Christiano Peccatore.

I.

CONsidera Discrimen ingens, quod faciet Deus in judicando Infideli & Christiano; & primò quidem *in petenda Peccatorum ratione*. Imaginare tibi igitur, quòd eodem ipso tempore, quo vocaberis ad Divinum Tribunal, adducatur etiam Turca. Debebit hic infelix severissimam reddere rationem omnium abominationum suarum, quas commisit; nec illi ad excusandum se proderit spurcissima sua Lex, quæ illi nefanda sua crimina permisit; cùm Lex naturalis, in uniuscujusque hominis corde scripta, nimis quàm manifestè illa committere prohibuerit; proinde miser iste justissimè condemnabitur, ad illa perpetuîs ignibûs luenda. At condemnatus est Turca! O te in felicem, qui

qui adſtas ad illius latus, ſi Fidem tuam malè vivendo prodidiſti! Quid te fiet, ſi abominationes tuæ plures fortè ſint numerô, & tantò ſemper ſint majores & graviores in ſuo pondere? Tibi Fides aperuit, quòd corpus tuum fuerit templum Spiritûs Sancti, qui, ut illud inhabitaret, volebat illud eſſe purum, ùt eſt Angelus; faſſus es olim toties, quòd Dei Filius ſit mortuus in Cruce, inter tormenta & opprobria, ad illam usque diem inaudita, ut peccatum deſtrueret. Tam clarè intellexiſti, eſſe infernum, illis apertum, qui violarent Mandata Dei, ſed & cœlum illis eſſe apertum, qui eadem Mandata ſervarent; tu tamen illa violâſti, & violâſti transgreſſionibûs innumerîs, & transgreſſionibûs, quæ interdum ipſis adeò brutis animalibus erant incognitæ, quin & ipſis adeò confeſſionibûs, ac ipsâ Dei miſericordiâ es abuſus, ut peccares liberiùs, dicendo in mente tua: confitebor, Deus eſt benignus; ſatìs eſt, ſi confitear. Abi, damnatus enim es; condemnat te non ſolùm Divina Juſtitia, ſed condemnat te inſuper hic Infide-

delis, hic Turca, qui tecum hîc adest; condemnat te ipse adeò Dæmon, qui tam ingratæ mentis erga Deum non fuit, ac tu fuisti; nec aliquando peccati sui veniam obtinuit; nec unquam redemptus est Divino Sanguine; dum interim tu & obtentâ veniâ, & Redemptione tua tantopere es abusus: *Terræ Sodomorum remissiùs erit in Die judicii, quàm tibi. Matth.* 11. *v.* 24. Interea clamant dæmones: Victoria! victoria! téque raptant in infimam abyssum, ac abjiciunt infra pedes omnium Infidelium, in medium tormentorum sinè ulla comparatione majorum, quemadmodum & peccata tua sinè comparatione fuêre majora peccatîs illorum. Ecce, quem collecturus sis fructum, si porrò rebelli tuæ carni id omne, quod petit, concedere pergas! Fuisse sanctæ Matris Ecclesiæ filium, æternùm plangendi suppeditabit tibi materiam, dum recordaberis, quòd naufragium passus sis, non in altitudine maris, sed in ipso portu, & culpâ propriâ, quódque perîeris non in Diluvio, sed in ipsámet Arca. Hæc porrò imaginare tibi,

non ut longè dissita, cùm tibi sint tam vicina, quàm vicina est mors, quæ singulîs tibi momentîs accidere potest. Igitur è grandi hoc malo opportunè te subtrahe, ac securum redde: *Fugite à ventura ira. Luc.* 3. *v.* 7. E sacra hac solitudine prodire non debes, quin totus sis mutatus in alium: *Dixi, nunc cœpi. Psal.* 76. *v.* 11. Hoc erit propositum tuum, cujus, ut ipso impleatur opere, advocatam & conservatricem rogabis Virginem sanctissimam.

II. Considera hoc ipsum discrimen *in petenda ratione beneficiorum.* Peccator non tantùm est debitor propter peccata sua, sed est insuper debitor ob gratias, tam liberaliter â Deo sibi collatas. Vide igitur, quomodo à misero illo Turca, qui tecum est judicatus, petatur ratio de tot naturæ donis, quibûs ille potitus est toto vitæ suæ tempore, quo tamdiu, & tam splendidè omnes ipsi creaturæ deservîerunt. Redde rationem, dicetur illi, de sanitate, quæ tibi concessa fuit, de virium tuarum robore, de vigore tuo, de fortunis tuis, de beneficio creationis, tibi à Deo præ mul-

multis aliis, in antiquo ſuo nihilo relictis, impenſo, de tui conſervatione ad hanc uſque horam, de tui defenſione in tot tantísque periculis. Quare, dum hujus magni Domini ſumptibûs viveres, ac tantîs illius fruereris favoribûs, caput non elevâſti, ad agnoſcendum, & amandum illum, qui ea tibi largitus eſt? Nôſti etiam; quòd animi tui conſcientia ad hanc te cògnitionem ſæpenumero excitârit, tu tamen ad omnes hóſce ſtimulos inſenſibilem te reddidiſti; & quamvis illa te reprehenderet, perrexiſti tamen, ipſa hæc beneficia in inſtrumenta convertere iniquitatum. Hîc miſer perturbatus & obmuteſcens videt, ſe juſtiſſimè condemnatum; ſed eodem tempore vocem extollit adversùs te, & te quoque meliori jure & ratione condemnat, cùm eodem modo, quo ſtellæ in facie ſolis diſparent, beneficia quoque naturæ, illi conceſſa, diſpareant in comparatione beneficiorum gratiæ, tibi tam liberaliter ſuppeditatorum. Unicus ſolùm gradus gratiæ hujus ſanctificantis, ùt appellant Theologi, majoris eſt pretii, quàm ſint mille mun-

di cum omnibus illis perfectionibus, quas habere possunt; quia gratia est quædam participatio increatæ Dei Essentiæ, & quidam Divinæ Faciei repercussus, est vera Deum inter ac hominem amicitia; verbô, est ditissimum donum, quod in hac terra immensa nobis Dei Liberalitas impertiri potest. Hic proin thesaurus adeò magnus concessus tibi jam fuit in sacro Baptismo, quin tu illum à Deo petîeris; imò quin tu intelligeres id, quod tibi collatum fuerat. Porrò hic ipse thesaurus toties permultùm increvit, quoties ad Divina te Mysteria contulisti, & quoties, in amicitia Divina constitutus, opus aliquod bonum exercuisti. Tu tamen has Paradisi divitias, graviter peccando, toties abjecisti, postquam Deus, ut sua bonitate malitiam tuam superaret, se toties promptum ac paratum ostendit ad condonanda tibi rursus per Confessionem & Pœnitentiam peccata tua. O te igitur miserum! quis capere potest rigidum judicium, quod te manet, dum adversus te insurgent omnes Infideles, & ipsi adeò dæmones, accusatores tui, & Di-

vino Judici exponent, quòd, ſi vel ſemel hoc tanto beneficio gaviſi fuiſſent, majori illud cura conſervâſſent, quàm vitam ſuam propriam, dum interim tu ſumma cum prodigentia hos cœli theſauros ob erubeſcendam voluptatulam in profundum abjeciſti. Quid ad te excuſandum ibi loquéris? Præpara duntaxat excuſationes tuas; quia perquam erunt tibi neceſſariæ coram tremendo illo Tribunali; at ſi excuſationem non habes, compara te ad emendationem, & vitam ordire pœnitentem, quæ contracta debita ſolvat, & nulla adjiciat nova. Hæc eſt vera prudentia, aggeres erigere, antequam totus fluminis alveus imminet; nam aliàs ſalutem ſuam eventibus committere dubiis, ab hodierno in craſtinum differre converſionem ſuam, quemadmodum eſt mundi interitus, ita tuus quoque interitus erit. Gratias igitur age Deo, quòd tempus tibi indulgeat proſpiciendi neceſſitatibus tuis, & noli tempus hoc miſericordiæ tam pretioſum perdere; erubeſce de præterita tua ſocordia, & ſtatue firmiter, pro anima tua ab interitu ſempi-

terno vindicanda saltem agere tantum; quantum faceres pro corpore tuo, à morte temporaria vindicando; & quemadmodum pro isto conservando rationem nullam haberes sive fortunarum, sive voluptatum, sive amicorum: ita pariter agere propone pro anima tua, à sententia infelici liberanda; ac denique precare Christum Dominum, ut vires tibi largiatur, bonum hoc exequendi propositum, quemadmodum tibi promeruit tempus, & gratiam illud concipiendi.

III. Considera, quòd nondum sit finitum judicium; superest tibi forsan aliquid gravius; nimirum reddenda erit *ratio de Exemplis Jesu Christi.* Sed Turca, tuus coram hoc Tribunali socius, examen suum hîc citò finiet, quia nihil de Christo novit, nisi quantum illi falsa sua lex suggessit, nimirum, quòd fuerit Propheta Magnus, & aliud nihil. Tu verò, qui novisti, illum fuisse Deum tuum, Redemptorem tuum, & è cœlo in terram descendisse, & membrîs mortalibûs indutum fuisse, ut te dirigeret ad salutem, quàm attonitus

ad-

adſtabis, ſi conſpexeris, quòd Ducem hunc tuum Divinum non modò ſecutus non fueris, ſed inſuper Mundum ſtultum, mundum inimicum tuum ſectari volueris! Quid rei eſt Chriſtianus, niſi Chriſti aſſecla? Tu autem an Chriſti fuiſti aſſecla? an illum es ſecutus? an verò illum fugiſti ſemper? Qua de cauſa, putas, natum eſſe Chriſtum in paupere ſtabulo, vixiſſe triginta ipſis annîs in paupere officina, nudum in Crucis patibulo mortuum? Forſan, ut tu divitias haberes pro ſummo bono, quas ille tamen adeò contempſit? atque ut ad eas obtinendas injuſtîs etiam litibûs impleres tribunalia, pauperes fame perire ſineres, & eorum ſanguinem, adhibita etiam vi, exſugeres? Si licitum tibi eſſe debuit, voluptatem tuam quærere etiam inter ſenſuum abominationes; ſi licitum tibi eſſe debuit, honorem tuum mundanum magìs æſtimare, quàm honorem Deo debitum; ſi liberum tibi eſſe debuit, acceptas à proximo tuo injurias vindicare; incaſſum profectò Verbum incarnatum uſque eò ſe demiſit, ut ſineret ſeſe conſpui, veſte ludi-

cra

cra, ſtultorum inſtar, indui, latroni poſthaberi, ligno crucis duos inter latrones affigi; incaſſum per triginta quatuor annos beatitudine, corpori ſuo ſanctiſſimo debita, privatus eſt; incaſſum ab ipſo vitæ ſuæ principio ad illius uſque finem pro te factus eſt Vir dolorum. Dominus ille, qui te jubet prudentiam à formicis diſcere: *Vade ad formicam, piger. Prov. 6. v. 6.* & qui rationem à te exigere vult, ſi ab illis non didiciſti ſolicitus eſſe de futuro; quam à te rationem exiget, ſi nolueris vivendi modum diſcere ab exemplis ipſius? *Chriſtus nihil vobis proderit. Gal. 5. v. 1.* Sumptus adeò magnus, quo exhauſtum eſt ærarium cœli, tuâ culpâ tibi erit inutilis, cùm vix aliter aut ſentias, aut vivas, quàm Infidelis. Et tamen non times? Inutiliter perdis non unum naturæ talentum, ſed integram abyſſum gratiæ; non habes majorem rationem Conſiliorum & Operum incarnatæ Divinæ Sapientiæ, quàm haberes conſiliorum & operum alicujus inimici tui; & tamen animô intrepidô tribunal illud expectas, propter quod

omnes

omnes contremiſcunt Sancti? Si res iſtæ ſunt meræ imaginationes, non imprudenter agis; at ſi certiſſimæ ſunt veritates, quare teipſum non excitas? quare ſapientum inſtar alienô malô non ſapis, ſed priùs ipſe mala hæc experiri vis, quàm aliquam eorum habere rationem? Ita præteritîs annîs egiſti, ſed improvidus es, ſi & deinceps ita agere pergas. Non jam ampliùs tempus eſt jocandi cum tuo Judice; oportet te agere pœnitentiam, & emendare vitam. Reum igitur te age amarô animô, & deteſtare vitam tuam Evangelio & Redemptoris tui vitæ tantopere contrariam; ſtatue, meliorem eſſe momentaneam pœnitentiæ amaritiem, quàm æternum apud Inferos tormentum; & ſuppliciter Dominum roga, ut, cùm ipſe ſit exemplar Prædeſtinatorum, donet tibi gratiam, ut hoc exemplar poſſis imitari pro tua debilitate, atque ita accenſeri illi tam felici Electorum numero.

Me-

Meditatio Secunda

Pro Die Quarta.

De Judicio Universali.

I.

COnsidera, quòd extremi Judicii dies in Divinis scripturis non tam frequenter vocetur hoc nomine, quàm nomine Magni diei; magnus enim erit hic dies ob tria præcipuè capita; nimirum ob personas, quæ ibi congregabuntur; ob ea, quæ ibi tractabuntur; & ob ea, quæ ibi concludentur. Erit igitur *Dies magnus, ob Personas, quæ ibi congregabuntur*; cùm ibi coram Judice comparere debeant omnes Angeli, & omnes homines. Finge tibi Amphitheatrum ingens & amplissimum, ubi superiùs consideat Rex, aulâ suâ Regiâ circumdatus, paulò inferiùs Nobiles, infra hos populus, ac denique in infimo loco consistant bestiæ, & Rei condemnati, ut devorentur à bestiis. Amplissimum hoc Amphitheatrum erit aliquando Vallis Josaphat; supra illud in aëre sedebit Christus Jesus in throno nubis,

bis cum tanta ob Divinam Naturam Majeſtate, cum tanta ob naturam ſuam humanam Deitati conjunctam gloria, ut neque Sol, neque Luna, neque Stellæ cæteræ ſimul omnes in eius conſpectu lumen aliquod ſint habituræ; Reprobi verò ac dæmones tanta illius Majeſtate & Gloria oppreſſi, cogentur in opprobrium ſuum flectere genua, & illum adorare. Cum ipſo aſſiſtent, primò quidem ſacratiſſima Illius Mater, & Virgo in throno, Regiæ Dignitati congruo: *Adſtitit Regina à dextris tuis. Pſalm.* 44. *v.* 10. Ex uno dein & altero latere adſtabunt omnes Angelici Spiritus, & omnes Sancti; & hi quidem ſua jam habebunt corpora glorioſa, & eorum quilibet ſuum proprium, poſt Reſurrectionem ita reſplendens, ut terram omnem illuſtrare poſſet; Angeli verò, ad pompam augendam Juſtorum, & ad Reproborum terrorem, etiam ipſi aſſument corpora aërea, magìs etiam lucida, quàm ſit ipſe Sol. Infra Sanctos adſtabunt Electi reliqui, jam à maſſa Reproborum ſeparati. Infimô demum locô adſtabunt dæmones, & Re-

probi omnes, etiam ipſi corporibûs ſuîs veſtiti, ſed, eheu! quàm diverſis! fœdiſſimîs nimirum, horribilibûs, & monſtrosîs, & quæ infelicibus illis animabus pro novo inferno ſervient. Tibi autem, qui hæc meditaris, quinam tot inter judicandos homines locus obtinget? Si fideliter id præſtes, quod in Baptiſmo tuo promiſiſti Deo, dum renuntiâſti mundo, carni, & dæmoni, obveniet tibi locus honorificus inter Electos, ac, ſi præterea inter fortunatos illos extitiſti, qui nuntiô rebus omnibus temporariis remiſſô, propinquiùs ſecuti ſunt Dominum, promittendo & obſervando Religioſa Vota, ſublimis etiam tibi locus inter ipſos adeò Judices obtinget: *Sedebitis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël. Luc.* 22. *v.* 30. At ſi è contrario rurſus abſtuliſti Deo libertatem tuam, illi antea donatam, ſi vixiſti, & mortuus es ùt Peccator, oportebit, te ſtare trementem inter Reprobos. O Deus! tu, qui adeò delicatus es in hoc punctô honoris tui, & qui in rebus omnibus tuô vis judiciô ſtari, & aliquid habere pecu-

lia-

liare, quanta cum perturbatione experieris, te consistere in medio latronum, sicariorum, magorum & veneficorum, immixtum infami illi turbæ sceleratorum omnium; dum interim videbis unum aliquem è pauperibus tuis rusticis, unam aliquam è pauperculis ancillis tuis, unum aliquem è pannosis illis mendicis, quos olim solebas à te abigere non sinè contumeliis, tunc gloriæ veste indutos, omnes cœlesti lumine fulgurantes, lætos, ac triumphantes, primas occupare sedes, & rationem à te exigere vitæ tam malè transactæ! ídque tantò magìs, quia discrimen hoc proveniet ex vero merito, & confirmatum cernetur ipsa Regni æterni possessione; tu verò, qui potueras numero huic tam fortunato accedere, vivendo secundùm Evangelii principia, tua sponte renuntiâsti honori huic tam splendido, & possessioni Regni cœlestis. Tum enimvero inclamabis montes, ut supra te concidant, téque sepeliant; tum minùs tibi horribilis erit infernus ipse; tum præteritas tuas opiniones omnes revocabis; millies te stultum appellabis, quòd fidei tuæ con-

tradixeris operibûs tuîs, & incassum desiderabis, numquam hanc mundi lucem aspexisse. Hæc est illa scena, quam tibi frequenter debes ob oculos ponere, nunc autem erubescere de tempore tuo, tanta in caligine & cœcitate perdito; roga insuper Deum, ut certissimas istas veritates in corde tuo quàm profundissimè insculpat.

II. Considera, quàm magnus sit futurus hic dies, *ob ea, quæ ibi tractabuntur*. Quidquid per omnia Mundi secula unquam sive boni, sive mali patratum est, id omne publicè debebit examinari. Quot, obsecro, verba proferuntur unico die à persona tantùm una! quot cogitationes in mente transeunt! quot & quàm diversa opera in effectum prodeunt? Judica deinde, ad quantam hæc omnia summam ascendant per tempus illud, quo vel unica hujusmodi persona in hoc mundo vixit. Et tamen comparebunt eodem momento non solùm omnia opera, verba omnia, omnésque cogitationes unius duntaxat personæ, sed omnium simul hominum, & omnium Angelorum; bona quidem,

ut judiciô publicô probentur, mala verò, ut reprobentur in perpetuum. Et quod amplius eſt, tam mala, quàm bona non comparebunt, ùt nunc in opinione noſtra comparent, ſed prout revera ſunt in conſpectu Dei; Pietas immensùm erit nobilior ac pretioſior, quàm ſeſe modò exhibeat oculis noſtris adeò caligantibus; impietas verò immensùm exhibebitur nocentior. Quid verò ibi te fiet, ſi in ſancta Chriſtiani hominis profeſſione perversè vixeris? Quid dices, ſi videris ordinatum adverſùs te progredi exercitum peccatorum, & inter illa conſpexeris tot ac tanta, quorum nullam habebas rationem? omnes nimirum oculorum obtutus, & nictus, omnes ſermocinationes, & colloquia, omnia deſideria, omnes intentiones, tempus inutilibûs converſationibûs, ſive luſibûs, ſive inutilium aut noxiorum librorum lectione perditum, divitias impenſas in voluptates, & vanitates, partem congruam negando pauperibus, non exſolvendo legata, vel alia debita; veſtitum, Menſam, mobilia, domum, & id omne, quod nimis am-

plæ mundi menſuræ, non verò parciori Evangelii menſuræ attemperatum fuit. Quid tum ages, ut de his omnibus rationem reddas, ſi tantopere tibi laborandum erit, ut vel de unico peccato rationem reddas? *Non poterit ei reſpondere unum pro mille. Job. 9. v. 3.* Et nihilominus non debebis tantùm reſpondere de peccatis, ſed, utì ſuperiùs conſiderâſti, etiam de beneficiis, quæ & ipſa turmatim aderunt, & unà cum peccatis contra te pugnabunt, atque peccata, ſibi comparata, plùs longè horribilia comparere facient. Denique reſpondere inſuper debebis de exemplis Jeſu Chriſti, de illius vulneribus, de illius Cruce. Non ſinè grandi Myſterio hoc judicium inſtituetur in Valle Joſaphat, quæ vicina eſt horto Gethſemani, ubi Chriſtus ſanguinem pro te ſudavit, vicina Torrenti Cedron, per quem raptatus eſt ad tribunalia, vicina Jeroſolymæ, ubi fuit condemnatus ad mortem, & unde duos inter Latrones cum ſua Cruce eſt egreſſus, vicina monti Calvariæ, in quo inter mille opprobria animam exſpiravit. Hæc omnia ſervient ad compro-

probandam Divinæ ſententiæ juſtitiam, & ad reddendam Cruci illi gloriam, quæ in alto apparebit inſtar vexilli Regii, & ſolo ſui aſpectu nos docebit, quantum egerit Redemptor noſter, ut ſalutem nobis æternam acquireret, & quàm turpiter nos illum deſpexerimus, dum ab illo ſervari noluimus. Quid jam tibi de magno hoc die videtur? An tuas tu rationes pro magno iſthoc examine rite jam inſtruxiſti? Peccata illa, quæ per legitimam pœnitentiam contexiſti, tunc non ampliùs apparebunt, aut certè nullum tibi terrorem aut timorem incutient; at illa, quæ tu ipſe impunita reliquiſti, & multò magìs, ſi ea coram ſacerdote abſcondiſti; innumera illa beneficia, quibus per tot ingrati animi teſtimonia reſpondiſti, non ſolùm illorum deponendo memoriam, ſed iîs etiam contra ipſúmmet Benefactorem tuum abutendo; illa obligatio, non perdendi inutiliter ingentem illam copiam pœnarum, & exemplorum, nobis à Chriſto Domino relictam, heu! quanta tunc formidine & horrore te obruent! Collige dein, quam formidinem, quem

horrorem incuſſura tibi ſint reliqua peccatorum per omnem vitam tuam admiſſorum monſtra. Quàm igitur maledicta eſt illa ſecuritas, quæ timere te non ſinit diem illum, quem tantopere timuerunt maximi quique Sancti? *O Præſumptio nequiſſima! Eccli.* 37. *v.* 3. Tu tantam judiciorum humanorum rationem habes, & Tribunal illud divinum parùm admodum curas, quod tamen vel ipſos dæmones, dum illius recordantur, horrore concutit! Statue, deinceps de illo magìs ſeriò cogitare, nam ſi de illo cogites totâ tuâ vitâ, totum tamen vitæ tuæ tempus huic tanti momenti cogitationi breve etiamnum erit. Erubeſce in conſpectu Divini Judicis tui, eúmque roga, ut modò ſit tuus Advocatus, & ſuam in te miſericordiam exerceat, antequam Juſtitiæ tempus adveniat.

III. Conſidera, quòd dies ille ſit denique futurus etiam magnus *ob ea, quæ ibi concludentur.* Non agetur ibi de miſera aliqua hæreditate, & de pauculis terræ palmis; agetur de bono & malo, infinito in ſua præſentia, & æterno

no in ſua diuturnitate: *Ibunt mali in ſupplicium æternum; Juſti verò in vitam æternam. Matth.* 25. *v.* 46. Agetur de benedictione Dei, quæ ſecum afferet in ſempiternum felicitatem omnem, & de ejusdem Maledictione, quæ ſecum invehet miſerias omnes. Hoc erit ingens illud negotium, quod ibi concludetur, & quamprimum concluſum fuerit, illico & absque ulla dilatione executioni dabitur. Tum verò ceſſabit omnis elementorum, & cœlorum motus; nec remanebit niſi nox perpetua pro Reprobis, quæ nullum unquam videbit diem; & dies perpetua pro Electis, quæ nullam unquam videbit noctem. Omnis malitia, omnia vitia, omnia peccata, utpote mundi fæces, defluent in inferni ſentinam; & omnes Creaturæ, expurgatæ, ac liberatæ à Peccatorum ſervitute, ſub qua tanto jam tempore gemebant, nunc denique reſpirabunt, & nova quadam ac feliciore fruentur natura: *Tempus omnis rei tunc erit. Eccli.* 3. *v.* 17. Verbô, Dies ille erit occaſus temporis, & aurora æternitatis; ac proinde non fuit, nec

erit unquam tam magna Dies: *Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies. Joſ.* 10. *v.* 14. dici tunc majori cum ratione poterit. Tu interim hæc omnia intueris, quaſi multùm diſſita, & nondum potes temetipſum utiliter ad horrorem permovere. At ſi ſunt etiam multùm diſſita; venient tamen aliquando; ſi ſunt multùm diſſita, ſunt tamen vera; quàm enim verum eſt, eſſe Deum, tam verum eſt futurum aliquando judicium ultimum. Confer jam has veritates cum tua fide, neque deinceps per omnes vitæ tuæ dies alterius jam rei rationem habe, quàm illius, cujus rationem tunc habebis in magno illo Domini die, pœnitentiæ nimirum, tolerantiæ, & bonorum operum &c. Hoc veriſſimè eſt prudentem eſſe, cognoſcere res multùm adhuc diſtantes; præterquam quòd id, quod ultimus ille dies plùs cæterìs horribile continet, examen & ſententia ſcilicet, ſit pariter jamjam imminens, cùm longiùs à te non diſtet, quàm à te diſtat ipſa mors: *Ecce! Judex ante januam aſſiſtit. Jac.* 5. *v.* 9. Erubeſce igitur, quòd tanto jam tempore

in

in hoc imprudentum numero per tuam inconſiderantiam perſtiteris; obſtupeſce, quòd toties peccaveris, cùm tamen credas, quòd ſit Deus aliquis, qui ſit peccatorum Judex; & roga Dominum per ſanctitatem illam, quæ illum eo tempore ex Patre Miſericordiæ convertet in Deum vindictæ, ut ita tibi cor immutet, ut merearis ex ore ipſius ſententiam optatam audire.

Examen

Pro Die Quarta.

De Sacra Communione.

I.

EXamina, *quanti æſtimes* incomparabile beneficium DivinæEuchariſtiæ, in qua Jeſus Chriſtus pretioſum adeò cibum, qui Mundos infinitos ſuô pretiô ſuperat, animæ tuæ præbet; atque ut illum tibi præbeat, innumeris ſe exponit probris & infamiis, ſeſe tot ac tam diverſis in locis, tot ac tam diverſis temporibus, ſacramentaliter, ùt ſcholæ loquuntur, multiplicat; tanto cordis affectu

ctu se impertitur, ut, licèt amor ipsius non habeat in seipso finem ullum, oporteat tamen, illum habere finem in hoc sancto munere, cùm amplius præter illud donare jam nihil possit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan.* 13. *v.* 1. Satìs est dicere, quòd munus pretiosius Sanctissimæ Trinitati offerri non possit; & tamen hoc ipsum donum datur homini, adeò misero ex natura sua, adeò perverso ob peccata sua, qualis es tu!

II. Examina, *quoties accedas* ad recipiendam Divinam Evcharistiam. Quoties autem accedere te conveniat, nemo æquiùs dimetiri poterit, quàm judicium boni animorum arbitri, vulgò Confessarii; at interim ex parte tua necessum est, ut magìs desideres, mensam hanc divinam frequentare, quàm ab eadem abstinere; quia pauci sunt, qui illâ se abstineant reverentiæ causâ; cùm vera reverentia nascatur ex amore; qui verò ad mensam hanc raró accedunt, plerumque non moventur amore, quo feruntur erga Dominum, sed vel respe-

ctu

ctu mundano , ne dicatur , velle ipsos videri Religiosos, vel nimiâ rerum & negotiorum temporariorum curâ, quæ locum non relinquunt cogitandi de anima, vel denique, quòd nolint separari aut recedere à perversa quadam amicitia, & amplexantes stercora, etiam ipsi invitantibus respondeant, non posse se venire : *Non possum venire. Luc.* 14. *v.* 20.

III. Examina *fructum*, quem à Divina hac Mensa reportas; si enim cibus omnis pretiosus Magnum robur ac vim habet mutandi affectiones corporis, quantò magìs cibus hic cœlestis vires ac vim habebit nobis immutandi cor? Jesus Christus cœleste hoc Convivium nobis apparavit, ut fortiores nos redderet adversùs inimicos nostros , ut sanaret nostra vulnera, ut gratiæ suæ nos donîs locupletaret ; & quemadmodum Rex aliquis magnus ad suscipiendum longinquum iter non facilè permovetur, nisi ob ingens subditorum suorum commodum ; ita Dominus noster non veniret è cœlo in has terras , neque tanta patraret miracula , ut cibus noster fieret, ni-

niſi nos vellet millenîs cumulare bonîs, ſi tamen ad eum recipiendum nos rite diſponamus.

VI. Examina *Diſpoſitionem* iſtam, & primò quidem illam, quæ vocatur *Præparatio remota;* quæ conſiſtit in vita, Chriſtianum in morem inſtituta. Certè, ſi ex eorum numero fores, qui frequentibûs peccatîs animam ſuam commaculant, non deberes ſine magna neceſſitate eodem manè, quo confeſſus es, ad ſacram hanc menſam accedere; ſed deberes aliquot antè diebus confiteri, ac interim repetitîs frequentioribûs doloris actibûs, & externîs aliquibûs pœnitentiæ operibûs à ſpurcitiis tuis expurgari, ac deinde primùm ad divinam Menſam accumbere.

V. Examina *Præparationem proximam*, quæ in ſequentium virtutum exercitio conſiſtit. 1. Fidei, qua confitearis, in Evchariſtia præſentem eſſe Deum. 2. Spei, qua deſideres, & confidas futurum, ut in te Divinæ liberalitatis effectus experiaris. 3. Humilitatis, qua te maximè immeritum ac indignum agnoſcas, qui Majeſtatis infinitæ

tæ hoſpitem intra te recipias. 4. Amoris, quo intimîs tui cordis affectibûs reſpondeas illi, qui ex amore ſe totum tibi dat in commodum tuum.

VI. Examina, quomodo *poſt acceptam Sacram Evchariſtiam* tempus impendas. Ingens nimiùm abuſus foret, ſi ſumptâ S. Euchariſtiâ mox tergum altari verteres, & è templo mox ad alia expedienda negotia diſcederes; & hic abuſus primaria foret cauſa, nullum è ſacra hac dape fructum obtinendi. Debes igitur majori cum fervore ſupradictos virtutum actus renovare, & minimùm unius horæ quadrantem illis te occupare, quantum videlicet durare creditur ſub ſpeciebus Evchariſticis Chriſti Domini præſentia. Eſt præterea conſultum admodum, providere ſibi de ſacro aliquo libro, qui ſerviat præparationi ad ſacrum hoc convivium, & gratiarum actioni poſt illud, utì ſunt P. Juſtinelli, P. Franciotti, P. Ludovicus Granatenſis, aut alii ſimiles.

VII. Examina, quomodo *per reliquum diem* te geras, quo ad S. Euchariſtiam acceſſiſti. Si quilibet dies feſtus ſan-

ſanctiùs celebrari deberet per multa bona opeta, quantò magìs Sacræ Communionis dies? Qui invitatus fuit ad nuptias, etiam poſt convivium ſplendidè veſtitus incedere pergit.

Meditatio Tertia

Pro Die Quarta.

De Inferni pœnis.

I.

COnſidera *multitudinem pœnarum*, quas patitur Anima damnati in inferno; dici poteſt, nullum earum fore numerum, cùm omne prorſus dolorum genus infelicem illum invadendi facultatem ſit habiturum: *Omnis dolor irruet ſuper eum. Job.* 20. *v.* 22. Omnes ſenſus tam externi quàm interni, quemadmodum animæ fuerunt inſtrumenta peccandi, ſic erunt pariter inſtrumenta eam affligendi. Potentiæ internæ, utì ſunt nobiliores, ita majorum quoque tormentorum capaces erunt. Phantaſia natàbit ſemper in profundo triſtitiæ pelago; Me-

Memoria continuô cruciabitur tædiô ob neglectas præclariſſimas occaſiones; Intellectus aliter occupare ſe non poterit, quàm conſiderandîs ſuîs miſeriîs; Voluntas continuo ardebit furore ac rabie, odio & contemptu Dei, qui illam caſtigat, creaturarum, quæ illam in committendis peccatis adjuverunt, ſuipſius, quæ peccavit, dæmonum, qui eam olim deceperunt, nunc autem illi inſultant, & eam cruciant. Solus ignis ſufficeret ad immenſam miſeriam, cùm enim in inferno ignis ille ſit quidam quaſi gladius in manu Dei, habebit etiam immane ſupra omnem fidem robur ac vim affligendi Rebellium illorum corpus & animam tanto cum ardore, ut, ſi vel mons in infernum decideret, conſumeretur illico in flammis illis, non aliter ac pila cerea. *Quis poterit igitur habitare de vobis cum igne devorante? Iſa.* 33. *v.* 14. Et tamen omnis hæc miſeria foret etiamnum, ut ita dicam, tolerabilis, niſi illi accederet alia ſinè comparatione major, nimirum pœna damni, quæ dici poteſt infinita, cùm privet Damnatos Bonô infinitô, poſſeſſione videlicet Dei

O per

per cuncta ſecula; unde, quemadmodum videre Deum facie ad faciem, illud eſt, quod propriè conſtituit cœlum, ſive cœli gloriam; ita pariter non poſſe unquam ampliùs videre Deum, eſt illud, quod propriè conſtituit infernum, ſive inferni pœnam; cætera omnia, carcer videlicet, Socii, Carnifices, tenebræ, ſtridor, & omnia alia inferni mala, ſunt velut accidentia, non verò pars præcipua ingentis illius dolorum cumuli. Quid dicit ad hujusmodi propoſitas ſibi veritates animus tuus? Erítne poſſibile, ut Deus à te non extorqueat aliquando tandem ſui timorem, etiam æternam tibi comminando miſeriam? An igitur infernus aliquis eſt etiam pro Chriſtianis, qui peccant, & id Chriſtiani credunt, & tamen peccare pergunt, & peccatìs onuſti omni tempore vivunt, & jocantur in conſpectu ipſo tam horrendæ fornacis, velut illius flammæ non forent, niſi ignes feſtivi? Perpende aliquantùm attentô animô, quoties & tu in horum numero fueris; & quoties, quantum penes te quidem erat, in abyſſum illam hilariter te conjeceris, violando mandata Dei tui.

tui. Quid actum de te fuiſſet, niſi Deus offenſus accuriſſet, ut Miſericordiæ ſuæ manu te ſuſtineret, ne in profundum uſque prorueres? Nunc, qui iſta meditaris, quantùm fremeres! quàm deſperares in flammarum illarum medio! quantùm deteſtareris ſtultitiam tuam, ſed absque fructu! Gratias igitur age Servatori tuo, qui tibi veniam impertivit, aliis verò minùs te nocentibus eandem impertiri noluit; inhorreſce ad periculum, cui fueras expoſitus, æternam ſubeundi damnationem: *Paulò minùs habitâſſet in inferno anima mea. Pſal.* 93. *v.* 17. Quantùm exhorreſcit peregrinus, qui de nocte iter ſuum diutiùs eſt proſecutus ad oras alicujus præcipitii, cùm ſub auroræ lucem periculum ſuum advertit? judica jam quantùm exhorreſcere te oporteat. Denique roga Dominum, ut, quia ſolum peccatum eſt id, quod deducere te poteſt in barathrum illud, gratiam tibi donet, ut citiùs moriaris, quàm ad peccandum redeas.

II. Conſidera pœnarum infernalium *Atrocitatem* absque ullius boni admixtione. Quemadmodum enim in cœlo pura ac mera ſunt gaudia absque ullo

admixto dolore, quia Cœlum eſt locus proprius omnium bonorum; ita in inferno pura & mera ſunt tormenta absque ullo admixto ſolatio, quia infernus eſt locus proprius omnium tormentorum. Quàm parùm petîit miſer ille Epulo, flagitando unicam aquæ guttulam, decidentem ab extremo Lazari digito! & tamen etiam hoc illi negatum eſt. Quantîs refocillationibûs abundat homo dives, dum ægrotat! omnes Amici veniunt ad impertiendum illi ſolatium; omnes conſanguinei compatiuntur, & ſuum illi dolorem teſtantur; Medici omnes in medium conſulunt, omnes famuli prompti ſunt ad obſequia. Uxor illi ſolicita ſemper aſſiſtit, tota domus eſt occupata in ejus levamen. Verùm ſi miſer ille per ingens ſuum infortunium ſit ex eorum genere, qui dies ſuos in peccatis exigunt, & in infernum ſe præcipitando illos finiunt: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Job.* 21. *v.* 13. Si, inquam, miſer ille ſit ex horum genere, nullum ampliùs pro illo ſolatium aut levamen in omnem æternitatem ſupereſt; non poterit ampliùs auram reſpirare aliquantò

fri-

frigidiorem, non aſpicere vel modicum luminis, non audire verbulum, quod ulli ſit ſolatio, nullam concipere cogitationem, qua ſe nonnihil erigat; non ceſſabit vel unicô momentô pœna; nec imminuetur unquam vel minimùm, ſed potiùs augebitur identidem illius dolor, ob accedentem novum ſemper animarum damnatarum numerum. An & tu aliquando à Divina Juſtitia condemnari meritus es ad inhabitandam in perpetuum hanc miſeriarum omnium patriam, ex qua bonum omne proſcriptum eſt? ſi id es meritus, & forſan millies, quæ grati animi demonſtratio æqualis erit tam grandi beneficio, quòd ad hanc usque diem ab immenſo hoc malo fueris ſervatus? Profectò majus eſt hoc beneficium, quàm fuiſſet, ſi primùm in flammas illas præcipitari te permiſiſſet Deus, & poſtea primùm te ex illis eripuiſſet; proinde ſi in hoc poſteriore caſu in Liberatoris tui gratiam tanta faceres, quanta facere te oportet modò Servatori tuo, cui multò magìs obſtrictus es? maximè cùm id, quod adhuc nondum accidit, accidere etiamnum poſſit in poſterum, ſi peccatis

tuis antiquis adjicias inſuper hanc tanti ponderis culpam, ingratum videlicet animum? Obſtupeſce igitur hanc tuam inconſiderantiam; offer Deo, quidquid tibi ſupereſt vitæ; perſuaſus, hanc eo ſolùm tibi fine conceſſam eſſe, ut pœnitentiam agas, téque ſecurum reddas, ne in illas aliquando pœnas incidas; precare denique Deum, Redemptorem tuum, ne, poſtquam ſemel in te cœpit eſſe beneficus, ab animo tuo ingrato ac beneficiorum immemori ſe fatigari ſinat, ſed ſua Bonitate vincat malitiam tuam.

III. Conſidera pœnarum iſtarum *æternitatem.* Hæc eſt, quæ Damnatarum animarum miſeriam immensùm auget. Levis quælibet pœna evadit immenſa, ſi pondus illi addatur æternitatis; quid igitur fiet, ſi pondus æternitatis addatur pœnis ex ipſa ſua natura tam intolerabilibus, tam univerſalibus, tam ab omni ſolatio deſtitutis? Non inveniretur profectò inter omnes homines vel unicus, qui omnes ipſius Salomonis voluptates acceptaret, ſi, poſtquam illis ad usque ſatietatem perfruitus eſſet, unicâ

câ solùm horâ inter fornacis alicujus flammas vivus persistere deberet; & nihilominus adeò stulti, & eorum tam multi inveniantur, qui, ut vel momentô voluptatibûs corporis frui possint, velint perpetuò persistere in ignibus illis, quibus comparatus noster ignis, non est, nisi ignis solummodo pictus? Quî fieri potest, ut sensus nostri tanto ardore ferantur in cibum, qui mortem unà secum invehit sempiternam? *Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Job. 6. v. 6.* Mirum non est, quòd Sancti tantô studiô subterfugerint oblectamenta mundi, quòd tanto cum fervore amplexati fuerint pœnitentiæ rigores; quia continuò mente revolvebant magnam hanc de æternitate cogitationem; mirum autem est, quòd hæc ipsa cogitatio, postquam tot produxit Martyres, postquam Deserta & eremos implevit Anachoretîs, & postquam adhucdum pergit quotidie sacra Cœnobia replere Virîs Religiosîs, posthmodum tamen penes te tam parùm habeat roboris, ut persuadere te nequeat ad audendum aliquid majus pro salute

 tua.

tua. O æternitas! ô æternitas! Nos omnes ſtamus & pulſamus ad portas tuas, & tempus tamen habemus ridendi, & nos oblectandi, velut hæc omnia non forent niſi fabulæ! Si anima tua per ingens infortunium in illam flammarum æternarum abyſſum aliquando caderet, quid de te fieret? cùm nullam unquam ampliùs boni ſtillam eſſes habiturus, ſed in omnium malorum oceano pati perpetuò deberes? Præteribunt tot annorum & ſeculorum milliones, quot in aëre ſunt atomi, quot in littore maris ſunt arenæ granula; & interim de tormentis & pœnis nihil admodum erit præteritum. Id ipſum millies & millies renovabitur; & poſt pœnas & tormenta tam diuturna etiamnum eris ad illorum initium. Quid ergo cogitas, quando tam libere peccas? An fortè in inferno non multæ ſunt animæ, quæ ſemel duntaxat peccavêre graviter, & quemadmodum dæmones, in ipſo ſuo peccato à morte ſubitò deprehenſi, ſic illæ converſæ mox ſunt in inferni titiones? Cur igitur non times etiam tu, qui illos in malitia tantùm ſuperâſti? Cur

non

non expergiſceris è lethargo tuo? Cùm tempus tibi indulgeat Deus has veritates expendendi, ſignum eſt, quòd condemnare te nolit; verumtamen poſt illarum conſiderationem nullum referre fructum, ſecuturi aliquando magni terroris indicium eſt. Humiliare igitur, & agnoſce, quem in inferno locum tuîs iniquitatibûs promeritus fueris; gratias age Deo, qui modum tibi ſuggerit evadendi; ſtatue, quòd novum in morem reſpondere velis accepto tam magno beneficio, inchoando vitam humilem ac pœnitentem; te totum offer ſine ulla exceptione in obſequium ſummi Benefactoris tui; eúmque per ſanctitatem ſuam immenſam, qua tam ſeverè peccatum caſtigat, ora, ut ad honorem ſuæmet Majeſtatis animam tuam dignetur ſanctam reddere.



Meditatio Quarta

Pro Die Quarta.

De Affectibus Animæ damnatæ.

I.

COnſidera unum ex horridiſſimis ſpectaculis, quæ animo & cogitatione concipi poſſunt, damnatum videlicet Chriſtianum aliquem, poſtquam Divina bonitas pro illo redimendo tanta præſtitit. Perpende affectus miſerandi iſtius Chriſtiani, à Sapiente per os impiorum omnium expreſſos, dolorem nempe de præterito, iram & indignationem de præſenti, deſperationem de futuro: *Pœnitentiam agentes, præ anguſtia ſpiritûs gementes; turbabuntur timore horribili in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Sap.* 5. *v.* 2. & 3. Primus itaque horum affectuum eſt pœnitentia ſive *dolor de præterito.* Quo denique devolvitur bonum illud omne, cujus causâ hic miſer mandata Dei ſui transgreſſus eſt? devolvitur ad pauxillum honoris mundani fumum, ad lucellum aliquod terrenum,

ad

ad prætervolans momentum fœditatis, ad venenatam voluptatem, &, ùt jure dixero, ad merum ſomnium. Lucratus eſt illum diabolus re nihili: *Venatione ceperunt me inimici mei, quaſi avem, gratìs. Thren.* 3. *v.* 52. Ac proinde modicum illud adeò vile, adeò breve, adeò parùm ſatiando humano cordi ſufficiens, quàm funeſtam ſui relinquit memoriam, cùm pœnâ ſempiternâ luendum ſit! Unica pœnæ iſtius hora ſufficeret delendæ voluptatum omnium, per mille ſecula perceptarum, memoriæ: *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. Eccli.* 11. *v.* 29. Collige jam, quàm ſpecioſum & magnificum futurum ſit id, quod velut umbra jam diſparuit; & ſi terra adeò vaſta & ampla, Cœlo comparata, nil aliud eſt, quàm punctum unicum, quàm grande & ſplendidum erit in damnati oculis momentum hilaritatis, & punctum unicum libertatis, integræ ſuppliciorum æternitati comparatum? Quis igitur imaginari ſibi poterit, quàm ingens futura ſit rabies infelicis illius, ſi ſeſe in profundum malorum omnium præcipitatum viderit ob unicam guttulam ve-

venenati mellis, poſtquam, ùt adoptivus Dei filius, Jus ad regnum cœli jamjam obtinuerat? *Guſtans guſtavi - - paululum mellis, & ecce ego morior.* 1. *Reg.* 14. *v.* 43. Quomodo tunc malum omne imprecabitur dæmonibus, qui illum deceperunt; & ſibímet ipſi, quòd decipi ſe permiſerit; diei, qua natus eſt; Patri, qui illum genuit; Matri, quæ ipſi lac præbuit; Fidei, & Baptiſmo, quibûs Chriſtiani nomen eſt conſecutus! Tu jam nunc invigila, ut ſeriò in animum tuum penetret funeſtus hic & inutilis dolor, ut inde profectum haurias. Deteſtare tòt annos adeò malè perditos, & actam Pagani vitam in ſancta Chriſtiani profeſſione; ſtatue, deinceps id omne, quod tranſit, nihili facere, & illius, dum præſens eſt, nullam aliam habere rationem, quàm illius habiturus es, poſtquam transîerit, in æternitate; roga Deum, ut impertiatur tibi gratiam hîc plangendi cum pœnitentibus, ne plangere ibi debeas cum damnatis.

II. Conſidera ſecundum Chriſtiani damnati affectum, videlicet *Iram & indignationem de præſenti: Præ anguſtia ſpi-*

ritûs gementes. Hæc indignatio respondebit magnitudini immensi mali, in quod incidit miser, & magnitudini boni immensi, quod perdidit. Quantum verò malum ipsi erit, habitare semper in ejusmodi carcere, cujus muri sunt ignei, pavimentum est igneum, lacunar igneum, aër est igneus, catenæ igneæ, ignea flagella, socii captivi etiam ipsi flammîs undique sunt penetrati. Sed quibûs flammîs? quibûs ignibûs? Non ignibûs, in nostrum obsequium à Deo conditîs, & per debiles naturæ vires excitatîs, utì sunt ignes illi, quibûs utimur in hoc mundo; sed ignibûs à Deo creatîs, ut sint instrumenta vindictæ contra rebelles suos, excitatîs & inflammatîs ab omnipotentia Dei, tantæque efficaciæ, ut illi, qui Majestatem & sublimitatem ejus agnoscere noluerunt, eam nunc ex gravitate plagarum ac verberum agnoscant, quibûs illos propria sua manu cumulabit: *Scietis, quia ego sum Dominus percutiens. Ezech.* 7. *v.* 9. Similî modô Bonum perditum quantum non excitabit in Reprôborum cordibus dolorem, cùm bonum perdi-

ditum ſit immenſum, & ſit perditum ob rem nihili, & ſit perditum, dum adeò facilè potuiſſet obtineri, ac denique ſit perditum absque ulla id aliquando recuperandi ſpe, ac remedio; ipſi verò ex vaſis Miſericordiæ, utì eſſe debuerant, converſi ſint in vaſa iræ, ad ſummum uſque labrum repleta miſeriîs, omni imaginatione ſuperioribûs. O Regionem infelicem, electum ab anima in perpetuum ſuum habitaculum, quæ tamdiu habitavit in Domo Dei, in ſancta, inquam, Eccleſia! Et tamen hanc habitationem miſera ſibi elegit anima, ut per imaginarias voluptates ſenſibus ſuis ſatisfaceret! Eſtne poſſibile, ut, cùm in infernum nemo decidat, niſi qui ipsémet vult decidere, tot nihilominus Chriſtiani in illum identidem prolabantur? Quis, obſecro, infelices iſtos urget ac impellit, ut peccando in horrendum adeò præcipitium ſe conjiciant? O maledictum peccatum, quod Deum adeò benignum cogit, ut tam ſeverè agat cum anima, quæ paulò antè illius fuerat ſponſa, nunc verò ſemper erit trophæum Divinæ Juſtitiæ, erectum in ignibus æter-

æternis, nec ampliùs removendum! Interim si Deus ad hujus mundi vitam remitteret ex damnatis illis animabus unam, quam illa pœnitentiam non subiret perlibenter? Quam igitur pœnitentiam subire te oportet, ut securum te reddas, ne in barathrum illud decidas? An nimiam tu fortè pœnitentiam agere poteris? Sit igitur aliis pœnitentia nimiùm gravis & dura; tibi numquam dura nimis & gravis accidet, si infernum cogitaveris, & illam susceperis tamquam medium evadendi infernum. Propone igitur tuam innovare vitam; erubesce, quòd tam diuturnum misericordiæ tempus malè perdideris; accusa te in conspectu Dei de peccatis tuis; age ipsi gratias pro tanta patientia, qua etiamnum te expectat; & roga illum per Divinum suum Sanguinem, ut gloriam suam in te augeat impertiendo tibi veniam, non verò, uti pariter justissimè posset, pro tuis peccatis te castigando.

III. Considera tertium Christiani damnati affectum, nempe *Desperationem de futuro: Turbabuntur timore horribili in subitatione insperatæ salutis.*

tis. Hæc deſperatio erit, quæ unà cum immenſo æternitatis pondere penitus tandem opprimet animas illas infelices.

De cætero ſi vel unus bonæ & amicæ ſpei radius penetrare ac videri poſſet in illis tenebris, & aliquam liberationis facere ſpem; etiamſi liberatio illa futura primùm eſſet poſt tot ſeculorum milliones, quot olim fuerunt aquæ guttulæ in magno illo totius Mundi Diluvio; id tamen ſufficeret ad exſiccandas omnes Damnatorum lachrymas, ad flammas omnes leniendas, ad damnatorum ora lamentis omnibus claudenda. Sed non poteſt hic radius illuc penetrare, quia carcer eſt æternus, Carnifices ſunt æterni, ignis eſt æternus, anima eſt æterna, peccatum eſt æternum, ultimæ ſententiæ decretum eſt æternum; unde nil aliud illis remanet, quàm ut mortem inquirant ſemper, numquam tamen illam inveniant. Si ſaltem poſſent decipere ſeipſos, ſibíque licèt falsò imaginari finem hunc, qui tamen futurus eſt numquam, aut ſaltem ad tempus aliquod poſſent oblivíſci incomprehenſibi-

lis

lis iſtius æternitatis! ſed neutrum potе-runt, quia Divina Juſtitia ſemper illorum oculis objiciet illud *Numquam*, & illud *Semper*, in quibus perpetuò revolvitur ipſorum miſeria; ita quidem, ut, quamdiu non deficit Omnipotentia Creatoris, illius immenſitas, & illius Sanctitas, tamdiu deficere non poſſit illorum ſupplicium & pœna. Vide igitur, quid damnatarum animarum deſperationem ſtabiliat, quia nempe non ſolùm tolerare debent pondus æternitatis ipſius; ſed inſuper, quia æternitas illarum cognitioni ſemper inhæret, perpetuò opprimuntur ab illo pondere, quod æternitas habet ex infinito. Quid dicis ad veritates iſtas indubitatas? An eas aliquando profundiùs es perſcrutatus, ac rite percepiſti? *Intellexiſtis hæc omnia? Matth.* 13. *v.* 51. Si intellexiſti, quî fieri poteſt, ut iterum pecces, téque rurſus periculo exponas, ne peccatum illud tibi ſit ultimum ex iis, quæ condonare tibi ſtatuit Deus, ſitque tibi fatale momentum illud, ex quo pendeat inferni pœna perpetua? Conſule tantiſper genium tuum delicatum, an ha-

beat vires ferendo tanto oneri pares? Si pœna unius solùm Damnati distribueretur inter omnes homines etiamnum vivos, sufficere hoc solum posset, ut omnes morerentur præ timore; & tu non dubitas, illâ simul omnî per cuncta futura secula tuos humeros onerare? Modò lamentaris interdum ob paupertatem, lamentaris ob pœnitentiam exsolvendam, lamentaris ob injurias tibi illatas, & tam graviter sentis quamlibet honoris tibi debiti jacturam. Sed ô! quàm alia erit paupertas illa, quæ præter ignes aliud nihil habet? quanta erit pœnitentia, jacere semper in lecto igneo; si jacere uno duntaxat anno in lecto plumeo & rosîs instrato, & non posse se convertere in latus alterum, foret pœna intolerabilis? quantus erit contemptus & vilipensio, tota æternitate jacere sub dæmonum pedibus, & ab illis perpetuò rideri & exsibilari, & de illis numquam se posse vindicare? Si ingens ista miseria fidem solùm mereretur ob assertionem & autoritatemSapientis alicujusViri, prudentis esset, sibi propterea saltem timere, séque securum ab hac miseria redde-

dere; judica jam, annon requirat prudentia, ut quis ſibi timeat, ſéque ſecurum conſtituat, maxima, qua fieri poteſt, ſolicitudine fugiendo & evitando periculum, tam certò in abyſſum illam decidendi, quàm certa eſt ſancta fides. Hic igitur eſt timor ille, quem animô concipere debes, dum iſta conſideras; non alius, qui te affligat ſinè fructu; ſed timor, qui te excitet ad bene agendum, atque ad fugiendum peccatum, pro quo ſolo conditus eſt infernus. Deteſtare proin ex intimo corde hoc Monſtrum, ipſo inferno pejus, mortale videlicet peccatum. Erubeſce, quòd illi unquam locum dederis in animo tuo, tam parùm curando malum, quod æternîs ignibûs perſequitur Deus; exprobra tibímet ipſi malitiam tuam, & roga Deum, ut, cùm ipſe hanc ſuîs jam lachrymîs, etiam ſanguineîs, deploraverit, nunc gratiam tibi largiatur, ut eam in hac vita rite ac dignè deteſtari valeas, ut illam æterna deſperatione deteſtari non debeas in altera.

Sacrorum Exercitiorum Dies Quinta.

Meditatio Prima.

De Diſcrimine, quod intercedit inter ſtatum Beatorum in Cœlo, & ſtatum Damnatorum in Inferno.

I.

CONſidera immenſam, quæ Beatorum inter & Damnatorum ſtatum intercedit, differentiam; & primò quidem, quod ad locum attinet. Cœlum ſpatioſus adeò locus erit, ut Propheta Baruch dimenſus illum initiô fuerit cum ingenti admiratione: *O Iſrael! quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus habitationis ejus! Bar.* 3. *v.* 24. Mox addit, illum eſſe immenſum, & nullum habere finem: *Magnus eſt; non habet finem, excelſus & immenſus. ibid.* nam, licèt habiturus ſit terminos ſuos, hi tamen erunt adeò dilatati, ut videatur locus hic nullos habere terminos. Si noſtra hæc tellus, firmamento cœli compara-

parata, non videtur esse nisi punctum, quid erit illa, si ipsi adeò cœlo empyreo comparetur, cujus intuitu firmamentum cœli pariter non videtur esse nisi punctum unum? Huic domûs Dei amplitudini par erit illius nitor, qui nullam omnino maculam, etsi levissimam admittet unquam; nitori conformia cætera quoque erunt ornamenta; cùm enim locus iste sit futurus Aula Regia Regis Regum, ac Dei Thronus, ubi ille Majestatem suam incomprehensibilem, non jam velata, sed aperta exhibebit facie, oportet haud dubiè omnia reliqua Majestate hac esse digna. Posse igitur die vel unica in beato isto loco manere, felicitas esset jure meritissimo anteponenda felicitati, qua frueretur is, qui mille adeò seculîs in Aurea Salomonis domo degeret: *Melior est dies una in atriis tuis super millia. Psal.* 83. *v.* 11. & ibi tamen Beati morabuntur æternùm! Hoc igitur erit Palatium tuum, si Divinæ Legi obsequaris, & animæ tuæ salutem obtineas. At si contrà vivas, ac moriaris in peccato, & æternùm condemneris, quis capere satìs poterit, quàm in-

felix futura ſit commoratio tua! Erit hæc in infimo terræ loco carcer obſcurus, plùs tribûs milliarium millibûs à patria & regione, quam modò habitas, diſſitus; erit anguſtus adeò, ut ibi cum Damnatis cæteris, velut in faſcem unum colligatus, ſis permanſurus, quin aliquando vel digitum movere queas; tam erit fœtidus tum ob ſulphureum ignem, qui hoc pabulo nutrietur perpetuò, tum ab aërem illum, qui nullam umquam habebit exhalationem, tum ob illum fœtorem, qui prodibit ex ipſis Damnatorum corporibus; cùm vel ſolum tuum corpus, poſt mortem in terra ſinè ſepultura collocatum, ſufficeret ad viciniam omnem quantacunque illa fuerit, contagioſô morbô inficiendam ob fœtorem ſuum; erit inſuper obſcurus adeò, ut per cuncta futura ſecula nec unicum lucis radium ſit admiſſurus: *Usque in æternum non videbit lumen. Pſal.* 48. *v.* 20. Hoc in loco per horam etiam breviſſimam perſiſtere, quamquam inter omnes totius mundi delicias, ſupplicium foret ſinè comparatione maximum; & tamen ibi debebis perſiſtere, non

non inter delicias, ſed inter ignes, & inter ignes ardentiſſimos, in mari ſulphuris liquefacti, inter ignes à Juſtitia divina ſuccenſos, ab eáque adhibitos in inſtrumentum pro demonſtranda immenſa ſua ſanctitate & odio, quo fertur in peccatum; &, quod amplius eſt, debebis in iis perſiſtere per omnem æternitatem. Et fieri tamen potuit, ut apertîs oculîs commutationem adeò tibi damnoſam peccando feceris, & cœlum permutaveris carcere tam infelici? Et fieri etiamnum poterit, ut nihili causâ hanc eandem commutationem denuo repetas? Si modò bonæ homologeſis ope in Dei gratia te conſtituas, tuum jam erit cœlum; at ſi ad peccandum redeas, redibis pariter ad perdendum illud, & permutandum cum inferno; magísque ſemper incertus eris, an Superûm favore futurum ſit, ut è barathro illo tam infelici emergere queas impoſterum. Numquam igitur evenire ſinas, ut ad tantam denuo ſtultitiam redeas; deteſtare jam nunc præteritam tuam ignorantiam; & pudore amaro ſuffundere coram univerſa cœleſti curia; conſtitue,

quòd deinceps velis quocumque tandem modo æternæ tuæ ſalutis te certum ac ſecurum reddere; & roga Deum per miſericordiam illam, quam tu minimè quidem mereris, ut impertiatur tibi gratiam, ex intimo corde deplorandi peccata tua, antequam deſcendas in locum illum tormentorum, in illam deſperatorum regionem, in hoſpitium illud, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

II. Conſidera diſcrimen, quod intercedet inter Beatos ac damnatos, ratione *Sociorum*. Beati tantam conſtituent multitudinem, quæ videbitur nullum habere numerum, adeò erit immenſa; & nihilominus non erit in tanta multitudine vel unus, qui corpore & anima tenus non ſit undique repletus omni bonorum genere. Tuum igitur corpus, ſi Beatis annumeraberis, erit immortale, & impaſſibile, quin experiri unquam deinceps ſive poſſit, ſive debeat, aut famis, aut ſomni, aut fatigationis, aut alicujus damni moleſtias, etſi per ardentes etiam flammas incederes; erit adeò pulchrum, adeò luci-

cidum, ut ſolem ipſum cum omni ſua luce diſparere cogeret, cùm futurum illud ſit ectypon animæ, cœleſtì gloriâ radiantis; hæc verò tantô potietur in ſuum corpus dominiô, ut illud vel in ictu oculi ab uno firmamenti polo, ſi libuerit, ad polum alterum absque ullo laſſitudinis periculo transferre poſſit. Tui ſimiles futuri ſunt pariter omnes Sodales tui, eóque pulchri etiam ac venuſti magìs, quò magìs te beati fuerint. Animô verò tenus pariter omnes erunt ſapientiſſimi, virtute excellentiſſima præditi, lætiſſimi omnes, omnes amabiliſſimi, & omnes invicem amore ſummo conjunctiſſimi, & omnes ſibi mutuò de amicorum bono, non minùs ac de proprio gratulabuntur; omnes denique tantâ inter ſe concordiâ perfruentur, ut per omnem æternitatem nulla inter ipſos futura ſit opinionum diverſitas. O beatam pro te Societatem, ſi illâ te dignum præſtiteris! Et enimvero dignum te præſtabis, ſi de peccatis tuis ſinceram egeris pœnitentiam, neque deinceps ad eadem rurſus committenda induci te ſinas. A verò, ſi ex adverſo ad peccandum

revertaris, atque te perditum eas, quis erit te infelicior? Tolerabilius foret per mille ſecula habitare cum ſerpentibus, quàm unica ſolùm die cum infeliciſſimis tuis in inferno ſociis. Omnes enim erunt invicem inimici infenſiſſimi, immortalî in ſe invicem odiô pleni; & quoniam indomitas habebunt omnes animi affectiones, rupta omni lege, omni ratione peſſumdata, numquam ullâ fruentur invicem concordiâ. Stridor ſolummodo, planctus, ululatus, lamenta ſufficient, ut infeliciſſimam reddant hanc ſocietatem; judica jam, quid futurum ſit, ſi accedant blaſphemiæ, execrationes, improperia dæmonum, qui monſtroſo ac terribili aſpectu ſuo, ſarcaſmîs, & opprobriîs proditionem illam perficient, quam olim peccatori ſunt machinati, dum illum ſolicitârunt, ut eorum culpæ & pœnæ ſe participem redderet. Si vel unica nox, quæ inſomnis ducitur, videtur adeò longa, licèt in plumeo atque percommodo tranſigatur lectulo, qualis erit, obſecro, æterna illa nox, quæ nullum ampliùs videbit ſolem, & tranſigi debebit in abyſſo ignis,

ignis, in tot inimicorum medio, in medio tantæ desperationis, & in medio tot desperatorum hominum! Et tamen ad hanc abyssum te inducunt & dirigunt perversi tui socii, tuæ deliciæ, illa tua pœnitentiæ fuga, delicata illa corporis tui cura, illa tuiipsius per solitas sordes contaminatio. O! si jam nunc intelligeres, quàm carô tibi olim pretiô staturæ sint hæ tuæ deliciæ! Profectò secederes in eremum, includeres te speluncæ, non nisi solîs te nutrires herbîs ac radicibûs, nuda cubares in humo, corpus tuum haberes, ùt bardum pecus; ut à tanto te malo securum redderes. Verùm ut hanc securitatem obtineas, necessum non est, ut vel minimum horum facias. Observando duntaxat legem Dei, in eo te solummodo vitæ statu, quem Deus à te petit, constituendo; non otiosam retinendo divinam gratiam, hanc tibi securitatem comparare poteris. Ah igitur! oculos aperi tandem aliquando in tuum commodum; annos malè perditos deplora; amaro rubore suffundere; statue, nullum deinceps intermittere medium, quo

salu-

ſalutem tuam queas in meliore ſtatu collocare; & omnes ſanctos Cœlites precare, ut, quamvis in hanc uſque diem parùm adeò curaveris, ut ipſorum in cœlo ſocius fieres, compati tamen velint ignorantiæ tuæ, tuóſque apud Deum Advocatos agere, ad obtinendum tam grande bonum.

III. Conſidera diſcrimen, quod inter Beatos ac damnatos intercedet *in occupationibus*. Omne Beatorum negotium erit amare ſummum Bonum, illud laudare, & illo æternùm gaudere, nec aliud ampliùs deſiderare, cùm in illo poſſideant omnia. Amabunt illi Deum absque omni comparatione magìs, quàm ſeipſos ament, cùm eum videant ex ſemetipſo infinitè meliorem, quàm ulla res alia ſit ipſis, aut poſſit eſſe bona. Laudabunt illum, quin fatigentur unquam, quia clarè videbunt, numquam in illo ſibi defuturam laudandi cauſam. Gaudebunt illo pariter æternùm, quia illius dulcedine inebriati, ex omnibus & immenſis illius perfectionibus gaudium haurient inexplicabile, absque ullo illius in poſterum amit-

amittendi periculo. Hæc cœli totius eſt occupatio feliciſſima; eam tu modò compara cum negotio, quod damnati gerent in inferno. Negotium illorum erit amariſſimè flere, deſperare, ſeipſos, ac ſocios ſuos, quin & Deum ipſum odiô perſequi, hunc blaſphemare, hunc execrari, & nihilominus agnoſcere, quòd Deus, tantopere ſibi inviſus, ex his eorum blaſphemiis, & execrationibus, ex his eorum pœnis ac tormentis, ingentem gloriæ materiam capiat. Ægrotus inter languores ſuos interdum obdormiſcit, eóque temporis ſpatio mali ſui non ſentit moleſtias; at verò anima damnata numquam poterit malorum ſuorum ſenſum ac memoriam ponere; ſemper ob oculos illi verſabitur æternæ Damnationis ſuæ ſententia, & eapropter ſemper agetur in rabiem, quin tamen illam poſſit effugere, dum interim Deus hanc ob cauſam triumphum aget cum univerſis cœli civibus. Quid jam ad te ipſum ais? an arbitraris, quòd ad te ſermo non ſit, cùm agitur de inferno? Si aſſuetus es in peccato lethali vivere,

ad te vel maximè ſermo eſt, & propter te fabricatus eſt infernus; ac proinde ſi verè credis ingens illud Beatos inter ac damnatos diſcrimen, quî, obſecro, fieri poteſt, ut tanto te exponas periculo, diſcrimen illud experiendi per omnem æternitatem, dum redis ad offendendum iterum Deum Creatorem tuum! Sunt jam in flammis illis innumeri, qui reipſa nunc illud experiuntur, nec ibi ſunt ob cauſam aliam, quàm quòd ſecurè ſe peccaturos exiſtimaverint, ea ſpe, quòd poſtmodum pœnam illam ſint evaſuri, quamvis eandem peccatîs ſuîs identidem magìs promereri perrexerint. Non illuc per vim ac violentiam abducti fuêre, non eò crinibûs attracti fuêre à dæmonibus, libere illuc peccatorum ſuorum pedibûs conceſsêre: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Eccle.* 12. *v.* 5. Et tu ſtultorum illorum numero vis accedere, qui pro unico voluptatis momento integram admittunt tormentorum æternitatem? Deus forſitan, ſi ad peccandum redeas, tibi veniam dabit? quid verò, ſi non daret? quid te fieret?

ret ? Pœnitentiæ forſitan ſacramentô animum expiabis ? at ſi ad præſtandum hoc ipſum tempus tibi non ſuppeteret ? quid, ſi debita doloris ac propoſiti diſpoſitio non adeſſet, quæ ad veniam obtinendam requiritur ? ubinam dein per omnem æternitatem foret habitatio tua ? Negare profectò non potes, quòd ſpes tuæ magno fruſtrationis periculo ſint expoſitæ. Jam verò exponere ſe periculo, admiſſam pudendam voluptatem unico ſolùm die in flammis expiandi, extremæ utique ſtultitiæ foret ? verùm centies majoris foret ſtultitiæ, exponere ſe periculo centenîs adeò diebûs flammas illas propterea perpetiendi ; & millies adhuc majoris, exponere ſe flammarum hujusmodi periculo, ſi annîs illæ centenîs ſubeundæ pro unica voluptate forent ; jam ergo judica, qualísnam ſit ſtultitiæ, flammarum iſtarum, pro hujusmodi voluptate per dies infinitos, per annos infinitos, per infinita ſecula, ſemper, ſemper, ac ſine fine ſubeundarum, periculo ſe exponere. Semper inter flammas adeò voraces, ſem-

per

per in carcere tam angusto, semper inter tenebras, semper inter planctus & lamenta, semper inter damnatos socios, semper inter dæmones, semper inter blasphemias, semper inter desperationem continuam vivere Christianum, qui labore tam facili semper poterat habitare cum Angelis, beatè vivere cum Sanctis, sedere in throno Dei, & ùt amicus Dei omnî bonô æternùm frui? Quî est possibile, ut veritates istæ vel modicùm percipiantur ab homine, eúmque non mutent in hominem alium? Erubesce de vita tua, tanta cum cœcitate hactenus traducta; & roga Deum, ut, cùm adeò sit horrendum incidere in manus ejus, det tibi vires & gratiam mutandi mores tuos, ut ipse possit mutare sententiam suam, quæ te condemnat.



Me-

Meditatio Secunda

Pro Die Quinta.

De Neceſſitate agendi Pœnitentiam, expreſſa in parabola de ficu infructuoſa.

ARborem fici habebat quidam, plantatam in vinea ſua; & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce, anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; ſuccide ergo illam; ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora; & ſiquidem fecerit fructum; ſin autem in futurum ſuccides illam. Luc. 13. *v.* 7. 8. 9. *&c.*

I. Conſidera graviſſimas agendæ pœnitentiæ rationes, quas in ficûs infructuoſæ parabola expreſſas habes; ſúntque iſtæ tres: quòd conſtitutus ſit certus annorum numerus, quo pecca-

torem ad pœnitentiam expectare vult Deus; quòd ſtatutus quoque ſit certus culparum vel peccatorum numerus, quæ illi remittere vult Deus; quòd determinatus etiam ſit certus inſpirationum numerus, quas Deus peccatori vult concedere. Primum itaque pœnitentiæ & converſionis motivum eſt, quòd *conſtitutus ſit certus annorum numerus*, quo Deus ad pœnitentiam expectare vult peccatores, & inter illos etiam te. Tres anni ſunt, ait vineæ Dominus ad cultorem illius, quibûs venio fructum ex infelici hac ficulnea quæſiturus, & non invenio niſi folia, exſcinde illam igitur; neceſſum enim non eſt, ut diutiùs terram inutiliter occupet. Quot jam anni ſunt, quibûs à te fructum expectat Dominus? Quantum jam abîit temporis, quo te in Eccleſiæ ſuæ vinea viventem tolerat Deus, etiamſi tantum dedecus telluri adeò fœcundæ tuîs peccatîs afferas? Hæc profectò eſt patientia Deô digna, ùt qui tolerare & condonare novit; at non eſt patientia, quæ perpetuò durat; *Numerus menſium ejus apud te eſt. Job.* 14.

14. *v.* 5. Certum habet menſium numerum vita tua; & hic menſium numerus in mentis divinæ tabulas eſt relatus: *Apud te eſt.* Et ex eo vel punctum temporis præteriri non poteſt: *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. ibid.* Imaginare tibi paululùm, quod reipſa verum eſſe facillimè poterit, vitam tuam ad finem vergere; cùm ne unicam quidem horam ab ictu illo, quem aliquando infligere tibi mors debebit, ſecuram habeas, quid, obſecro, te fiet, ſi modò te ſeriò non convertas, neque conſtituas, iniquam tuam vitam commutare cum vita pœnitente? Succidetur nempe hæc arbor infructuoſa, & mittetur in ignem, ut ſemper ardeat. Sed illud *ſemper* quid innuit, quod tibi toties conſiderandum proponitur, & à te tam parùm intelligitur? Indicat, quòd poſt dies innumeros, poſt innumeros menſes, poſt annos innumeros, poſt innumera ſecula, futurus adhuc ſis ad infelicis æternitatis initium, ad initium deſperationis tuæ, ad incendii tui inextinguibilis initium. Si vel unus ex univerſo hominum cœtu, qui oppor-

tuno tempore ſe in melius non converteret, damnaretur ad inferos, cœterorum omnium in mundo remanentium corda terrore ac ſolicitudine impleri deberent; & ecce, obtinere tamen Deus à te nequit, ut illum timeas, etiamſi tibi apertè ſignificet, non unum duntaxat, ſed infinitos eſſe hujusmodi ſtultos: *Stultorum infinitus eſt numerus. Eccli.* 1. *v.* 15. paucos verò Electos eſſe ad gloriam: *Pauci Electi. Matth.* 20. *v.* 16. Si animæ tuæ compati nolis, tuo ſaltem corpori compatere, quod alioquin adeò carum habes, & nihilominus ad pœnas in altera vita tam horribiles reſervas. Et tamen inter duo mala eligendum tibi eſſet minus: jam verò numquid minus eſt malum, ſenſibus tuis ad breve tempus vetitas negare voluptates, quàm, poſtquam eas illi indulſeris, eas ignibûs, nullum umquam finem habiturîs, luere? numquid minus eſt malum, multa nunc opera bona conquirere, ut contracta apud Juſtitiam Divinam debita hîc exſolvas, quàm integrum hoc ſervare debitum, quin illud etiam novîs identidem debitîs cumulare, ut ſatis-

tisfacias in illo carcere, ubi ſolvere debebis ſemper, & ſolvendi finem facies numquam? Durum nempe eſt, negare ſenſibus tuis, quod importunè petunt; at, ſi durum eſt, concupiſcentiæ tuæ flammis ad breve tempus reſiſtere, quomodo ſuſtinere poteris flammas illas, quæ in inferno te expectant, & tanto durabunt tempore, quanto durabit ipſiúsmet Dei vita? Conſtitutus jam es in magna hac neceſſitate, eligendi è duobus unum, inter quæ nullum eſt medium; aut fructum videlicet, aut ignem, aut deſerenda tibi eſt via peccati, aut illa terminanda eſt ignibûs, qui æternùm non extinguentur ampliùs. Tuum igitur animum ingredere, ac tempore, quod ad pœnitendum, vitámque tuam commutandam tibi Deus indulget, in tuum commodum utere, & operibûs pietatis te illius ſecurum redde, cujus nulla umquam ſecuritas eſſe ſat magna poteſt, nempe ſalutis tuæ. Agnoſce belluinam tuam ſtupiditatem in tantis animæ perdendæ periculis, dum vel modicum laboris in agenda pœnitentia reſpuis. Reminiſcere, quanta

Deus egerit, ut tecum ſtatueret pacem, & quanta tu egeris, ut bellum cum ipſo proſequereris; at nunc demum ſtatue, ad illius pedes arma deponere, eúmque roga, ut vires tibi ſuppeditet, acceptandi & implendi conditiones, ab illo tibi propoſitas, & in tuum ſemper commodum redundantes.

II. Conſidera rationem alteram, quæ ad agendam te pœnitentiam impellit, éſtque *certus peccatorum numerus*, quem tibi remittere decrevit Deus. In ficu illa ſterili non alios vineæ Dominus reperit defectus, quàm omiſſionis: *Venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* At in te, præterquam quòd fructus bonos non proferas, advertitur inſuper, quòd fructus afferas & tibi & aliis noxios ac venenatos; cùm animas plures malô exemplô tuô, tuíſque conſiliîs, ac fraudibûs ad peccatum pertrahas, & in ruinam impellas. Recordare aliquantùm, quot ipſe peccata commiſeris, & quot alia à perſonis aliis committi feceris, tuam, ut eas in lapſum impelleres, adhibendo operam, fidem, pecuniam, autoritatem,

in-

ingenium, linguam, & omnem malitiam tuam. Fortaſſis illi omnes, aut eorum certè pars maxima, in primo innocentiæ ſtatu perſeverâſſent, niſi incidiſſent in te, qui à dæmone adjutus, & alio fors omni dæmone pejor factus, eorum animabus perniciem attuliſti. Quàm multò pauciora extitiſſent in mundo peccata, ſi numquam te vidiſſet mundus! An verò hic tuus vivendi modus porrò etiam perſeverabit ſemper? An neſcis, quòd interea peccatorum tuorum menſura magìs impleri pergat? Et ſi illa denique ſit plena, quid te fiet? maximè, cùm ſciri nequeat, quandónam illa denique ſit implenda; non enim omnibus ejusdem capacitatis ſtatuta eſt menſura. Cuidam ſervo in Evangelio remiſſa fuêre decem talentorum millia; & quidam alius ob neglectum ac defoſſum talentum unicum eſt condemnatus. Securum itaque te conſtitue; hac quidam hora colligere potes, menſuram tuam necdum omnino plenam eſſe, cùm Deus non modò te necdum caſtigaverit, ſed & præclaram adeò tibi ſuppeditaverit teipſum intro-

ſpiciendi opportunitatem, qualis eſt hæc ipſa ſolitudo ſacra. Tempus igitur habes vitam tuam mutandi in melius. Et quid denique perdis, eam hodie mutando, etiamſi multum adhuc vivendi tempus tibi ſupereſſet? Nihil omnino perderes, mutaretur enim fœx, & fimetum, quod ne brutis quidem animalibus ſatisfaceret, in convivium perpetuum, quod quavis hora paratum exhibet bona animi conſcientia: *Secura mens, quaſi juge convivium. Prov.* 15. *v.* 15. Perſuaſum proin habeas, deliberandum jam non eſſe, an ultimi finis tui conſecutionem in tuto ponere te oporteat. Deus perdendus non eſt; cœlum obtinendum eſt; anima ſervanda eſt, etſi totus dein pereat mundus, & omnia ſus déque vertantur. Eja! cor erige; de præteritis erubeſcere quidem, ſed animum deſpondere non debes; cœlum omne tuis è partibus ſtabit, & feſtiva celebrabit gaudia, ſi converti te ſeriò viderit; nec minùs erit ſolicitum, ut à Deo tibi perſeverandi gratiam obtineat, qua juvante, magnam experieris voluptatem, quòd ea relique-

ris,

ris, quæ modò relinquere plurimùm horres. Unde concludes per propositum adeò firmum, quod juramenti vim habere possit, quòd legem Domini ac Dei tui æternùm ampliùs deserere non velis: *Juravi & statui, custodire judicia justitiæ tuæ. Psal.* 118. *v.* 106.

III. Considera causam tertiam, quæ plùs cæterîs impellere te debet ad ferendos pœnitentiæ & emendationis fructus; videlicet *numerum certum inspirationum*, quas tibi concedere Deus statuit. Domino vineæ se cultor istius obtulit, ad excolendam iterum & majori cum diligentia ficum illam adeò sterilem, sed addidit, si diligentior illa cultura sua bene non cedat, & fructus optatos arbor non proferat, succidendam utique sinè misericordia hanc arborem esse; *Fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam:* Cùm justè forsitan fuisses commeritus, ut supplicium ac pœnam à te sumeret Deus, ecce, Sancti Patroni tui, Custos tuus Angelus; ac præ cæteris omnibus San-

ctiſſima Virgo ſuîs apud Deum precibûs effecerunt, ut hoc Exercitiorum ſacrorum medio cor tuum excoleretur, medio certè, quod tot ac tantis aliis integram ſanitatem contulit. Igitur ſi & hoc medium ſperatum non habeat fructum, quid expectandum tibi erit? ut nempe Deus ſuas apud te gratias pergat incaſſum perdere? ut pergat margaritas projicere ante immunda illa animalia, à quibus duntaxat conculcantur pedibûs? ut novas tibi ſemper adjicere pergat divitias, quò tu magìs antiquas dilapidare pergis? Hæc omnium eſt peccatorum ſpes, quam Divinæ Scripturæ tantopere carpunt ac reprehendunt, & quæ plerumque æterna deſperatione finitur; omnes Chriſtiani, quotquot modò ſunt in inferno damnati, ſpe iſthac ſtolida nitebantur, eáque turpiſſimè ſunt deluſi. Tu profectò non intelligis, quàm pretioſæ ſint inſpirationes illæ, quas tu adhuc neglexiſti, & quarum exiguam habuiſti rationem; at verô Deus, qui novit earum quamlibet tantô venire pretiô, quantô venit Jeſu Chriſti ſanguis, aliam illarum habet ratio-

tio-

tionem, eásque numerat ac ponderat eodem modo, quo ponderantur majores Margaritæ; ac ſummo cum rigore rationem de illis exiget. Quid ergo te fiet, ſi ſacra hæc ſolitudo ſit ultimus expectatæ obedientiæ, his inſpirationibus præſtandæ terminus, ita, ut hoc elapſo deveniatur ad vitæ tuæ ictum ultimum, vel ſaltem in poſterum negentur tibi abundantia illa gratiarum auxilia, ſinè quibus tua numquam excitabitur pigritia ad agendum bene? Si fortiora hæc auxilia darentur cuilibet alteri, ſi darentur ſemper, ſi darentur in quibusvis circumſtantiis, non jam eſſent gratiæ, & quidem gratiæ tam ſingulares; & ſi ex altera parte nonnullis ſunt negandæ, quibúsnam æquiùs ſunt negandæ, quàm iis, qui illas non æſtimant? Quantò igitur magìs contempſiſti gratias, tantò minùs illas deinceps poteris contemnere; quia vel pauciores, vel nullas ampliùs acquires; & quemadmodum illi, qui afflatus eſt peſte, non ſupereſt niſi vel ſanatio, vel ſepulchrum, ita & illi, qui perversè vivit, non ſupereſt aliud, niſi vel converſio, vel infernus. Non itaque jam tempus eſt, tam ineptè

ac

ac ſtultè loquendi, ùt aliàs ſolebas; Anima ſola & unica, anima, quæ morietur numquam, non meretur, ut illius ſalus fortuitis ac incertis alligetur eventibus, ſi eam reddere ſecuram queas. Agitur hîc de æterna felicitate, ac de miſeria pariter æterna; & ratio & fides te obligat, ut nullum ex inertia medium intermittas, quo tuam in meliori ſtatu cauſam collocare valeas. Teipſum igitur offer Deo, ad dandum illi poſthac vitæ Chriſtianæ fructum. Pete ab illo veniam, quòd in ſanctæ Eccleſiæ vinea adeò malè ac ſine fructu locum occupaveris; ſtatue, quibus in poſterum bonis operibus impendere te debeas; Sanctos omnes invoca, ut tuo nomine gratias agant ſummo Deo pro diuturna patientia, quam tecum exercuit, tibíque id obtineant, ut miſericordiam addat miſericordiæ, & id tibi largiatur, quod jubet, ut tu illi denique reddas dignos pœnitentiæ fructus.



Exa-

Examen
Pro Die Quinta.
De malis Habitibus, & eorum Remediis.

I.

EXamina, *malos habitus*, quos perverſo tuo vivendi genere contraxiſti; & primùm quidem in illorum inquire ſtatum, an videlicet inveterati illi ſint, & quanto jam tempore perdurent; nam alio eſt opus robore ad reſecandam arbuſculam adhuc teneram, & alio ad evellendam antiquam arborem.

II. Examina te circa *Remedia*, quæ applicare deberes, ad illos corrigendos. Primum ex illis eſt, ſeriò & efficaciter velle illorum emendationem. Infirmitates corporis tui ſanari poſſunt, etiam te invito, non item infirmitates animæ tuæ. Ad has enim requiritur voluntas generoſâ obtinendæ ſanitatis, & applicatio mediorum, hunc in finem idoneorum. Ad noſtrum finem ſunt illa duo media, quæ nobis indicavit Do-

Dominus in liberando illo energumeno, quem ab infantia jam insederat hospes stygius, cùm de illo dixit; *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio. Matth. 9. v. 29.*

III. Examina te igitur circa *Orationem tuam.* Orare non est recitare duntaxat precationes aliquas animo vago, & dissipato spiritu; sed est recurrere ad Deum magno cum animi fervore, magna cum humilitate, & constanti cum perseverentia ad obtinendam ipsius gratiam, utì fieri solet à navigantibus in mari vehementis tempestatis tempore, ubi nulla jam ampliùs evadendi naufragii spes superest, quàm in auxilio divino. Huic orandi modo nihil negatur eorum, quæ ad salutem nostram sunt necessaria; Unde, quàm parùm est possibile, ut Deus non stet promissis suis, tam parùm est possibile, ut longo tempore non exaudiaris, si hac orandi ratione Deum precari pergas, & perseveres. Oportet insuper Mediatricem & Advocatam pro obtinenda desiderata gratia adhibere Beatissi-

tiſſimam Virginem, quæ hunc in finem nobis eſt in Advocatam à Deo conceſſa; & in qua Deus erigere voluit puræ Miſericordiæ tribunal; unde illi poſſumus appropinquare cum omni fiducia. Denique ut hunc recurſum tantò magìs identidem reddamus efficacem, convenit, ut noſtra ex parte ad recipiendam gratiam magìs nos diſponamus, frequentando nimirum Divina Myſteria, quæ totidem ſunt canales, per quos à Deo cuncta in nos bona derivantur.

VI. Examina te circa *Jejunium*, per quod intelligitur omne corporis afflictandi genus, quod vel ad caſtiganda præterita peccata, vel ad præcavendos deinceps lapſus iteratos ſervit. Si corpori tuo cuncta indulgeas commoda, omnes concedas illecebras, omnem in lecto quæras mollitiem, omnes in menſa delicias, ſi ad omnes temporis fallendi occaſiones te conferas, ſi converſationibus omnibus adeſſe, & quocunque demum otiandi genere tempus malè conſumere velis, verbô, ſi pravis animi tui appetitibus negare nihil ve-

velis, ſi nulla fugias pericula, quæ Sancti omnes tantô vitârunt ſtudiô, quanta cum firmitate ac ratione ſperare poteris vitæ ac morum emendationem? Profectò expectare aliud non poteris, quàm ad vitæ ſemper in peccatis transactæ finem mortem ſinè fine duraturam in medio tormentorum omnium.

Finies hoc examen ſolitîs virtutum actibûs, jam aliàs indicatîs.

Meditatio Tertia

Pro Die Quinta.

De Malo Peccatorum venalium.

I.

COnſidera gravitatem peccatorum illorum, quæ tu appellas levia, præſertim, ſi illa non ex mera fragilitate, ſed ſtudiosè, & animô ſatìs deliberatô committas; & primùm quidem conſidera *gravitatem hanc in ſeipſa.* Etiamſi peccatum veniale nominetur leve ac parvum, non ideo tamen volu-

lumus indicare, id eſſe tale, ſi abſolutè & in ſeipſo conſideretur, ſed ſolùm ſi comparetur cum peccato lethali, quod malum quodammodo eſt infinitum. Etiam lacus appellatur parvus, ſi comparetur cum toto mari; & tamen lacus, ſi loquamur abſolutè, magnam admodum continet aquarum copiam. Idem eſt de veniali peccato; intuitu culpæ gravis videtur leve; at verò ſi ſe ſolo conſideretur, malum eſt adeò magnum, ut majus ſit aliîs omnibûs malîs, unicô duntaxat exemptô lethalî peccatô. Ecce igitur, in quo ſenſu cum veritate leves appellari poſſint ordinarii defectus tui; quales ſunt, mendacia ſinè alterius damno proloqui, levi de cauſa in iram exardeſcere, exigua cum reverentia divino ſacrificio aſſiſtere, minùs honeſta proferre verba, inani de cauſa invocare Dei nomen; quamvis hæc & his ſimilia, ſi illorum poſſes malitiam perfectè cognoſcere, quam in ſe continent, mori præ horrore deberes. Numquid enim hæc Deo diſplicent? numquid hæc divinæ illius Voluntati ſe aliquo modo opponunt, & imminuunt illius

gloriam, qui eſt ſupremus totius Univerſi finis, & bonum illud excelſum, quod à Creaturis ſuis exigit Deus? De hoc ne dubitari quidem poteſt. Atque ita veniale peccatum fit malum altioris ordinis, quàm ſint omnia mala pœnæ; malum, quod aliquo modo attinet ad ipſum Deum; malum, quod juſtè numquam poteſt eligi, ita quidem, ut, ſi nobis imminerent omnia bella, omnes ſterilitates, omnes peſtilentiæ, quæ mundum omnem ad finem uſque devaſtabunt, túque per hypotheſin impoſſibilem unicô peccatô veniali grande hoc totius orbis excidium poſſes impedire, id tamen committere non deberes; imò ſi poſſes damnatos omnes ex inferno liberare, aut etiam impedire, ne omnes è cœlo Beati præcipitarentur in hanc abyſſum, deberes potiùs ruinas iſtas horribiles, & hanc omnem damnationem permittere, quàm leviſſimam Deo moleſtiam facesſere; quia ſummum Creaturarum omnium malum eſt infinities minus, quàm ſit malum minimum, quod ad Deum Creatorem pertinet. Ad veritatum iſtarum adeò certa-

tarum lumen hîc obſtupeſce incredibilem tuam temeritatem, qua pro nihilo habuiſti peccata illa, quæ ad inferni te pœnas non condemnabant; & qua toties adversùs Dominum iterâſti rem, divinis Eius oculis adeò inviſam; erubeſce, quòd ſinè ullo metu id admiſeris toties in cor tuum, quod ſummo Bono tantopere diſplicebat; cùm tamen Illi placere, ac omni ex parte pleniſſimè ſatisfacere, longè pluris à te fieri ac æſtimari deberet, quàm omnium ſimul creaturarum felicitas ac beatitudo. Deteſtare millies, iterúmque millies omnes tuos præteritos in divino obſequio defectus, & roga Dominum, ut, cùm multæ adeò ſint illæ noxæ veniales, in quas per naturæ tuæ infirmitatem prolaberis, nunc tibi gratiam hanc impertiatur, ut ſaltem apertîs oculîs & plena cum advertentia illas deinceps numquam ampliùs admittas.

II. Conſidera gravitatem peccatorum venialium *in effectibus, quos producunt.* Duo malorum genera ſecum invehit morbus; unum eſt malum illud, quod in præſenti affert, nimirum

languor, nauſea, atque totius corporis pallor; alterum verò eſt malum illud, quod minatur in futurum, videlicet mors, & perpetua animæ à ſuo corpore ſeparatio. Ita prorſus peccatum veniale, cùm ſit ſpiritualis quidam animæ noſtræ morbus, illi in præſenti aufert, ſi non ipſam pulchritudinem gratiæ, certè amabilitatem illam ſingularem, qua Dei oculos ad ſeſe raperet, ſi foret absque ulla macula. Deinde magna ex parte privat animam fructu Sacrorum Myſteriorum, præcipuè Sacroſanctæ Evchariſtiæ, dum ponit obſtaculum intimæ illi conjunctioni, quam in illa deſiderat Deus. Denique moleſtum ac inviſum reddit animæ omne pietatis exercitium, imminuit caritatis fervorem, & vitales illos ſpiritus, qui alioquin in animam è ſuo capite, quod Chriſtus eſt, influerent. At verò longè peſſimum eſt malum illud, quod animæ in futurum minatur peccatum veniale, videlicet ipſa mors peccati lethalis, ad quam infirmitas iſta pedetentim appropinquat, partim aſſuefaciendo voluntatem ad vivendum pro ſuo libitu & arbitrio, partim de-

debilitando bonos habitus, cæterósque aggeres, qui exundanti tentationum fluvio ponebant obicem; partim denique Divinam permovendo Juſtitiam ad retrahendam opitulatricem manum ſuam; unde anima non ſatìs validè adjuta, & minùs, quàm par eſſet, protecta, paulatim ad lapſum inclinat. Quî potes igitur tam facilè, & adeò deliberatô animô hoc peccatorum genus admittere, quod ad malorum omnium poſſibilium barathrum, ad lethale videlicet peccatum, ac damnationem æternam inducere te poteſt? Aut forſan non multas in hanc uſquê diem animas, te multò meliores, eò perduxit; quæ cùm inciperent in modico eſſe infideles, eò devenerunt, ut infideles quoque in magnis fierent; & pedetentim deducti ſunt ad præcipitium, in eóque perîerunt? *Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli.* 19. *v.* 1. Deteſtare igitur, quantùm potes, omnes defectus tuos, quos interdum ne tum quidem ſatìs ſeriò deteſtaris, quando de illis te coram Sacerdote accuſas; fatere, te in vita tua, quam adhuc tam negligenter egiſti, ni-

nimis quàm fuiſſe cœcum, & iniquitatem bibiſſe velut aquam; ſtatue, culpas tuas impoſterum ponderare juxta pondus ſanctuarii; & quoniam illæ ſunt adeò deteſtabiles in conſpectu Dei, tibi verò adeò periculoſæ, propone firmiter, mori potiùs, quàm vel unicam ejusmodi animô deliberatô committere. Eum in finem auxilium pete à Chriſto Jeſu, illíque in memoriam revoca, quòd Sanguinem ſuum, ſuámque Mortem æterno Patri obtulerit, ut omne peccatum deſtrueret.

III. Conſidera gravitatem peccatorum venialium *in ſuppliciis, quæ poſt ſe trahunt*. Nullum eſt in hac vita infortunium, ſive paupertatis, ſive litium, ſive injuriarum, ſive perſecutionum, ſive morborum, ſive mortis, quod Deus non poſſit nobis quàm juſtiſſimè immittere in pœnam vel unius ex culpis illis, quas adeò libere nos parvas aut leves appellamus; cùm omnis ſacra Scriptura plena ſit hujusmodi pœnîs ac ſuppliciîs, ob hujusmodi culpas aliis mortalibus à Deo immiſſis. Et hoc parùm adhuc eſt in comparatione pœna-

narum illarum, quibûs hæ transgreſſiones etiam leves quotidie puniuntur in altera vita; cùm pœnæ illæ, quia naturæ vires excedunt, & altioris ſunt ordinis, omnes illos dolores ſuperent, quos iſthîc experiuntur ſenſus noſtri. Si vidiſſes aliquando Reum, ab humana Juſtitia condemnatum, ut in publico foro cremetur vivus, non poſſes perſuaderi, parvum ac leve illius delictum extitiſſe; quomodo igitur perſuadere teipſum potes, levem ac parvam eſſe culpam aliquam venialem, dum Juſtitia divina, quæ tamen falli non poteſt, hujusmodi culpam multò diutiùs, multóque duriùs ac acerbiùs punit in ignibus luſtricis? Anima, quæ in flammis illis detinetur, eſt dilecta Domini ſponſa, & ad cœleſtes nuptias deſtinata; ſummo tenetur deſiderio, ſeſe conjungendi cum ſummo Bono; Victrix, ac triumphum agens de inimicis ſuis, diſceſſit ex hoc mundo; & illam nihilominus unicum peccatum veniale violenter detinet in ea fornace, quæ, ut ita dicam, parvus aliquis infernus eſt, ſéque opponit mediam, ut anima Deum ſuum videre nequeat,

queat, & beata non ſit. Imò non ſolùm veniale peccatum, ſed illius duntaxat appendix aliqua, videlicet reſiduum aliquod pœnæ debitum, à peccato contractum, id eſt, quoddam quaſi præteritæ culpæ veſtigium, in divini Judicii bilance grave adeò pondus habet, ut amantem animæ Deum cogat, in pœnis illis dilectam ſibi animam tamdiu detinere, dum ultimum debiti ſui quadrantem exſolverit. Quid inſuper? Si anima, ex hoc mundo diſcedens, in amicitia Dei non fuerit, ſed in ſtatu peccati lethalis, atque adeò condemnata fuerit ad infernos illos ignes perpetuò ſuſtinendos, peccatum illud veniale, quocum deceſſit, cum reliquis lethalibus peccatis conjunctum, æternùm pariter cum illis puniri & caſtigari debebit. Vade jam, & adeò inconſultè peccata tua venialia dic eſſe parva & levia mala; cura jam, ut eorum identidem plura & plura ſtudiosè, & velut temporis fallendi causâ, accumules; annon advertis periculum, cui te ſinè ulla ratione exponis, illa per cuncta futura ſecula deplorandi? Et, tametſi

etſi tuam aliquando ſalutem ſis adhuc conſecuturus, & aliud tibi malum gravius ac æternum veniales tuæ culpæ illaturæ non ſint, non advertis, quòd, ſi ex animo illas non deteſteris, tuas tamen in igne luſtrico flammas longo tempore ſint nutrituræ, ſéque inviſum obſtaculum ſint oppoſituræ, ne beatitudinem adipiſcaris? Tum verò res illas non ampliùs modicas & leves appellabis, cùm ingens adeò ſit in illo incendio futurus dolor tuus, ut omnem imaginationem ſuperet; téque ſis deprehenſurus repulſum à Domino, & habitum pro Reo, atque experturus, idipſum, quod antea tenue filum eſſe crediderас, gravem eſſe ferreámque catenam, quæ à Summo Bono acquirendo te impediat. Diſce igitur, juſtum de peccatis illis ferre judicium, illáque abhorrere ex animo, quando in ſacro te tribunali de illis accuſas; ſtude inſuper per voluntarias pœnas anticipatò illa ſolvere, antequam Dei ſanctitas, ad eluendas animæ tuæ maculas, inexplicabilibûs tormentîs animam tuam penetrare cogatur. Erubeſce, leproſi inſtar,

qui à capite ad calcem uſque vulneribûs ejuſmodi plenus eſt; admirare diuturnam Dei patientiam in perferendis tot malis tuis moribus, cùm tu interim adeò tibi accuratè ab aliis inſerviri velis; ſtatue, nullum deinceps in corde tuo locum deliberatè concedere tam grandi malo; Deúmque roga per illud odium, quo ipſus in omne peccatum fertur, ut, quantùm quidem patitur infirmitas tua, nullum ampliùs veniale peccatum admittas.

Meditatio Quarta

Pro Die Quinta.

De Parabola Filii Prodigi.

Adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxuriosè. Et poſtquam omnia conſummâſſet, facta eſt fames valida in regione illa; & ipſe cœpit egère; & abîit, & adhæſit uni civium regionis illius; & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret por-

porcos; & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; & nemo illi dabat. In se autem reversus, dixit: quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibûs; ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum & coram te; jam non sum dignus, vocari filius tuus; fac me, sicut unum de mercenariis tuis. Luc. 15. *v.* 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

I. Considera *Discessum* hujus filii è domo paterna. Profectò hac in re se juvenem demonstravit, hominem, inquam, sinè ratione & intellectu. Quid enim illi defuit sub cura paterna; dum prospectum illi erat de rebus omnibus necessariis, aderant ad obsequia famuli, erat Parenti in amoribus, agnoscebatur bonorum paternorum hæres, & paulò minùs, quàm rerum omnium Dominus? Sed libertatis fallacis desiderium eò redegit hunc filium, ut etiam servis suam invideret conditionem; cœpit affici tædiô vitæ illius, ad id usque temporis sub obedientia semper exactæ; cœpit in-

incendi defideriô vivendi pro fuo genio, & agendi, quod agunt alii; hoc porrò tædium, hoc defiderium illi perfuafit, ut difcedendi facultatem peteret; quin & fuggeffit confilium petendi partem hæreditatis illius, quæ illi tota ac integra deftinata erat. Ecce tibi minutam illius ideam, quod fecifti tu, dum per peccatum ab obedientia, Deo & Patri tuo debita, receffifti. Quis te ditior erat, antequam perdideras innocentiam? Tibi præparata jam erat cœli hæreditas; neque multum lapfurum erat temporis, ut plenam potuiffes illius capere poffeffionem, cùm interea illius titulô inauguratus jam effes. Qualis deinde thefaurus, quem reipfa jam poffidebas, non erat gratia fanctificans, cùm illa fit donum maximum, quod in hac vita mortali puræ alicui creaturæ conferre Deus poteft? Per hanc eras Angelis carus, Sanctorum fodalis, vivum Divinitatis Templum, quæ tunc temporis habitabat in te, te gubernabat, te dirigebat, téque continuò in divinæ fuæ Providentiæ brachiis geftabat. Tu verò, juvenis absque prudentia, voluifti

ſti abuti liberô tuô arbitriô, ut vivere poſſes pro tuo libitu ac genio; cùm potiùs illo debuiſſes uti, ut patri tuo cœleſti magno cum merito te ſubjiceres; ſtolidè nimirum es arbitratus; ingens te lucrum facere, ſi Deum perdas. O! ſi quis aſſiſtere tibi potuiſſet, tuóque cordi lumen infundere, ut intelligeres obcœcationem tuam, qua induci te ſiviſti, ut pluris æſtimares creaturas, quàm illarum Creatorem; & grave jugum exiſtimares jugum præſtandæ ipſi obedientiæ; útque tam ſtolidè crederes, maiorem aut meliorem eſſe libertatem illam, quæ futura tibi aliquando erat veriſſima ſervitus! At nunc ſaltem dedoceri te patere, ac deperditum antea intellectum reſume; fatere, nullam aliam tibi eſſe libertatem, quàm ſi à Divina Voluntate regi te ſinas; & in Divinorum obſervatione mandatorum vivas; deteſtare errorem, cui locum hactenus in animo tuo conceſſiſti; agnoſce te indignum, ut tui curam ſuſcipiat Deus; ſtatue firmiter, numquam ampliùs ex illius domo diſcedere, ſed vitæ, divino ipſius nutui quàm

per-

perfectissimè subjectæ, tenorem eligere.

II. Considera *Commorationem* miseri hujus adolescentis extra paternam domum, ac damna, quæ illi acciderunt. Damna hæc potissimùm fuêre quatuor. Primum erat, quòd rem suam omnem malè consumpserit; secundum, quòd, ut vivere saltem posset, crudeli se domino subjecerit; tertium, quòd occupationi se impenderit omnium vilissimæ, pascendis nimirum immundis animalibus; quartum denique, quòd ad tantam redactus fuerit famem, ut & ille cibus ipsi defuerit, qui immundo suo porcorum gregi non defuit. Damna isthæc omnia, at in genere immensum tristiore, cuilibet incumbunt peccatori. Miser hic perdit amicitiam Dei, & cum ea cœlestes thesauros omnes, qui illam comitantur; subjicit sese inimico suo capitali, dæmoni videlicet, qui adeò illum exagitat, ut suæ nobilitatis, in sacro baptismatis fonte acquisitæ, & educationis in sanctæ Matris Ecclesiæ sinu sibi impensæ, atque adoptionis in Dei filium immemor, sordidissimæ to-

tius

tius mundi occupationi ſeſe impendat, paſcendis videlicet brutalibus ſuis appetitibus; quo in negotio, tam indigno, nequidem ſatisfacere ſibi pro libitu poteſt; adeò quidem, ut fames illius creſcat identidem, quantò illam ampliùs cibô tam pudendô ſatiare conatur, ac denique etiam illi deeſſe incipit, quod brutis animalibus & beſtiis campi abunde ſuppetit. Annon & tu expertus es hæc omnia, poſtquam peccâſti? cur igitur tuîs ſumptibûs, ac tuô damnô non diſcis denique tuam abhorrere miſeriam, atque ex regione tam ſterili, & bonorum omnium vacua, diſcedere, ac è manibus effugere domini tam crudelis, qui non niſi in malis tuis triumphat? An credis forſitan, te extra Dei Voluntatem, & extra domum Patris tui cœleſtis reperturum aliquando bonum illud, quod in hanc uſque diem non inveniſti? O te cœcum, ſi à temetipſo vis decipi! Quis unquam præliatus eſt cum Deo, & pacem habuit ſecum ipſo? *Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Job. 9. v. 4.* Tu itaque primus eris, qui id inveniat,

niat, quod nullus adhuc peccatorum unquam invenit; tuáque animi conſcientia, quæ aliis omnibus eſt accuſator, teſtis, & judex, & carnifex, ſoli tibi erit adulator, qui in tuis tibi peccatis blandiatur? Hoc igitur tecum ſtatue, nullum unquam verum te Bonum habiturum, niſi conſtitueris obedire Mandatis Dei; & propone, in poſterum mutare dictamina, & opiniones tuas, atque alium vivendi modum tenere; ſimul precare Deum, ut, ſi unquam deinceps abutaris libertate tua, atque Domum ipſius tentes deſerere, tot tantarúmque ærumnarum ſpinîs tibi viam præcludat, ut illico redeas.

III. Conſidera *Reditum* miſeri hujus adoleſcentis ad paternam domum, & ſtimulos, quibûs ad reditum fuit impulſus; hi autem fuêre tres. Primus attenta fuit conſideratio miſeriæ, quam in præſenti ſtatu patiebatur; ſecundus fuit comparatio hujus miſeriæ cum illorum ſorte, qui habitabant in paterna domo; tertius erat concepta viva ſpes veniæ obtinendæ à bonitate Patris, jam


aliàs

aliàs toties probatæ. Hæc omnia te quoque oportet facere ſumma cum diligentia. Oportet, ut teipſum aliquantùm ingrediaris, & introſpicias: *Redite prævaricatores ad cor. Iſa. 46. v.* 8. seriò videlicet ponderando infelicitatem cordis tui, dum procul eſt diſſitum à gratia Dei; ac proin non te geras, ùt mancipia illa, quæ à verberibus jam occalluerunt, & virgas ac flagella non ampliùs ſentiunt; nec eò devenias, ut & tu malorum omnium extremum appelles pacem: *Tot & tam magna mala pacem appellant. Sap.* 14. *v.* 22. Tantas inquietudines animi, tot ſcrupulos, tantas anguſtias, tot tantásque incomparabilium Divinæ Gratiæ theſaurorum, Divinorúmque favorum jacturas! Quòd hac in re non velis aliis credere, res adeò magna non eſt; at quomodo fieri poteſt, ut nolis etiam vel tibímet ipſi credere? quódque poſt tot experimenta contraria, nihilominus ſperes, te bonum aliquod extra Deum inventurum, & eodem ſimul tempore inimicum te Dei, & felicem ac beatum fore? Eodem tem-

S po-

pore, quo præ mera tu fame peris, quot alii, etiam infimi in domo Dei, cor faturum ac plenum habent abundanti pace? Quæ tandem occupatio magìs eft indigna homine Chriftiano, qui electus eft in æternum Angelorum focium, quàm pafcere fenfus fuos, eósque fequi, ac brutalibus fuis fervire ac fatisfacere concupifcentiis? Eja igitur, cape animos, ac generosè decerne: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Erige te, & exurge de luto, in quo jaces; & iter magnîs paffibûs ingredere ad inquirendum Patrem tuum, in cujus manibus ftat tua falus, tua pax, & æternitas tua. Quid times? Si tu amififti tuâmet culpâ, quod filio convenit, non ille fua bonitate perdidit, quod Patris eft; tu proinde, qui peccando fecutus es exemplum Prodigi hujus filii; ipfius pariter exemplum fequere pœnitendo; demitte ac humilia te ad terram ufque in confpectu Dei tui; fatere coram illo, & coram univerfa ipfius cœlefti curia, quòd peccaveris, & non merearis haberi pro filio; offer Domino Deo tuo liber-

bertatem illam, cujus amore inductus es ad deserendam domum ipsius; ac denique ingentem in te fiduciam ac spem excita, quòd Pater tuus cœlestis, cùm adeò te miserum, tam lacerum, tam nudum viderit, pietate sua commotus, tibi sit venturus obviàm, suo te collo admoturus, ac tenerrimè amplexaturus, ac pacis osculum tibi sit impressurus, quòd virtutum habitibûs te iterum exornaturus, & omnium delictorum tuorum memoriam sit aboliturus; tu autem infinitam hanc Patris tui caritatem admiratus, plùs quàm aliàs unquam peccata tua detestare; & continuam pro illis pœnitentiam agere propone; pete simul à Deo gratiam, non discedendi ampliùs è paterno ipsius regimine, & ab obedientia, tot tantísque titulîs ipsi debita.



Annotationes

Pro eo tempore, quod in Sacris Exercitiis Vitæ Illuminativæ tribuitur.

MEditationum Viæ Illuminativæ finis eſt, poſt ſublata jam obſtacula & impedimenta, animam diſponere ad perfectam caritatem, incitando illam ad imitationem Jeſu Chriſti in virtutibus omnibus, per conſiderationem Myſteriorum Vitæ ac Mortis ipſius Divinæ. Hæc conſideratio tanti eſt momenti, ut ipſe Dominus affirmare debuerit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum. Joan.* 17. *v.* 3. nam agnoſcentes vivaciter infinitam Perſonæ Ipſius dignitatem, & admiranda Ipſius Exempla, quæ nobis reliquit, animamur ad ſerviendum Ipſi; & inſiſtentes Ipſius veſtigiis, ſecurè pertingemus ad æternam in cœlo vitam. Ut igitur ex hoc Meditationum genere deſideratum poſſis obtinere fructum, obſervabis Annotationes, jam antè pro Medita-

ditationibus Viæ Purgativæ datas, iîs duntaxat nonnihil immutatîs, quæ ſequuntur.

I. Aliud ex propoſito non leges, nec aliud tibi Myſterium conſiderandum aſſumes, quàm id, quod ſuîs tibi temporibûs præſcripta proponet Meditatio.

II. Quamprimum manè evigilaveris, ſtudebis excitare in te deſiderium, meliùs cognoſcendi, & majorî ſtudiô imitandi Virtutes Jeſu Chriſti, vitam tuam ſecundùm Ipſius principia inſtituendi, &, quando Paſſionis Ejus Myſteria conſiderabis, compatiendi Doloribus Illius; neque interdiu cogitationes alias admittes, quàm eas, quæ ad finem Meditationum tuarum idoneæ fuerint.

III. Similiter aut majorem cubiculo inducere poteris obſcuritatem, aut lucem majorem admittere, prout ad excitandam majorem devotionem, aut ad conſequendum deſideratum finem hoc tempore magìs opportunum fore tibi viſum fuerit.

Sacrorum Exercitiorum
Dies Sexta.
Meditatio Prima.
De Beneficio Divinæ Incarnationis.

I.

COnſidera *Profundum* illud, cui immerſa fuerat Natura humana per peccatum, & per Damnationem æternam, quæ peccatum conſequebatur. Nec erat ulla uſpiam creatura tam fortis ac potens, quæ à tanto malo liberare nos poſſet. Cùm enim in peccato lethali contineatur expreſſa Creatoris injuria, & malitia certo quodam modo infinita, non poterant omnes ſimul creaturæ, etiam poſſibiles, hanc ipſam malitiam pro merito compenſare, ac dignè pro hujusmodi injuria ſatisfacere. Judica jam, an idipſum præſtare potuiſſent homines, qui omnes erant iniquitate ſua commaculati, & coram Domino ſupra omnem fidem abominabiles. Itaque, ſi omnes Angeli ſtetiſſent pro noſtra cauſa, non ſo-

ſolùm malis noſtris nullum attuliſſent remedium, etiamſi Deo ſe obtuliſſent ad redeundum pro nobis in nihilum; ſed ne quidem per omnem æternitatem potuiſſent invenire modum ſatisfaciendi Divinæ Juſtitiæ, ita, ut homo in Dei gratiam recipi mereretur. Vide, an profundior eſſe potuiſſet abyſſus illa, in quam incideramus! Agnoſce teipſum, quantùm ad te attinet, in hac tanta ſalutis deſperatione; tuîsque te cogitationibûs in ingenti illa abyſſo velut dæmonis mancipium, inimicum Dei, & Reum ad mortem æternam condemnatum, velut Luciferi in iniquitate ſocium, & in eadem quaſi perditionis ſententia comprehenſum colloca, ut tantò ampliùs teipſum humilies, & majores Divino tuo Servatori gratias agas ex toto corde tuo; erubeſce ex animo, quòd hucusque tanti támque excelſi favoris immemor fueris; inquire inter affectus & amores tuos in id, quod præ cæteris amas teneriùs, ídque offer Magno huic Domino in victimam, atque in nonnullam gratiarum actionem, quòd ipſe Divinam ſuam Sapientiam impen-

 dere

dere voluerit ad inveniendum modum aliquem, quo ex malorum omnium abyſſo erui, & meliorem in ſtatum penitus jam deſperatam cauſam tuam poſſes reſtitutam videre; fatere, quòd, ſi modò inimicus Dei capitalis non ſis, & nunc hæreditas tua non ſit æterna infelicitas, ac æterna deſperatio, id omne ſit ipſius donum; unde illum etiam roga, ut, cùm tanta hac caritatis ac bonitatis ſuæ copia tantopere te ſibi obſtringat, tibi lumen etiam impertiatur, favores iſtos rite agnoſcendi; ac inſuper gratiam, eos pro merito æſtimandi, gratúmque tuum animum per omnem vitam illi demonſtrandi.

II. Conſidera *Altitudinem* ſtatûs, ad quem Divina te Incarnatio ſublevavit. Poterat Deus ſimplici duntaxat ac extrinſeca remiſſione ab æternæ Damnationis malo te liberare, ùt facere ſolent Principes, qui Reis, ad mortem condemnatis, vitæ gratiam impertiuntur; & hoc ipſum tamen inæſtimabile fuiſſet beneficium. Verùm Deus contentus eſſe noluit, quòd ex malorum omnium abyſſo te extraxerit, ſed voluit inſu-

insuper gratiæ sanctificantis auxiliô ad Divinum quemdam statum te extollere; adoptavit te in filium, téque æternum Bonorum suorum omnium in cœlo hæredem constituit. Quis jam dimetiri poterit distantiam illam infinitam, quæ intercedit inter abyssum illam, & altitudinem istam, inter statum peccatoris, ad infernum condemnati, & statum Justi, destinati ad gloriam? Seraphini, dum hæc extrema metiuntur, adstant attoniti; tu verò stupendo adeò favore cor tuum ne leviter quidem commoveri sentis? Adjunge dein, quòd Deus, cùm nostram in abjiciendo thesauro nostro stultitiam, novúmque nostrum lapsum è summitate gratiæ in peccati barathrum prævideret, modum nobis insuper reliquerit restaurandi jacturam nostram per pœnitentiam & sacra mysteria, quorum ope statum illum excelsum, è quo paulò antè decidimus, recuperare possemus. Ubinam verò tu inter homines vel umbram ejusmodi caritatis invenies? Et tamen adeò te obstrictum Creaturis existimas ob exiguam aliquam tibi exhibi-

hibitam amoris demonſtrationem? Si oblivifceris Benefactoris tui; ſi illi ſeriò ac ſincerè ſervire renuis, & multò magìs, ſi illum iterum offendis, non invenies ingratum animum, tui ſimilem, ne inter ipſos quidem dæmones, qui numquam hujus generis favores ullos obtinuerunt à Deo; ſed poſtquam ſemel ceciderant, in ruina per omnia futura ſecula ſunt derelicti. Fatere igitur ingratæ mentis tuæ vitium, & infra ipſorum dæmonum, te minùs ingratorum, pedes abjice; propone, omnia dare, & exponere pro illo Domino, qui tot tantóſque bene tibi faciendi modos invenit, & poſtquam tanto rigore adversùs rebelles Angelos uſus eſt, tuis tamen poſtea miſeriis tam tenero cum amore ſubvenit; roga illum, ut, quoniam ipſius in te amor à peccatorum tuorum multitudine extingui ac ſupprimi ſe paſſus non eſt, ſuam nunc tibi gratiam impertiatur, ut reciprocus tuus in illum amor nullìs unquam laboribûs vinci ſe ſinat.

III. Conſidera *Medium*, quo uſus eſt Dominus ad conferendum tibi tantum

tum bonum. Medium hoc fuit, demittere ac humiliare ſémetipſum, ſuámmet Divinitatem communicando Naturæ humanæ, ut in hac pati & mori pro nobis poſſet. In aſſumpta hac natura noſtra non ſolùm ſeipſum privavit illâ gloriâ, & beatitudine, quæ primô ſtatim conceptionis ſuæ momentô ſacratiſſimo ſuo Corpori debebatur; ſed in illius præterea vicem amplexatus eſt labores, paupertatem, opprobria, tormenta, & mortem crucis; & ita quidem, ut multò plus ipſe toleraret, quàm ullus unquam hominum ſuper terram hanc toleraverit, tam extrinſecùs ab inimicis ſuis in membris ſuis divinis, quàm intrinſecùs in corde ſuo à doloribus aliis ſine comparatione majoribus, à ſuómet in nos amore proficiſcentibus. Jam verò ſi minima demiſſio ac humiliatio Supremæ illius Majeſtatis, & & minimus ipſius dolor infinitè excedit ac ſuperat id omne, quod pro te agere, vel pati poſſunt omnes creaturæ poſſibiles; prô! quale beneficium erit abyſſus illa ignominiarum, ac dolorum, cui pro te immerſus eſt Deus, factus homo!

mo! Certè si Dei filius vel unicum verbulum Divino suo Patri in favorem nostrum locutus esset, non haberemus nec tantos affectus, nec tot amoris testificationes, quibùs debitas illi grates agere possemùs; jam verò quid agendum nobis erit, cùm ipse nostra debita suómet sanguine dissolvere voluerit, cùm è Luciferi tyrannide liberare nos voluerit, sémetipsum submittendo Tènebrarum potestati, ac ministris dæmonum; cùm voluerit vitam nobis æternam comparare, subeundo pro nobis mortem, seséque exponere omnibus Justitiæ divinæ ictibus, assumendo formam servi, & figuram peccatoris? Si damnatus tu fuisses, non erat ille propterea futurus minùs felix, ac beatus; & tamen videtur, quòd nequiverit, vel noluerit sine te beatus esse. Vide, an aliquid amplius facere potuisset Verbum Incarnatum, si agendum illi fuisset, ut ita loquamur, de asserenda ac stabilienda Divinitate sua, quàm modò egerit, ut tibi mereretur, tibíque assereret ac stabiliret Beatitudinem tuam æternam? Et tu in illius gratiam id

age-

agere non voles, qũod tamen ageres vel in mancipii gratiam, ſi illud vitam ſuam expoſuiſſet periculo, ut tuam tibi vitam ſervaret? An fortè hic Dominus rem magnam à te petit, cùm deſiderat, ut obſerves legem ipſius, in cujus obſervatione omne tuum Bonum denique conſiſtit? Quid igitur dicere debebunt Angeli de monſtroſo iſthoc ingrati tui animi vitio? & quid de illo dicerent homines, ſi illud ſatìs intelligerent? Et quid de illo dicet ſuo tempore Chriſtus Jeſus, cùm te judicaturus veniet? Erubeſce igitur ſummopere, & agnoſce immemorem & ingratum tuum animum, quo non ſolùm Divinæ ipſius erga te Caritatis abundantiam reciproco amore compenſare neglexiſti, ſed illi præterea enormibûs ac graviſſimîs peccatîs reſpondiſti. Age proinde grates Domino, tam pro eo, quod pro te pertulit, quàm pro eo, quod à te pertulit; proteſtare, quòd, ſi omnes omnium creaturarum vitæ forent tuæ, vel in tua poteſtate, illæque omnes à te impenderentur in obſequium Servatoris tui, tu tamen ne minimam quidem de-

debiti tui partem exſolveres; offer illius divinæ Voluntati modicum id, quod es, ut de illo pro ſuo libitu diſponat, tamquam de re jam duplicî titulô ſua, tum quòd tanta cum potentia te creaverit, tum quòd tantô pretiô te redemerit; denique illum roga inſtantiſſimè, ut immenſo ſui amoris igne in te conſumat omnem ingratæ tuæ mentis labem, & omnem præteritam iniquitatem tuam, téque in hominem alium commutet, ita, ut deinceps non ſolùm ipſum ampliùs non offendas, ſed etiam ex toto corde ipſi ſervias.

Meditatio Secunda

Pro Die Tertia.

De Nativitate Jeſu Chriſti.

I.

COnſidera, quòd, quemadmodum mundus magnus eſt compoſitus ex omnibus creaturis, ita ſit alius quoque mundus moralis compoſitus ex peccatoribus; & hujus elementa ſint tres illi

illi perverſi amores, quos S. Joannes enumerat, amor videlicet malè ordinatus divitiarum, voluptatum, & honorum. Jam verò Mundus hic malignus, reprobus, & divinis Intentionibus penitus oppoſitus, & confœderatus cum Lucifero, eſt inimicus ille, quem Verbum Incarnatum in hunc mundum veniens, primùm exemplô ſuô, ac ſuo dein tempore etiam Doctrinâ ſuâ expugnare voluit. Conſidera proinde, quomodo Jeſus Chriſtus ſua paupertate oppugnare incipiat *malè ordinatum Divitiarum amorem.* Homo mundanus omne bonum in rebus temporalibus poſſidere ſe exiſtimat, & idcirco, ut illas acquirat, & non ampliùs amittat, omne propemodùm tempus impendit, quod illi Deus ad lucrandam beatam æternitatem indulſit. Et ecce, deſcendit è cœlo Verbum Æternum, ut errorem hunc nos dedoceret, & è cordibus noſtris maledictam hanc malorum omnium radicem, temporalium videlicet bonorum cupiditatem, evelleret. Vide igitur, ad quantam amore noſtri miſeriam redigatur ille, qui omnia & hujus

&

& alterius vitæ bona diſtribuit! Ubinam eſt Palatium? ubinam Apparatus magnificus? ubi cunæ nobiles? ubi ſervorum comitatus? Scrutare ſingillatim ſpeluncam omnem, in qua natus eſt; non ſolùm in ea nihil invenies ſuperfluum, ſed potiùs magnum rerum omnium, etiam neceſſariarum, defectum; nam Dominus Jeſus veluti ſub Dio naſcitur, nocte media, hyeme perfrigida, ſinè foco, ſinè ſolatio, ſinè ulla etiam tenui commoditate pauperculæ Domûs Nazarethanæ. Nec iſtud ſolùm; ſed præter paupertatem illam, quam elegit ſponte ſua, aliam inſuper pati voluit quodammodo violentam, dum ita res ordinavit, ut negatum ſibi fuerit diverſorium, quod econtra tot aliis opportuniſſimè patuit: *Non erat eis locus in diverſorio. Luc. 2. v. 7.* Et, quia Mundus paupertatem, etiam ùt probroſam, horret, docétque, ditiorem ſe fingere, quàm quis eſt; Jeſus Chriſtus non ſolùm ob ſuam paupertatem non erubeſcit, ſed de illa etiam gloriatur, evocat è cœlo Angelos, è rure paſtores, ex urbibus Reges, ut ipſum ado-

adorent in hoc ſtatu tam miſerabili, in hoc throno præſepii, in hac aula ſtabuli. Tu verò quid ais, dum háſce veritates meditaris? Quis horum duorum, tantopere ſibi invicem oppoſitorum, meliùs tibi ſapere ac ſentire videtur, an Mundus, an Chriſtus? Quis tibi videtur fallere? Mundus ſuadet, ut primùm omnium quæras bona terrena, illáque ùt ingens bonum æſtimes; Chriſtus verò tibi conſulit, ut primùm omnium quæras regnum Dei, & omnia terræ bona contemnas ùt lutum, & illîs adeò te prives, vel partem illorum, vel ſimul omnia largiendo pauperibus, ut theſaurum tibi compares in cœlo. Tuum jam eſt, pronuntiare ſententiam, quæ pars ſit melior, eam non linguâ tantùm approbando, ſed & reipſâ eligendo & ſequendo: *Aut Chriſtus fallitur, aut mundus errat.* Verum equidem eſt, quòd, ùt Chriſtianus, non tenearis eſſe pauper; teneris tamen, divitias omnes adeò parùm æſtimare, ut per eas ſimul omnes induci te non patiaris ad transgredienda mandata Dei, vel, quod idem eſt, teneris ad rem longè diffici-

liorem, dum bona tua & commoditates tuas retines, quàm tenereris, ſi illas deſereres; teneris enim cordis ſeparationem à bonis iſtis cum illorum poſſeſſione conjungere. Delibera igitur ſuper hoc negotio tuo cum Infante Jeſu; erubeſce coram illo, quòd hucusque tantopere æſtimaveris illa bona, quæ ipſe adeò contemnit; pete veniam peccatorum omnium, quæ commiſiſti, ſive in acquirendis, ſive in adhibendis & conſumendis bonis tuis temporariis; roga illum, ut gratiam tibi donet, qua te non ſinas ampliùs à mundo decipi, ſed ut, ſive bona tua retinendo, ſive ex amore Dei illîs te ſpoliando, iîs aliter non utaris, quàm ut per illa felicitatem æternam conſequaris.

II. Conſidera, quòd Jeſus Chriſtus naſcendo in terra, venerit oppugnaturus *malè ordinatum Voluptatum Amorem* ſui corporis afflictatione. Homo libidinoſus non credit, aliam dari voluptatem, quàm quæ ſenſibûs percipitur; atque idcirco ab hujusmodi voluptatibus ita ſe faſcinari patitur, ut earum gratiâ effusîs habenîs per omnia

pec-

peccata ruat; voluptatem quærit, ùt finem ſuum, eámque pretioſam eſſe judicat, etiamſi illam inveniat in maximis ſordibus. Dei Filius, cœcitatem hanc miſeratus, venit, ut eam illuminaret, & ingenti huic errori remedium afferret; proinde cùm naſci potuiſſet in ætatis plenitudine, ut tamen plùs pateretur, infans naſci voluit, & poſt difficilem novem menſium carcerem, in ſinu Virginis toleratum, ut noſtram vivendi licentiam magìs convinceret, omnes infantiæ dolores ac moleſtias perferre voluit, veluti ſi rationis uſum non haberet. Ab ipſo vitæ principio debebatur ipſi corpus, non ſolùm longè perfectius, quàm habuerit Adam, ſed Corpus cœleſti gloria donatum, & dignum animæ pariter beatæ diverſorium; & tamen in hujus vicem datur illi corpus, ſenſibûs ſubtiliſſimîs prædìtum, atque adeò quibusvis doloribus obnoxium, ídque eo fine, ut ſuo tempore fieri poſſet profundum quoddam mare, in quo congregarentur dolores omnes; interea Vitæ ſuæ primitias conſecrat extremâ commodorum omnium penuriâ, & omni dolorum ge-

nere, quorum ſtatus ille fuerat capax. Etiam hîc conſtitutus es judex Chriſtum inter & Mundum, ut ipſo opere tuo ſententiam feras, quis rectè ſentiat, aut quis erret, quis te decipiat, quem ſequi conveniat: *Aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat.* Mundus eſt adeò cœcus, ut non ſolùm veritatem non agnoſcat, ſed illam etiam cognoſcendi ſit prorſus incapax: *Spiritum veritatis Mundus non poteſt accipere. Joan.* 14. *v.* 14. & nihilominus huic cœco voles confidere, huic proditori te committere, & vitam tuam inſtituere juxta illius principia, neceſſariò falſa? O te miſerum, ſi adeò te decipi patiaris; non ſolùm ſi tuis ſenſibus ſatisfacere volueris cum Legis divinæ contemptu, ſed etiam, ſi vitæ molli ac delicioſæ, licèt prima fronte innocenti, te tradideris! An tibi videtur credibile, quòd infinita Jeſu Chriſti Sapientia voluiſſet in Nativitate, in vita, & morte ſua corpus ſuum, adeò ſanctum, tantopere affligtare, niſi tuâ quàm maximè intereſſet, voluptates fugere, & agere pœnitentiam? Quid refert, quòd

quòd omnis hæc afflictatio corporis per Dei mandata tibi non semper sit injuncta, sed per modum consilii tantùm commendata? Tantíne igitur Increatæ Sapientiæ consilia facis? Deinde pro defendendis sensuum tuorum appetitibus rationes excogita, quotquot volueris, oportet tamen, ut, quisquis Prædestinatis vult annumerari, sit Jesu Christo similis; jam verò ejusmodi vita, quæ plena est oblectamentîs, quomodo convenire poterit cum prototypo vitæ Servatoris nostri? Vide, quid ipse ex illo suo præsepio tibi profundè insinuet: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Luc. 6. v.* 24. Et quid tu ad ista respondes? An credis, quòd voces istæ in auras abire debeant, & quòd locutus fuerit Deus, & illius tamen verba nullum habitura sint effectum? Erubesce igitur de omnibus tuis præteritis peccatis; indignum te æstima Christiani nomine, cùm in vita tua tot patraveris delicta, professionem tuam tantopere dedecentia; & corporis tui voluptates toties pluris æstimaveris, quàm ipsum Deum; propone,

quòd deinceps te privare velis voluptatibûs omnibûs, quæ ad ſtatum tuum non abſolutè ſunt neceſſariæ; quódque acceptare velis cruces omnes, quas immiſerit tibi Deus, atque id omne libenter amplecti, quidquid durum aut difficile continet pœnitentia; quódque id amandi rationem aliam admittere nolis, quàm amorem, quem tibi demonſtravit Chriſtus Jeſus; ac denique illum precare, ut gratiam tibi largiatur ab Ejus exemplo rite perdiſcendi hanc veritatem, quòd vita præſens ſit tempus plangendi, non verò tempus ſe oblectandi: *Tempus flendi. Eccle. 3. v. 4.*

III. Conſidera, quòd Jeſus Chriſtus naſcendo cœperit ſua demiſſione ac humilitate oppugnare *malè ordinatum amorem erga honores.* Quid aliud homo mundanus primùm quærit, quàm eminere ſupra cæteros, ſeſe reddere conſpicuum, & alios excellere? quid aliud, quàm imperiosè aliis præcipere, tonô altiorî loqui, ſe oſtentare Dominum, & cùm honor etiam divinus cum honore proprio in certamen venit, honorem proprium præferre, & Dei hono-

norem negligere & contemnere? Hæc ſunt principia, quæ mundus præcipuè colit & ſequitur. Et hi ſunt errores, quos Servator noſter etiam in primo ſuo in hunc mundum ingreſſu ſublatos voluit. Poterat ille hunc etiam in finem venire in ætate perfecta & virili, atque à primis vitæ ſuæ momentis inchoare percurſationem totius orbis, eúmque implere miraculorum ſuorum magnitudine, ac illuminare Doctrinæ ſuæ ſplendoribûs, illum inſtruere exemplorum ſuorum ſanctitate, & Prædicationis ſuæ fortitudine illum totum convertere. Et ecce tamen, abſcondit adventum ſuum in quodam angulo Judææ, minùs cognito, tegit illum noctis ſilentiô, & beſtiarum diverſoriô; & ſucceſſu temporis, dum hujus Mundi Magnates Regna gubernant, & leges præſcribunt populis, ipſe penitus ignotus, & pro nihilo reputatus vivit. An majorem modò deſideras oppoſitionem Chriſtum inter, & Mundum? Sed quis horum duorum fallitur? *Aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat.* Chriſto non ſufficit, quòd naſcatur ùt

Augusti subditus, sed vult nasci in ipso subjectionis & obedientiæ exercitio, útque id obtineat, vult omnia sus déque verti. Tibi verò placeret, si omnia sus déque verterentur, ut genio tuo satisfieret, ut agere posses pro tuo libitu, ut in sublime tolli, & magnus apparere posses. Quem igitur credis certiora sentire? Quem credis verum bonum meliùs cognoscere? Quem credis, eligere meliùs posse? O! quàm gravis erit hæc comparatio, quando post modicum temporis ad Judicii divini lumen res omnes intueberis non juxta illarum externam faciem, sed secundùm ipsam veritatem! Nunc tibi benignissimè indulges immunitatem à servanda Lege, quam Divini tibi Magistri Exempla statuunt; nunc tibi videtur excusatio rationi consentanea, si dicas, etiamsi homo se demittere ac humiliare, aliis cedere, & postponere se debeat, Mundum tamen id in hoc sensu non accipere. Tunc verò hujusmodi responsiones horrorem tibi incutient, & videbis, quòd Ducem habueris ac secutus fueris non Jesu Christi Sapientiam, sed stulti-

ti-

titiam Mundi, inimici tui, & Servatori tuo tantopere invisi, ut illum ab orationibus suis excluserit, etiam Passionis suæ tempore, quo tamen etiam pro ipsis adeò Crucifixoribus suis oravit: *Non pro Mundo rogo. Joan.* 17. *v.* 9. Oculos igitur plenè tandem aperi in tuum commodum, & constitue, deinceps non ampliùs Mundo proditori & impostori fidere: *Non credas inimico tuo in æternum. Eccli.* 12. *v.* 10. propone pro duce tuo deinces habere ac sequi lucem exemplorum Jesu Christi, & quia tam carò illi constitit, ut verâ te doctrinâ imbueret, illum roga, ut gratiam tibi donet, doctrinam ipsius profundè imprimendi animo tuo, & vilia illa bona, quæ hucusque tanto cum desiderio quæsivisti, contemnendi ùt vana, & fugiendi ùt noxia.



Examen

Pro Die Sexta.

De Modo, quo te geris erga teipſum.

I.

EXamina, quomodo te geras *erga teipſum*; ac primò quidem, an & tu ſis de numero illorum, qui putant, vitam non eſſe niſi aliquod oblectamentum, & fallendi temporis occaſionem: *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram. Sap.* 15. *v.* 12. ita, ut aliud, quod agas, non habeas, quàm ut lætos ac hilares dies invenias. Verùm ipſe te nimiùm quantùm deciperes, ſi hanc opinionem teneres. Tu reus es læſæ Majeſtatis Divinæ, &, quæ tibi poſt peccatum conceſſa eſt vita, ad hunc ſolummodo finem indulta tibi fuit, ut ageres pœnitentiam, & præteritam negatæ obedientiæ temeritatem novîs reparares ac penſares obſequiîs. Es itaque ſimul Reus, & ſimul tuímet ipſius Judex; & ſi hoc officio tuo rite & juſtè non

non fungaris, superveniet Deus cum suámet Justitia, ut pro te suppleat, quod neglexisti; sed ut suppleat pro suo arbitrio, iîs videlicet pœnîs, quæ Sanctitatem ipsius infinitam, & infinitum, quo in peccatum fertur, odium apertè manifestent.

II. Examina te igitur *de Pœnitentia*, quam agis. 1. Qualis sit pœnitentia tua interna, quæ consistere debet in horrore & odio peccati supra omne aliud malum. 2. An te sæpius in hujusmodi pœnitentiæ actibus exerceas. 3. An pœnitentiæ tuæ causa sit amor, quem Deo debes super omnia bona reliqua; qui dolor est perfectus, sive Contritio, quæ animam subitò justam & sanctam efficit; an verò illius causa sit solummodo pœna, & turpitudo peccati, qui dolor tantùm esset imperfectus, & attritio, quæ ad justitiam & sanctitatem acquirendam duntaxat te disponit.

III. Examina, qualis sit *externa tua pœnitentia*. 1. An aliquando te prives aliqua voluptate licita, & in nonnullis rebus sensus tuos castiges, aut affli-

affligas. 2. An interdum corpori tuo vim afferas per jejunium liberum ac voluntarium, aut alio aliquo austeritatis genere. 3. An saltem patienter toleres incommoda illa, quæ à diversitate temporis ac tempestatis, aut aliunde proveniunt, & miserias aut ærumnas, immissas tibi à Domino; nam & ex his desumere materiam pœnitentiæ possumus, si illa Divinæ Justitiæ in satisfactionem pro peccatis nostris offeramus, atque ut patiendo honorem illi restituamus, quem illi abstulimus, fruendo voluptatibûs contra præceptum sanctissimæ Voluntatis ipsius.

IV. Examina te *de oblectamentis & hilaritatibus tuis*, quibûs uti soles. 1. Cujus generis illæ sint; an sit periculum, ut ad peccatum te inducant. 2. An cum re aliqua illicita permistæ vel connexæ sint. 3. An Tempus fallas in societate hominum perversorum, qui vel malum laudant, vel identidem utuntur linguâ impurâ, quorum guttur, ùt Propheta loquitur, est veluti sepulchrum patens, & fœtorem exhalat intolerabilem. 4. An oblectamentis ac hila-

hilaritatibus tuis, etiam licitis, totam quodammodo diem impendas, absque debita moderatione. 5. An illis omni cum affectu te impendas, & iis totum cor tuum tradas, neque solùm id iis aliquantùm commodes, sed iîs utaris ùt fine, non ùt mediîs; neque ad restaurandas vires, aut justa alia hujusmodi de causa; sed unicè ut in rebus omnibus amori proprio servias, utì faceret Epicureus aliquis, non ùt facere oporteret hominem Christianum.

V. Examina universim, *quomodo tempus tuum impendas*, quod unum est è maximis donis, quæ tibi contulit Deus, atque adeò est pretiosum, ut illæ duntaxat ejus particulæ, quas tu abjicis ac negligis, ab anima aliqua damnata mille seculorum patientiâ in omnibus suis pœnis ac doloribus, si fieri posset, emeretur. Vide igitur, an divitias istas perdas ac prodigas merô propemodum otiô, quod mille vitiorum fons est, & origo. 2. An è contrario tot tantîsque te negotiîs obruas, ut tempus tibi nullum suppetat cogitandi de salute tua; ùt olim labores nimii

Israë-

Iſraëlitarum non ſinebant eos cogitare de Sacrificiis Deo præſtandis. 3. Qualia ſint negotia tua, an ſint negotia caritatis, an obligationis, ad ſtatum tuum pertinentis, an ſint merè temporaria, quæ tu quidem appellas negotia, à Sanctis verò appellantur nugæ & ineptiæ, cùm non ſerviant ad finem illum, propter quem à Deo in hoc mundo conditi ſumus.

Deteſtare defectus, quos in te repereris; & exerce reliquos actus conſuetos, ùt in aliis Examinibus.

Meditatio Tertia

Pro Die Sexta.

De Regno Chriſti.

I.

Conſidera *Bellum*, quod Jeſus Chriſtus è Cœlo in terram illaturus venit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Matth.* 10. *v.* 34. atque idcirco imaginare tibi Servatorem noſtrum veluti Regem ſummæ Majeſtatis, Poten-

tentiſſimum, Sapientiſſimum, Amabiliſſimum, erga ſuos benigniſſimum, paratùm ſubditos ſuos non gravare tributîs, ſed beneficiîs, non eorum ſe ditare ſpoliîs, ſed depauperare ſeipſum, ut illos reddat divites; verbô, donatum omnibûs tum naturæ tum cœli dotibûs ad gubernandum, cùm ipſe, etiam ſecundùm ſacratiſſimam ſuam Humanitatem eſſe debeat Rex Regum, & Dominus Dominantium: *Habet in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Apoc.* 19. *v.* 16. Imaginare tibi porrò, quòd ille homines omnes convocet, & te quoque inter cæteros, iisque publicè denuntiet, decretum ſibi eſſe, & ſuos & noſtros inimicos, Mundum videlicet, carnem, ac dæmonem expugnare; & quòd eapropter ad heroicum hoc opus invitet omnes ea lege, ut ipſe, qui Rex eſt, cæteros omnes in fronte exercitûs antecedat, ac durante toto bello in perferendis vitæ incommodis ſit primus omnium, primus in conflictûs periculis, primus in excipiendis vulneribus; poſt conflictum verò victoriæ laus & præmium to-

totum ſuis militibus cedat. Et ecce, quemadmodum ipſe legem hanc & conditionem accuratè implevit, totámque vitam ſuam in paupertate, dolore, & contemptu exegit, ita ſecutæ illum ſunt animæ innumeræ, triumphalibus Exemplorum Ipſius veſtigiis inſiſtentes; & poſtquam contra inimicos ſub prædictis legibus decertârunt, cum ipſo nunc in cœlis triumphant. Tu verò quid agis? quid huic invitationi reſpondes? Adverte diligenter, quòd bellum ſit breve, triumphus verò ſit æternus; & quòd inimici, quos Jeſus Chriſtus vult ſubjugare, potiùs ſint inimici tui, quàm inimici ipſius; cùm ipſum Regnô ſuô non poſſint, te tamen illo ſint dubio procul privaturi, ſi illos non deviceris. Eja igitur, offer teipſum generosè ad ſequendum hunc Dominum, quàm proximè poteris, eúmque in omnibus magnô animô imitandum, & tolerandum, quidquid fuerit neceſſarium, ut illi ſatisfacias. An forſan hoc negotium, multum temporis pro deliberatione requirit? An aliud tibi obtingere poteſt, quàm ſumma felicitas, ſi Deo

Deo tuo ſis quàm proximus? Erubeſce de vita tua præterita, vitæ Jeſu Chriſti tantopere contraria; dum eos credidiſti adverſarios tuos, quos ille comites individuos habuit, Paupertatem videlicet, Pœnitentiam, ſuíque demisſionem ac humilitatem; atque ita Lucifero potiùs, Reproborum ſive Præſcitorum capiti, quàm Servatori tuo, Prædeſtinatorum Principi, te ſimilem reddidiſti. Propone deinceps in faciendis animi tui decretis non ampliùs in conſilium vocare ſenſus tuos, & illorum appetitus; & pete à Deo gratiam, aliîs impoſterum oculîs aſpiciendi Cruces illas, quas ille tibi mittit, quæque tolerari neceſſariò debent, ut Lex Divina ſervetur; nimirum intuendi illas, ùt Divinitatis participes, & Jeſu Chriſti exemplô nobilitatas; ita, ut illum ſequendo in ferenda Cruce, poſtmodum pariter ſequi poſſis, æternùm cum illo gaudendo; *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2. v. 12.*

II. Conſidera *tres hominum Claſſes*, qui Chriſtum in hoc bello ſequuntur. Prima claſſis illum ſequitur ſola cogita-

tione, & quadam, ùt loquimur, velleitate, ac ſiſtit in agnoſcenda hujus cauſæ juſtitia; at numquam ſeriò ſtatuit arma corripere ad impugnandum hoſtem, atque vincendum; volo dicere, numquam ſtatuit neceſſaria applicare media ad imitandum Jeſu Chriſti exemplum, ùt ille deſiderat. Secunda Claſſis eorum eſt, qui arma corripiunt, & adeò in campum prodeunt, ſed pugnare volunt pro ſuómet arbitrio, illa ſolùm adhibendo media, quæ ipſorum genio grata ſunt & accommoda, non autem illa, quæ à Divina Voluntate requiruntur, ac proinde potiùs volunt Chriſtùm Dominum antecedere, quàm ſequi. Tertia hominum Claſſis eſt illorum, qui penitus ſunt perſuaſi, quòd omne Bonum noſtrum, omnísque gloria, quam reddere Deo poſſumus, conſiſtat in hoc uno, quòd imitemur Jeſu Chriſti exempla, & patiamur nos ab illo dirigi, atque idcirco non ſolùm generosè adhibent media, ſed nulla etiam excludunt, nulla pro voluntatis propriæ arbitrio ſeligunt; unde duplici modo parati ſunt, nimirum & ſequi Dominum, & illâ viâ ſequi

Do-

Dominum, qua ipſe vult eos ſequi, ita, ut jure dicere poſſint, cor ſuum duplicî modô paratum eſſe: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Pſal.* 56. *v.* 8. In qua tu claſſe fuiſti hactenus? Forſitan vis, & non vis, ùt facit Piger: *Vult & non vult Piger. Prov.* 13. *v.* 4. quia cupis virtutem absque illius exercendæ labore; velles ſurgere de lecto pravæ tuæ conſuetudinis, ſed nolles delicias tuas deſerere; velles bene agere, ſed nolles mundum offendere; verbô, velles eodem ſimul tempore eundem oculum tam in cœlo, quàm in terra defigere. Quòdſi etiam proponis, tuam in re aliqua naturam vincere, adhibere vis arma pro tuo genio, & illum animi affectum impugnare, qui minùs te urget; illi verò molliter parcere, qui tibi plùs cæterîs dominatur; ſi Chriſtus te vocat, ad reipſa relinquenda omnia, vis omnia relinquere ſolo duntaxat affectu, vel corde; ſi Chriſtus te vocat, ad amplectendum alium ſtatum, vis illum duntaxat, in quo vivis, aliquando redigere in meliorem ordinem; & ſi Chri-

ſtus à te petit arborem, vis illi nonnullam dare fructuum partem, tibi verò reſervare meliorem, quæ eſt voluntas tua. Non meminiſti, quòd etiam ipſæ victoriæ ſint militum delicta, ſi contra voluntatem & imperia Ducum reportentur? Erubeſce igitur ob hunc abuſum tuum, & eum quàm maximè deteſtare; offer te Domino, tanquam mollem ceram, in ejus manibus formandam, & non ad dandas pro teipſo leges, ſed ad eas ab illo accipiendas: *Sequar te, quocumque îeris. Luc. 9. v.* 57. Denique precare magnum hunc cœli ac terræ Regem, ut tibi gratiam donet, qua ad ejus imitationem facere voluntatem Patris cœleſtis ſit cibus tuus, & omne impoſterum ſolatium tuum.

III. Conſidera *Tres Gradus*, quibûs diſponuntur homines ad ſequendum Chriſtum, & in ſuſcepto iſthoc bello vincendos inimicos noſtros. Primus gradus eſt, ita ſe ſubjicere Voluntati Divinæ, & Crucem Servatoris ita complecti, ut quis malit vitam ſuam perdere, quàm per peccatum ullum mortale

ab

ab ea divelli. Secundus gradus eſt, cum Dei voluntate & Servatoris Cruce tam arctè ſe conjungere, ut priùs mori quis velit, quàm in re ulla, etiam minima, cum animo deliberato, diſplicere Deo, & veniale peccatum admittere. Tertius gradus conſiſtit in tam perfecta cum Divina Voluntate conjunctione, tantóque Jeſu Chriſti imitandi ſtudio, ut quis, ſi æquale foret animæ bonum paupertas & divitiarum abundantia, abjectio & honor, corporis commoditas & ejusdem afflictatio; potiùs tamen eligeret paupertatem, abjectionem, contemptum & crucem, ut tantò magìs proprios ſuos ſenſus ſubjugaret, magísque ſimilem ac conformem ſe Domino redderet, qui amore noſtri hæc ipſa pariter elegit: *Propoſitô ſibi gaudiô ſubſtinuit Crucem. Hebr.* 12. *v.* 2. O te felicem, ſi te elegit Deus ad illi ſerviendum in hoc tertio gradu! Sic enim non modò ex malo evaderes bonus, ùt illi, qui ſunt in primo gradu; neque ſolùm ex bono fieres melior, ùt illi, qui ſunt in ſecundo gradu; ſed ex meliore fieres optimus.

Noli timere ; quia huc pertingere non debes tuîs ipſius viribûs, ſed Dei auxiliô, cujus manus ligata non eſt: *Non eſt abbreviata manus Domini. Iſa. 59. v. 1.* Saltem huc aſpira per deſiderium, & interea conſolida clavos ſanctorum propoſitorum tuorum; confirma te validè in gradu primo, & memento, quôd, dum unicô lethalî peccatô Divinas Perfectiones omnes, quæ infinitæ ſunt, offendis, cauſas habeas infinitas illud fugiendi, & rationes infinitas malum jam admiſſum plangendi. Deinde te firmum ſtatue in gradu ſecundo, & voluntate non ampliùs peccandi venialiter cum advertentia, & animô deliberatô. Quid refert, quòd transgreſſionis noſtræ materia ſit exigua? Exigua certè non eſt audacia, in re illa modica voluptatem tuam anteponere Divinæ Majeſtatis beneplacito. Hac ratione cum Deo non agis, ùt cum Magno illo totius Univerſi Monarcha, qualis eſt; atque ſi minimus gloriæ ipſius gradus meritò præferendus eſt creaturarum omnium bono, qualis erit injuſtitia, illum poſtponere Bono nihili,

hili, quale eſt tam avarè ſatisfacere alicui malè ordinato affectui tuo? Rubore ſuffundere ob præteritam tuam ignorantiam, & ingratum tuum animum erga Dominum, qui te amavit, & etiamnum amat tanta cum profuſione; offer te illi ad obſervandam impoſterum cum omni diligentia hanc ſubjectionis & amicitiæ legem, non inferendo ipſi ampliùs cum advertentia moleſtiam ullam; & roga illum, ut ita tibi per gratiam ſuam aſſiſtat, ut numquam ampliùs retro redeas, aut, quod illi obtuliſti, ſervare negligas; ſed conſtanter cum illo & pro illo confligere pergas, ac denique cum illo & pro illo vincas, & in cœlo triumphes per omnia futura ſecula.

Meditatio Quarta

Pro Die Sexta.

De Doctrina Evangelica, à Chriſto explicata in octo Beatitudinibus.

I.

Conſidera Magiſtrum Evangelicæ Doctrinæ, Doctrinam ipſam, &

Diſcipulos, qui addiſcere illam debent, ut & tu in fortunatum adeò numerum admittaris.

Magiſter eſt Jeſus Chriſtus, Servator tuus : *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Matth.* 23. *v.* 10. Hunc in finem ipſe miſſus eſt in mundum, non ſolùm ut eum redimeret, ſed & ut illum inſtrueret : *Ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati. Joan.* 18. *v.* 37. Ut verò huic ejus Magiſterio fidem majorem conciliaret Pater æternus, ſolemniter nobis omnibus ſignificavit, velle ſe, ut ipſum audiamus : *Ipſum audite. Matth.* 17. *v.* 5. Præcipuè, quòd ipſe, non ſolùm ùt Magiſtri cæteri, doceat verbìs, ſed multò magìs inſtruat operibûs & exemplîs ; unde non ſolùm oportet illum audire, ſed etiam videre, juxta promiſſum pridem de illo factum : *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Iſa.* 30. *v.* 20. Perpende igitur, quantô conſtiterit Servatori noſtro, quòd munus docendi nos veritatem in ſe ſuſceperit. Res omnes creare, & nos cum illis, eas in hanc usque diem conſervare, non alio tandem

dem pretio aut labore ipsi stetit, quàm unicô verbô; sed sua nos docere principia, suîs nos instruere dictaminibûs, majori opera stetit, nempe ut sua se dignitate & debito summo honore spoliaret, & servi formam assumeret: *Formam servi accipiens.* Imò ut figuram peccatoris indueret: *In similitudinem carnis peccati. Phil.* 2. *v.* 7. útque in hac figura omnibus se Divinæ Justitiæ flagris exponeret, & omnibus inimicorum suorum ludibriis ac petulantiis. Quid igitur ampliùs facere potuit Veritas essentialis & infallibilis, quàm ut fieret nostra Veritas? *Ego sum Veritas,* quæ tam carô depressionum, contemptuum, infirmitatum ac dolorum pretiô sibi comparavit munus docendi nos Viam, qua itur ad Vitam. Quam igitur excusationem coram illo afferre poterimus, si fidem non habuerimus doctrinis & instructionibus ipsius, si non ambulaverimus in lumine ipsius? Erubesce, quòd toties secutus fueris fallacia Mundi, carnis, & dæmonis dictamina; & quòd suggestiones sapientiæ terrenæ, animalis, ac diabolicæ prætuleris incar-

natæ Sapientiæ Divinæ Consiliis; neque altiùs aspiraveris, quàm ut æstimareris ab aliis, ut sensibus tuis & malè ordinatis animi tui affectionibus satisfaceres, illísque concederes, quidquid tandem peterent. Pete à Deo veniam; propone te emendare, illúmque roga, ut secundùm tua merita te non castiget, neque desinat tibi loqui ad cor, téque docere ac instruere; sed ut potiùs, ignorantiam tuam miseratus, velit esse lumen tuum, & unà mentem tuam illustrare, simúlque inflammare voluntatem, ut ames, & exequaris id, quod ipse te docet.

II. Considera *Doctrinam* Cœlestis Magistri hujus, quam explicavit in primo sermone, quem in monte habuit: *Et aperiens os suum docebat eos. Matth.* 5. *v.* 2. & maturè expende has divinissimas Doctrinæ istius proprietates, nimirum Sublimitatem, Certitudinem, & Utilitatem. Doctrinæ hujus sublimitas manifestè apparet ex eo, quia ad illam usque diem omnium Sapientum Intellectibus abscondita fuit: *Eructabo abscondita à constitutione Mun-*

Mundi. Matth. 13. *v.* 35. Ad illud usque tempus Mundus omnis existimabat, magìs illum esse beatum, qui plures possideret divitias, honores, oblectamenta; quàm igitur stupens & attonitus adstitisse debuit mundus, & universum genus humanum, quando Doctrinam adeò sublimem primùm audivit, quòd beati sint pauperes, beati, qui lugent, beati, qui persecutiones patiuntur & calumnias; & quòd è contrario miseri sint illi divites, qui cor suum bonis terrenis affigunt, & hîc omnes suas delicias habent; qui in medio suarum voluptatum lætantur & rident; qui quàm maximè sunt conspicui, & honorantur ab hominibus. Attende verò præcipuè, quòd hæc talis Sapientia tam sublimis sit pariter veritatis infallibilis, cùm ex ipsius Altissimi ore prodeat: *Ego* (Sapientia) *ex ore Altissimi prodivi. Eccli.* 24. *v.* 5. unde ab illis, qui eam audiebant, ne una quidem syllaba in dubium trahi potuit. Denique, quàm certa hæc Doctrina fuit, tam erat hominibus utilis ac proficua; quia nimirum erat scientia salutis: *Ad dan-*

dandam ſcientiam ſalutis. Luc. 1. *v.* 77. & continebat omnia Moralitatis Chriſtianæ principia, nósque informabat quàm perfectiſſimè tam circa bonum, quàm circa malum; & non ſolùm nos exuebat homine veteri, ſed & novo nos induebat. Quid ad hæc audita ſenſus tui dicunt? quid dicunt animi tui affectiones? quid cor tuum dicit? Ex una parte Servatori noſtro negari non poteſt Magiſtri dignitas, neque illius Doctrinis negari fides poteſt, ùt noviſti; cùm iſta ſint tam certa, quàm certa ſunt omnia noſtra Myſteria; unde ſicut errares, ſi Perſonarum Divinarum Trinitatem negares, ita pariter errares, ſi negares, quòd pauperes ſint beati; aut quòd beati ſint illi, qui propter Deum patiuntur; cùm utraque hæc veritas nitatur ſcientiâ & verbis Jeſu Chriſti. Ex altera parte verò, quomodo tu fidem hanc opere ipſo demonſtras? Quamdiu Evangelium te docet veritates, quæ intellectu tantùm indigent, & à ſcholis appellantur ſpeculativæ, illius te dictaminibus ſubjicis; at quando illud hæc ſua dictamina deſcendere jubet

bet ad opus, atque ad veritates, ùt vocant, practicas, ad rite ordinandos mores tuos, tum verò omnes animi tui affectiones insurgunt, totáque vi adversùs legum acceptationem se opponunt, credúntque, veram esse doctrinam, sed vivere volunt, veluti si crederent esse falsam. Verùm, si meliùs attendas, videbis, hoc ipsum perdere causam tuam, & promovere damnationem tuam: *Qui non accipit verba mea, habet, qui judicat eum: Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Joan.* 12. *v.* 48. Si non credis; illum esse beatum, qui in Jesu Christi gratiam rebûs terrenîs omnibûs sese spoliat; qui illi omnes voluptates suas sacrificat; qui luget ob peccata sua; qui cum patientia & gaudio tolerat dolores suos, condemnaberis, ùt infidelis; at si hæc omnia credis ùt vera, & nihilominus Mundi & carnis dictaminibûs regi ac duci te pateris, condemnaberis, ùt inimicus fidei tuæ, quam vitâ & moribûs tuîs tam apertè impugnas, quàm manifestè illam profiteris linguâ tuâ. Expergiscere igitur ad exprobatio-

tiones iſtas, quæ tibi paulò pòſt à tuo Judice fient; accende rurſus fidem tuam; inflamma denuo tuam erga Magiſtrum divinum caritatem; erubeſce, quòd hactenus in corde tuo nutriveris averſionem ab omni eo, quod ſuîs ille exemplîs & ſuîs doctrinîs approbat; fatere, quòd omnis ille, qui lucem ipſius non ſequitur, in tenebris ambulet; propone, quòd aliam deinceps vitæ tuæ regulam habere non velis, quàm Evangelium; & roga Deum, ut, cùm ille ſit cordium Dominus, ſuum hoc dominium exercere in te velit, tibíque donet cor docile, quod Doctrinæ Ipſius amorem imbibat, & cor magnanimum quod opere id exerceat, quod ipſe te docuit.

III. Conſidera Evangelicæ Doctrinæ *Diſcipulos*. Hi autem ſunt omnes Chriſtiani, & tu quoque inter illos, cùm Dominus iſthîc non tantùm fuerit locutus ad Apoſtolos, ſed ad omnem populi, ab Jeroſolyma & ab omni Judæa venientis, multitudinem ad audiendum illum, quin etiam ad extraneos, Tyrios videlicet ac Sidonios: *Multitudo*

tudo plebis copiosa ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Luc. 6. v. 17. Quomodo ergo tibi imaginaris, quòd tecum non loquatur, quia non alium forsan, quàm communem Christianis omnibus statum profiteris? Annon solum hoc nomen sufficit ad convincendum te? Vocatio ad Christianismum est vocatio ad sanctitatem in suo statu, utì sæpius meminit Apostolus, non alio plerumque nomine appellans Christianos, quàm nomine Sanctorum. Et hic fuit pretiosus Filii Dei finis, dum pro nobis omnibus est mortuus, voluit nimirum efficere, ut omnes non sibímet ipsis, sed illi soli viverent: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. 2. Cor. 5. v. 15.* Oportet igitur, ut Morti Jesu Christi renunties, qui tamen ab æterna te morte liberavit, si subtrahere te velis ab obligatione, in tuo gradu vivendi perfectè. Nunc quidem veritates istæ certissimæ non cognoscuntur, sed ad lumen Divini Tribunalis cognoscentur perbene; tunc

re,

intelligetur, quàm grande ac turpe monſtrum ſit vita Pagani in Profeſſione tam divina, qualis eſt noſtra, & in Lege tam ſancta, qualis eſt illa, cujus exemplar nobis eſt propoſitum in vita & Doctrina Dei - Hominis. Tu noli tempus illud expectare, ſed jam nunc labora vitam tuam conformem reddere Ideæ, quam tibi in Doctrinis ſuis propoſuit Servator tuus. Magiſter tuus non eſt Mundus; illum proinde in poſterum noli ampliùs audire, & toto animo ipſius fuge & horreſce dictamina, quibûs ille te hortatur ad explenda ſemper deſideria tua. Erubeſce, quòd usque adhuc potiùs inimicus, quàm diſcipulus fueris lectionum Veritatis, quas tibi Chriſtus propoſuit; pete ab illo propterea demiſſiſſimè veniam; propone, impoſterum ambulare in lumine Doctrinæ Evangelicæ, & renuntiare divitiis, voluptatibus, & honoribus, ſaltem ea ratione, ut Legem Dei tui magìs æſtimes, quàm omne bonum terrenum, ſempérque ſis paratus, priùs omnia relinquere, quàm perdere Divinam illius amicitiam; denique roga Deum,

Deum, ut, cùm tu id omne, quod ille amplectendum esse docet, subterfugeris, & hucusque id quæsiveris, quod ille contemnendum ac fugiendum docet, ipse nunc tibi & intellectum tuum & voluntatem ita immutet, ut deinceps Christiani hominis obligationem adimpleas, détque tibi *& illa respuere, quæ quæ huic inimica sunt nomini, & ea, quæ sunt apta, sectari.*

Sacrorum Exercitiorum
Dies Septima.
Meditatio Prima.
De Duobus Vexillis.

I.

COnsidera *duos esse in Mundo Dominos*, Monarcham unum legitimum, qui Christus est, Tyrannum alterum, qui est Lucifer; uterque suum erigit vexillum, & conscribit milites, conatúrque quamplurimos in suas partes pertrahere. Imaginare tibi igitur

Chriſtum Dominum, ſedentem locô humilî, amœna & amabili facie, ſuîs circumdatum Diſcipulîs, quibus imperat, ut in omnes terræ partes abeant ad convocandos in ipſius obſequium homines, eósque ſub crucis vexillum conſcribendos. Ex altera parte ob mentis oculos tibi conſtitue Luciferum, tenebrarum Principem, ſedentem in igneo Throno, monſtroſo & terrifico aſpectu, oculîs carbonis inſtar accenſi flammantibûs, ore ſanguineo & tetrum exhalante fumum, qui & ipſe immenſo furore, innumeris, qui illum undequaque cingunt, dæmonibus ſevera diſtribuit imperia, jubétque, ut per omnem latè terram diffuſi omnes homines ad corripienda contra Deum arma provocent, ac impellant. Quemadmodum porrò hi duo Belliduces ſummopere ſunt inter ſe diverſi; ita pariter oppidò diverſa ſunt arma, quibûs illi certamen ac prælium iniri volunt. Lucifer vult ſuos milites pugnare contra Deum viribûs Amoris proprii, qui Monſtrum illud triceps eſt à S. Joanne viſum, compoſitum nempe ex *Concupiſcentia carnis,*

nis, concupiſcentia occulorum, & ſuperbia vitæ. 1. Joan. 2. v. 16. omnésque invitat, ut ſibi conquirant voluptates, divitias, & honores, etiam contra divinam voluntatem, & in apertum Illius contemptum. Jeſus Chriſtus, totus illi contrarius, vult, ſuos milites præliari ſanctô adversùm ſemetipſos odiô, & communi inclinationum omnium naturalium ac malè ordinatarum ſuppreſſione: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 14. v. 24.* Tu itaque & hunc & illum Belliducem accuratiùs contemplare, & antequam alterutrum eligas, utriusque propoſitum ac finem altiùs rimare; atque ſi ſtatuas, ùt oportet, ſequi vexillum Chriſti, memento, quòd primô tibi locô ponere ob oculos debeas Regnum Dei, adeptionem videlicet ultimi tui finis, & media, quæ ad hunc obtinendum adjuvare te poſſunt: *Quærite primùm Regnum Dei & Juſtitiam ejus. Matth. 6. v. 33.* Memento, quòd tibi habere cordi debeas negotia & commoda Servatoris tui, quòd ejus de-

debeas promovere gloriam, & illius partes fovere ac pro viribus augere; non folùm tuam ipfius vitam rite ordinando, fed & aliorum; omnbus videlicet bona & falutaria impertiendo confilia, bonísque exemplîs pro data occafione ubique prælucendo. Hoc enimvero eft militare fub vexillo Jefu Christi. Quid verò, fi tu, poftquam per Sacrum Baptifma Luciferi partibus remififti nuntium, vivere jam velles fecundùm ipfius dictamina, quærendo nimirum in rebus omnibus tua commoda, tua oblectamenta, tuam gloriam? Quid, fi non modò non promoveres Jefu Christi commoda & negotia, fed his ipfis te infuper opponeres, illos habendo derifui, qui paulò ftudiofiùs vitæ probitati fe impendunt, majorî ftudiô animæ pericula devitant, & fefe frequentiùs ad recipienda Divina Myfteria conferunt? Quid, fi in colloquiis tuis eam tibi mentem effe proderes, quòd propofitum mutandi vitam non profit, nifi ad mentem dubiîs, & fcrupulîs, & anxietatibûs implendam? quòd Deus fit Bonus, & compatiatur fragilitatibus no-

noſtris ; quòd ſemper adhuc ſuperſit tempus ſeſe emendandi ; & quòd ſaltem intra terminos liciti ac honeſti ſit valde conveniens ſuis quoque commodis cordatè invigilare. O quàm horribiles, quantæque fraudi Divinis honoribus hæ forent injuriæ ! O quàm ſunt penitus Evangelio contraria iſthæc dictamina ! Deteſtare ex intimo corde opiniones ejusmodi, ſi illas unquam vel in animum tuum admiſiſti, vel ùt veras ac juſtas diſſeminâſti ; téque offer ad errorem hunc tuum contrariâ prorſus linguâ penſandum ac emendandum ; precare inſuper Deum, ut intellectum tibi donet, quo doctrinas ipſius rite comprehendere poſſis, ſimul vires largiatur, ut eosdem in totius mundi facie absque ullo timore profiteri audeas.

II. Conſidera *Salarium, quòd in hac vita pendunt* Militibus ſuis hi duo Belliduces, Chriſtus & Lucifer, ut in electione tua magìs identidem confirmeris. Jeſus Chriſtus ſolùm loquitur de Cruce, de paupertate, de contemptu & humilitate, ac de ſuímet ipſius odio ; ſed hic contemptus & humilitas eſt ve-

ra quædam exaltatio, hæc paupertas eſt vera rerum abundantia, hoc odium eſt verus ſuímet ipſius amor, hæc crux eſt veræ pacis origo. Non ſolùm internum gratiæ ſubſidium ad pervincendas vitæ Chriſtianæ difficultates ſubminiſtrat Dominus, ſed ita illas inſuper dulces efficit, ut jucundiores ſint pœnitentium lachrymæ, quàm gaudia theatrorum: *Ego veni, ut vitam habeant*; dicit eapropter Servator *Joan.* 10. *v.* 10. & quemadmodum Amicus aliquis, cùm ad convivium nos invitat, hîſce frequenter verbîs utitur, ut veniamus ad ſervandum cum ipſo jejunium, & agendam pœnitentiam; ita & Chriſtus invitat omnes ad patiendum, eóſque dein tanta cum dulcedine ac ſuavitate excipit, ut vel ſolum bonæ tranquillæque conſcientiæ gaudium abunde ſufficiat pro Centuplo illo, etiam in hac vita pro laboribus noſtris omnibus promiſſo. Huic prorſus eſt contrarium, quod militibus ſuis pendit Lucifer, ſalarium; hic enim proditorum in morem id promitrit, quod dare ne poteſt quidem; quin & promittit, quod, ſi poſ-

ſet

ſet etiam, daturus tamen eſſet neutiquam; promittit voluptates, & aliud non dat præter anxietates; & modicùm voluptatis, quod addit, aut vanum eſt, aut vile, & pudendum; & ſuper hæc omnia tot ac tantîs ſpiritûs inquietudinibûs mixtum, ut mille hujusmodi voluptates unicô ſolùm tormentô emi non debeant: *Ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritûs. Eccle.* 1. *v.* 14. Præterita in memoriam revoca, & ſaltem tibímet ipſi crede; quandónam habuiſti bene, cùm à Deo tuo diſcederes, illiúsque amicitiâ careres? & quandónam malè tibi fuit, cùm in ejus gratia & amicitia viveres? multò enim amplius tolerandum tibi fuit, ut malè ordinatis affectionibus ſatisfaceres, quàm tolerare debuiſſes, illas ſubigendo, & agendo vitam rationi & ſanctæ fidei conformem. Certum igitur habeto, nullam unquam tibi futuram eſſe pacem, niſi te totum Deo tradas: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Iſa.* 48. *v.* 22. Iſta eſt lex, quam Deus ipſe promulgavit; neque tu primus eris, qui immunis ab illa ſit; nimirum, quòd nemo

ſecum ipſo ſit pacem habiturus, qui pugnare contra Dei voluntatem voluerit; igitur ſtatue, magno cum animo incedere per Viam Mandatorum Dei, ut & obligationes tuæ, ac Servatoris tui tam exempla quàm Vitæ æternæ verba requirunt. Hanc electionem facere deberes vel ob tui unius duntaxat amorem, & propriæ quietis causâ. Et eam non voles facere ob tot alia ſimul commoda, tótque bona cætera, quæ conſequuntur eos, qui partes & commoda Jeſu Chriſti amplectuntur? Erubeſce, quòd tanto jam tempore à Proditore perfido decipi te permiſeris, qui tuos labores non niſi fictîs voluptatibûs & verîs miſeriîs compenſavit; gratias age Deo, quod te colluſtraverit; & bonis illis omnibus renuntia, quæ tibi creaturæ ſinè Deo largiri poſſent, ac denique Deum roga, ut, ſi fors aliquando diſcedere ab illo velles, tuas tibi dulcedines tanto felle conſpergat, ut cogaris illas omnes rejicere, atque ad ipſum iterum redire, ut fideliter ipſi & conſtanter ſervias.

III. Conſidera *mercedem, quam in futu-*

futurum promittunt hi duo Belliduces. Salarium aut merces una datur militibus durantis adhuc belli tempore ; merces altera, aut potiùs liberale præmium illis diſtribuitur poſt victoriam. Igitur Lucifer, morem hunc obſervaturus, poſtquam ſequaces ac milites ſuos in præſenti hac vita malè adeò habuit, in altera illis non aliud largitur niſi flammas : *Fur non venit, niſi ut furetur, ut mactet, & perdat. Joan.* 10. *v.* 10. Infernalis hic prædo aliud non quærit, quàm ut in hac vita tibi ſuffuretur pacem animi, & bonum virtutis : *Venit, ut furetur* ; poſtmodum quærit inſuper occidere & mactare animam tuam per lethale peccatum : *Ut mactet* ; ac tandem etiam quærit in inferni abyſſo tam corpus quàm animam tuam morte ſempiterna perdere : *ut perdat* ; vúltque etiam te privare immenſo illo gloriæ bono, quo ipſus etiam ſuâmet culpâ privatus eſt, téque onerare infinito æternitatis in ignibus ſemper exigendæ pondere. At Jeſus Chriſtus non ſolùm venit, ut daret tibi vitam gratiæ in hoc mundo : *Ego veni, ut vitam habeant* ;

ſed inſuper, ut aliam tibi daret, infinities magìs abundantem bonîs omnibûs in cœlo : *U vitam habeant, & abundantiùs habeant. Joan.* 10. *v.* 10. Finitô contra ſuos tuóſque inimicos præliô, promittit tibi æternùm duraturam felicitatem adeò magnam, ut ad eam tibi comparandam Pater æternus ſuum adeò Filium Unigenitum dederit, & Unigenitus Æterni Patris Filius ſeipſum obtulerit, ac Divinus Spiritus ad donationem iſtam per amorem ſuum infinitum concurrerit. Tua igitur merces, ſi fideliter fueris præliatus, Vita erit æterna; Vita, inquam, cujus paucula duntaxat momenta omnes omnino damnatorum pœnas edulcarent; vita, cujus paucula ſolùm momenta utiliſſimè comparari deberent Martyrum omnium ſuppliciîs acerbiſſimîs; vita, quæ te ſemper magìs in Deo, quàm in témetipſo vivere faciet, quæque in deliciarum & gaudiorum omnium pelago ſinè ullo fine te ſubmerget. Et tu nihilominus in amplectendis Jeſu Chriſti partibus, téque toto divinæ ipſius Voluntati conſecrando etiamnum eris languidus? An for-

forſitan perſuaſum tibi eſt, poſſe te & uni & alteri è duobus híſceDucibus, adeò ſibi invicem contrariis, ſervire? Falleris; id fieri omnino non poteſt: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Matth.* 6. *v.* 24. An unum fortè cum altero amicè componere meditaris? At ne hoc quidem efficies: *Qui non eſt mecum, contra me eſt. Luc.* 21. *v.* 23. An ſenſum tuum vocare voles in conſilium unà cum ratione? ſed quale tibi conſilium ſuppeditare poterit inimicus tuus, qui non rudis minùs quàm malignus eſt? Attende igitur, quòd, dum inſpirationes divinas negligis ac repellis, initium quidem noveris, at finem neſcias, qui poteſt eſſe funeſtiſſimus, & conſiſtere in ſempiterna à ſummo Bono ſeparatione. Adverte, quòd tempus breve ſit, & æternitas finienda ſit numquam; non multum abibit temporis, cùm te in extremis conſtitutum deprehendes; tum verò, proh! quantùm te pœnitebit, quòd Servatoris exempla ſecutus non fueris, & vitam non vixeris nomine Chriſtiani dignam! Profectò, ſi id in morte non fiat, pœnitebit te coram

Di-

Divino Tribunali, & millies malè precaberis iniquiſſimæ huic repulſæ, quam oblatæ tibi à Servatore tuo gratiæ dediſti. Quid ſi verò ob ipſam hujusmodi repulſam in faciem tibi dicatur: *Neſcio vos?* In tuto igitur te conſtitue, cùm agatur de nimis quàm gravi negotio; & propone, omni cura & diligentia rite componendis ac ſubigendis animi tui affectionibus invigilare, ac ſequi Dominum, qui te vocat, ut ipſi ſervias, útque te poſſit æternùm beatum reddere. Erubeſce de præteritis delictis tuis, & recurre ad Dominum, ut vires tibi largiatur, oblatum ad Divinam ipſius voluntatem à te munus conſervandi, quemadmodum illius offerendi gratiam tibi contulit.



Me-

Meditatio Secunda

Pro Die Septima.

De Difficultate obtinendi ſalutem, à Chriſto explicata in Evangelio.

Pro aliqua præparatione ad eligendum vitæ ſtatum.

I.

CONſidera, quòd tribus ex capitibus difficilis accidere poſſit Viatori profectio ad itineris ſui terminum; & primò quidem ob arctitudinem ipſius viæ; deinde ob ipſiúſmet Viatoris infirmitatem; ac denique ob impedimenta & inſidias, quas in itinere illi ſtruunt inimici. Jam ob ipſa hæc tria capita Dominus in Evangelio nobis denuntiat, difficile eſſe pervenire ad ſalutem; & primò quidem *ob arctitudinem viæ.* Hanc Servator per exclamationem proponit, quæ in ore Sapientiæ increatæ quantùm innuat, nemo facilè capiet: *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inve-*

inveniunt eam. Matth. 7. v. 14. Hæ viarum anguſtiæ, nobis omnibus communes, in eo conſiſtunt, quòd neceſſe ſit, id omne contemnere, quod in peccato eſt delectabile, & id omne, quod virtus habere videtur horridum & auſterum; quódque neceſſe ſit id omne contemnere, ab aliquod bonum, quod oculis noſtris non apparet, ſed hominibus ſolummodo manifeſtatur per fidem, quæ apud potiſſimam Chriſtianorum partem jam alioquin ſatìs eſt languida. Oportet nos amare Deum ſuper res omnes alias, & ita comparatos eſſe animô, ut, quando vel Deo vel Mundo præſtanda eſt Obedientia, quando vel Deo vel noſtris concupiſcentiis eſt faciendum ſatis, prompti paratíque ſemper ſimus, amicitiam Dei, & obſervationem Sanctæ Legis ipſius præferre cuivis auctoritati & reſpectui, & cuivis alteri bono creato. Jam autem via hæc eſt, quæ ſenſibus videtur oppidò dura, neque iſti ſua hîc inveniunt commoda; tumultuantur itaque, & ambulare cuperent viam paulò latiorem, ac vivere per arbitratu; viam, inquam, appe-

appeterent planam, à majori viatorum parte tritam, & facilè cuivis obviam, plenam commoditatibûs, oblectamentîs, ac diversoriîs, quæ itineris difficultates ac labores ita minueret, ut ne sentiantur quidem. Requiritur itaque generosum animi decretum, & ingens divinæ gratiæ subsidium, quo quis seduci se minimè patiatur, sitque hoc uno contentus, quòd requiescere possit in termino, neque velit suam in itinere habere requiem. Ut verò hæc obtineatur gratia, maximopere prodest, ut eum quis vitæ statum amplectatur, ad quem à Deo vocatur, in illo enim statu parata illi Deus gratiarum habet subsidia; quæ an in alio quoque statu sit habiturus, quis nôsse poterit? Facilè id illi contingere poterit, quod cœco solet contingere, qui, deserto suo duce, seipsum in via vult dirigere, neque novit, quò tendat, dum denique in præcipitium decidat. Hîc certè, si uspiam alibi, magna cum prudentia incedere oportet, quia denique salutem animæ consequi non potes à témetipso, & velut in contemptum Dei; post pau-

cu-

culos paſſus ad portam pervenies æternitatis; & quid te fiet, ſi ex voto tibi non cedat, neque ad debitam ſit menſuram exactus magnus ille ſaltus, qui tentandus tibi ſupereſt ab eo, quod tam citò finitur, ad id, quod finietur numquam? O te miſerum! non aliud tibi ſupererit in ævum omne, quàm ut tuam deplores inſaniam; nec ſempiterna tibi pœnitentia in rem aliam ſerviet, quàm ad exaugendam identidem pœnam, numquam verò ad illam minuendam, aut mitigandam. Hoc itaque in corde tuo ſtatue, rem nullam aliam momenti majoris tibi incumbere, quàm ut hoc in negotio divinam cognoſcas voluntatem, eámque generosô exequaris animô; propone proinde non ampliùs audire inimicorum tuorum conſilia, Mundi videlicet, Carnis, ac Dæmonis, qui ſolis invigilant malis tuis, téque ad interitum ac perditionem tuam deducere laborant; Agnoſce, quod incurris, errandi periculum, ubi tanti intereſt non errare; & roga Deum, ut, cùm ipſe ſit Lux, illuminans omnem hominem in hoc Mundo, peculiari lumi-

ne

ne mentem tuam colluſtrare dignetur, quo divinam ejus voluntatem intelligas, ſimúlque cor inflammet, ut eidem, utì decet, obſequaris.

II. Conſidera ſecundam ad animæ ſalutem pertingendi difficultatem, ipſiúsmet videlicet *Viatoris infirmitatem.* Viator es, & infirmitatis tuæ ob iteratos ſæpius lapſus tot habes experimenta, ut horum numerus ſit forſan æqualis numero dierum, quos numeras in itinere tuo. Perpende igitur, quòd etiamſi liber ſis ad nolendum tuum malum, & ad volendum tuum bonum, nihilominus hæc tua libertas plena ſit languoris in bono, & effrenatæ in malo licentiæ; quia nimirum natura noſtra, per ipſum Originis peccatum corrupta, non amat niſi ſeipſam, nec ullam habet niſi bonorum ſenſibilium rationem; & aliud non quærit, quàm ut rationi frænum excutiat è manibus, ut currere pro libitu queat, quocunque placuerit. Hæ ſunt malæ propenſiones animi noſtri, communes omnibus, quibus tu adjungis peculiares alias, indoli tuæ proprias; & præter has omnes,

dum malè ordinatis tuis affectibus indulsisti, pravis tuis habitibus majores addidisti vires, quarum ope ipsæ tuæ naturales pravæque affectiones, quemadmodum leones bene pasti, evasêre magìs efferæ ac formidandæ, identidem rugiunt, & novas continuò prædas desiderant, & indagant. Hoc in statu te monet Dominus, quòd necessarium sit, ut tibi vim inferas, & quòd, insuper habitîs omnibûs hîsce novîs difficultatibûs, urgere teipsum debeas ad tenendam viam arctam, & ad intrandum per illam angustam adeò cœli portam: *Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Luc.* 13. *v.* 24. An meliùs, aut verbîs apertioribûs explicare se potuisset Divina Sapientia? Et tamen etiamnum decipi volunt Christiani! At illud, quod terribilius est in his Servatoris nostri verbis, est occasio, qua Dominus ea protulit; interrogatus nempe ab Auditorum suorum aliquo fuerat Dominus, verúmne esset, paucos duntaxat esse, qui salutem consecuturi æternam essent: *Domine, si pau-*

ci

ci sunt, qui salvantur? Ad quæstionem hanc Magister Divinus iîs, quæ allata modò sunt, verbîs respondit, quibûs ignorantiæ communis radicem aperuit, quæ sibi persuadet, salutis negotium esse opus nullius aut levissimi laboris, nulláque indigere solicitudine. Vide igitur te constitutum in conspectu immensi maris ignei, quod te expectat ex una parte, immensi verò gaudiorum maris, ex parte altera te expectantis. Quid jam agendum est libero arbitrio tuo, utcunque morbido, ut procul à miseria infinita recedat, & infinitam consequatur felicitatem? Adhibenda illi est ex parte sua omnis contentio, & conjungendus cum divina gratia conatus proprius: *Contendite intrare per angustam portam.* Non enim sufficit levis duntaxat applicatio, &, ùt loquimur, velleitas quædam, magno mortalium numero communis: *Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Quoniam verò hic ipse conatus se solo semper est mancus, oportet conjungere se Deo, & ibi te sistere, ubi te volet Deus, illuc pergere, quò

ille te ducit, illáque eligere media, quæ ad ſalutem conſequendam tibi ipſe ſuppeditat. Quid tibi hac in re dubitandum? Quis in majori perditionis ſuæ verſatur periculo, quàm qui ſua ſe voluntate dirigit, neque Dei attendit beneplacitum? quia voluntas tandem propria eſt, quæ infernum tot animabûs implet; hæc ſi in mundo deſineret, damnari quoque deſinerent homines; itaque ſi verè amas animam tuam, & ſi rite penetrâſti, quanti ſit momenti æternæ ſalutis ſuæ ſe certum reddere, totum te in Divinæ Providentiæ manus conjice, & penitus in ea confide. Pete proin veniam, quòd Divinis illius vocibus toties ac tamdiu reſtiteris; exhorreſce periculum, quod incurriſti voluntariè, nequicquam ac fruſtra quærendi ſalutem tuam; ſtatue, quòd nolis ampliùs ſuper hoc vocationis tuæ negotio cum alio conſultare, quàm cum illo Domino, qui magìs animæ tuæ, quàm vitæ ſuæ conſultum voluit; eúmque roga, ut, poſtquam jam aliàs frequenter adeò, ſed incaſſum ex culpa tua, malè ordinatas animi tui affectiones oppugna-

gnavit, nunc tandem ad majorem Misericordiæ ſuæ gloriam illas expugnare dignetur.

III. Conſidera tertium caput, cujus causâ difficile eſt ad ſalutem pertingere, nimirum *Impedimenta, quæ in via nobis ponuntur ab inimici noſtris*, tum per frequentiores incurſus, tum per continuatas identidem inſidias. Propterea non dicit Dominus, Regnum cœlorum acquiri per hæreditatem, ſed per aggreſſionem generoſam: *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud. Matth.* 11. *v.* 12. Sed quinam ſunt illi, qui obtinendæ tantæ ac tam nobilis prædæ causâ ſeſe nobis opponunt, ut propterea oporteat adversùs illos parare impreſſionem, & magnam hanc prædam illis violenter è manibus eripere: *Violenti rapiunt illud?* Is profectò Deus non eſt, ut qui Regnum ſuum offert omnibus, & omnes cupit beatos eſſe; nec certè ſunt Angeli, & Sancti, qui adeò vehementer deſiderant ſuos nos habere ſocios; ſunt nempe Mundus & Dæmon, ſumus etiam nos ipſi per ſenſus noſtros & appetitus in-

domitos. Mundus perversîs ſuîs legibûs, pravîs ſuîs exemplîs vitam noſtram in tantum redigit periculum, ut vix paſſum unum procedere liceat, præſertim Juvenibus, quin incurratur in laqueum: *Laqueus juvenum, omnes; Iſa. 42. v. 22.* Dæmon deinde eſt inimicus inviſibilis, ſagaciſſimus, malitioſiſſimus, &, quod eſt pejus, cum reliquis duobus inimicis, mundo videlicet & ſenſibus noſtris, arctiſſimô vinculô colligatus, & qui intus & foris eodem ſimul tempore absque ulla requie nos oppugnat. Jam hos inimicos vincere te oportet, ut ſalutem conſequaris; & ex horum adverſariorum manibus eripiendum eſt tibi regnum cælorum, ſi illud volueris eſſe tuum; itaque, licèt veriſſimum ſit, quòd eos in omni ſtatu poſſis vincere ope divinæ gratiæ, minimè tamen eſt verum, quòd in omni vitæ ſtatu victoria iſta ſit æquè facilis; neque quòd illam in quolibet vitæ ſtatu reipſa ſis obtenturus. Qualis ergo erit prudentia tua, ſi Deus te vocet ad fugienda iſthæc in ſecuriori ſtatu pericula, in his tamen velis remanere, & tuam in illis

illis vitam exigere? Annon facilè poterit evenire, ut & tibi grande hoc malum accidat, ut, dum ſemper in cadendi occaſionibus moraris, frequenter etiam concidas; útque poſt vitam tuam in peccatis ſemper traductam, illam denique finias deſperatione æterna in tormentis numquam finiendis? Finge tibi parumper unum aliquem ex innumeris illis infortunatis, qui, quòd voci Dei noluerint obedire, æternam ſubîere damnationem, illúmque interroga, quot annorum millionibus ignes infernos ſuſtinere libenter vellet, ſi poſtmodum redire poſſet in mundum, in eóque gradu collocari, ut vocationi divinæ gerere poſſet morem, in quo tu modò te conſtitutum vides? Profectò id ſummæ ſibi gratiæ duceret, ſi priùs ingens lachrymarum mare profundere deberet, ídque tam amplum, quàm amplus eſt Oceanus, Orbem complectens univerſum, etſi per ſingulos ſeculorum milliones non niſi unicam lachrymæ guttam effundere poſſet; tu verò cùm in eo ſis gradu poſitus, ut ſalutem animæ conſequi poſſis, Deo duntaxat obediendo, nihil

hil omnino tolerare voles, ut in infinitam illam miſeriam non incidas, è qua ſeſe immensîs adeò pœnîs libentiſſimè liberaret, quisquis in eam incidit? Hóccine pretium eſt, quo cœlum æſtimas? Itáne animam tuam, ita te ipſum curas? Anne hoc eſt amare te ipſum, an potiùs tuímet ipſius inimicum eſſe? Si iſthæc pericula non metuis, manifeſtum eſt, quòd ne intelligas quidem, qua de re ſit ſermo; ſin verò illa metuis, cur vitæ tenorem non ejusmodi tenes, qui prudentem tibi ſpem ſecurè obtinendi ſalutem faciat? An nimium fortè pro æternitate te unquam facturum putas? Expergiſcere igitur, & tibímet inculca: volo ſalutem conſequi; fluant, ùt volent, cætera; æterna Dei poſſeſſio pretiô nimis carô conſtare non poteſt. Pete veniam præteritæ ſocordiæ tuæ; erubeſce de illa coram Domino; eúmque ſupplex roga, ut, cùm ipſe tanta fecerit, ut ſalvum te redderet, non permittat, ut tu ſalutem tuam perdas, ob adeò vile quid & modicum, quale eſt bonum illud temporarium, quod te impellit ad repugnandum divinæ Ipſius voluntati.

Exa-

Examen

Pro Die Septima.

De Modo, quo te geris erga Proximum.

I.

EXamina *Ideam, quam univerſim habes de proximo tuo.* Proximus noſter eſt à Deo; eſt quoddam ipſius opus, quædam ipſius poſſeſſio, res aliqua ad ipſum pertinens; & ab ipſo miſſus eſt in mundum, ut ad Divinam ipſius gloriam ſerviret; ipſóque tandem in cœlis æternùm frueretur. Præterea ſecundùm Legem Evangelicam Proximus noſter eſt Jeſu Chriſti Frater, eſt ejus Locumtenens, & ejus Legatus; Jeſus Chriſtus illi ceſſit ſua credita, quæ tu Illi debes, dicens: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Matth.* 25. *v.* 40. Unde non minùs proximo tuo debes, quàm ipſi Servatori tuo debeas; neque injuriam inferre proximo tuo potes, nec bene illi facere, quin vel injuria vel beneficium tranſeat ab imagine ad prototypum,

ab homine ad Chriſtum ipſum ; atque adeò, quemadmodum, cùm unum ex Articulis fidei excludis à fide tua, mox omnem perdidiſti fidem ; ita, cùm unum duntaxat è proximis tuis excludis à caritate tua, mox omnem perdidiſti caritatem, etiam erga Deum ; at ſinè caritate quid es, niſi Reprobus, ad ſempiternum deſtinatus incendium ?

II. Examina ſingillatim, quomodo te geras erga proximum *in Cogitationibus*. 1. An de aliquo temerarium feras judicium, aut ſaltem ſuſpicionem de illo habeas ſinè fundamento. 2. An in illos, qui laudantur, aut quibus negotia meliùs ſuccedunt, feraris invidiâ. 3. An ipſius actiones in pejorem partem interpreteris, & nonnumquam in corde tuo aliorum etiam intentiones damnes, quæ tamen adeò de ſeipſis occultæ ſunt, ut ne ſancta quidem Eccleſia de illis judicium ferat. 4. An in corde tuo nutrias adversùs aliquem averſionem animi ; unde illum intueri nequeas, & quidquid egerit, malè tibi factum videatur.

III. Examina te *de Verbis*. 1. An ali-

aliquem insimules per injuriam, aut priùs, quàm rite de illo sis edoctus. 2. An de proximo loquaris cum contemptu, aut indignatione sive in illius præsentia, sive in absentia. 3. An illius defectus manifestes iis, quibus ignoti sunt, aut facilè alios malè de proximo loquentes adjuves. 4. An aliquem offendas verbîs asperîs, arrogantibûs, aut mordacibûs. 5. An alicui arroganter mineris, aut superbè imperes. 6. An alios ludum facias, tibíque placeas, si alios ad iram concites, aut si alii ludantur, & exagitentur. 7. An aliis perversa consilia suggeras. 8. An reveles ea, quæ secretò tibi creduntur, & aliunde non fiunt manifesta. 9. An discordias semines, & ultro citróque referas, quæ discordias aut excitare, aut fovere queant. 10. An aliorum opera bona hypocrisin appelles. 11. An opinionem tuam, aliorum opinioni contrariam, superbè ac pertinaciter defendas.

IV. Examina te *de Operibus.* 1. An aliqua facias vindictæ studiô adversus eos, qui te offenderunt. 2. An, postquam aliquem læsisti, non studeas, il-

illum iterum placare, eíque pro injuria ſatisfacere. 3. An te opponas aliorum conſiliis, ne illos videre debeas contentos. 4. An id agas, quod non ſinè ratione proximum poſſit offendere. 5. An domi aut foris malùm aliis exemplum præbeas. 6. An explores aliorum facta, quæ nihil ad te attinent. 7. An pauperes modîs indignîs à te repellas. 8. An injuriam alicui inferas, illi negando, vel differendo id, quod debes, ùt mercedem famulis, operariis, &c. 9. An foveas amicitiam aliquam periculoſam, aut malè ordinatam, quam tollere potiùs ac extinguere deberes. 10. Verbô, inquire, an erga proximum exerceas caritatem, eo modo, quo Chriſtus Jeſus eam exerceri voluit, & eâ menſurâ, quam ipſe nobis reliquit. Modus eſt, amare proximum non ob cauſam aliquam naturalem, quòd, verbi causâ, ſit noſtro conformis genio; ſed ob cauſam naturalî ſuperiorem, quia videlicet eſt imago Dei, & quia Deus illum amari vult & præcipit. Menſura verò eſt, illum amare utì ſeipſum, illíque præſtare id omne, quod cum ratione

ne cupimus, ab aliis præſtari nobis ipſis.

V. Examina te *de Omiſſionibus*. 1. An omittas corrigere errantes, cùm id tibi vel ex officio vel ex caritate incumbit. 2. An proximi famam non defendas, cùm illa laceratur, & eam tu facilè potes defendere. 3. An miſeris compatiaris. 4. An aliis ea præſtare nolis aut negligas obſequia, quæ ſuadet vel exigit ratio. 5. An omittas alios in precibus tuis commendare Deo, eos præcipuè, qui te oderunt, vel perſequuntur, vel mali tibi aliquid intulerunt, contra Conſilium, quod nobis Servator noſter reliquit. 6. An eleemoſynam dare negligas, quæ in multis caſibus debetur ex præcepto; & in iis caſibus, in quibus ſolùm danda eſt ex conſilio, eſt maximi momenti medium ad ſtabiliendam certiùs animæ ſalutem; unde qui inimicus eſt pauperum, eſt inimicus animæ ſuæ propriæ, & circumfert ſecum Reprobationis characterem; quemadmodum ille, qui amicus illorum eſt, ſignum Salutis ac Prædeſtinationis habet.

Finies Examen consuetîs virtutum actibûs.

Meditatio Tertia

Pro Die Septima.

De Electione Statûs.

I.

Considera, *quanti momenti negotium sit electio bona statûs vitæ;* quod tanti sanè est, ut in omni vita tua nec habueris, neque fors habiturus sis aliud momenti gravioris, & quod tuâ magìs intersit. Jam intellexisti, quòd creatus fueris ad finem altissimum, reddendam nempe Deo gloriam, per obsequium in hac Illi vita præstitum, illúmque possidendum, & eo fruendum in altera per omnem æternitatem; quis autem error huic fini, ac Dei gloriæ, tuæque supremæ felicitati magìs est contrarius, quàm eligere vitæ statum pro naturæ genio, atque ob rationes nimiùm terrenas? Si in domo Dei, quæ est Mundus iste, tibi locum eligas pro tuo li-

libitù, non verò ex Dei arbitrio & beneplacito, tu profectò vis, ut ille serviat tibi, cùm illi utique tu potiùs servire debeas; cúmque tu Divinæ ipsius Providentiæ accommodare te deberes, tu illam potiùs post te trahere, eíque Ducem præbere teipsum vis, velut ipsa te rite dirigere vel nesciret, vel nollet. Et hæc est illa gloria, quam reddis Deo tuo, utì tua te jubet obligatio? Deinde dum locum aliquem occupas pro tuo libitu, quin priùs Deum consulas, an nôsti, cuinam te exponas periculo? Viator, qui se priùs de via recte edoceri non curat, sed mox ingreditur primam, quæ illi se offert, magísque aliis est plana & amœna, exponit sese periculo singulìs passibûs errandi, ac denique pertingendi ad horridum præcipitium. Tu quoque viator es, qui tendere ad cœlum debes; ac proinde, nisi de recta tibíque propria edoceri te via sinas, quàm facilè accidet, ut & tu incedas, quemadmodum tot alii quotidie incedunt, ac tuum demum iter finias miserandô ignis æterni præcipitiô? Absque validioribus divi-

næ

næ Gratiæ ſubſidiis paſſus quilibet, quem languida tua libertas molietur, facilè futurus eſt lapſus; & tamen, qua tu prudentia validiora iſthæc divinæ gratiæ ſubſidia promittere tibi poteris, ſi Deus nullam habeat in Electione tua partem; ſed conſilia ſolùm conferas cum familiæ tuæ commodis, cum pravis animi tui affectionibus, cum tuis ſenſibus ac appetitibus; utì fieri poſſet, ſi nullus tibi eſſet Deus; ſi non haberes, quam perdere poſſes, animam immortalem; ſi nulla foret, quam lucrari poſſes, æterna beatitudo? Inhorreſce ad hanc cœcitatem adeò communem inter Chriſtianos, qui, veluti ſi nullam haberent Fidem, rem eſſe putant nullius momenti, cognoſcere ſtatum illum, ad quem à Deo vocantur; propone, ſtultorum ejusmodi numerum, qui, ubi nulla circumſpectio poteſt eſſe nimia, cœcorum inſtar progrediuntur, acceſſione tua non augere; & roga Deum, ut à falſa hujus Mundi ſapientia, quæ veriſſima eſt imprudentia, liberare te velit, & nunc tandem tibi largiatur gratiam cognoſcendi divinam

ipſius

ipſius voluntatem, ut eam poſſis adimplere: *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet.* 1. *Cor.* 7. *v.* 17.

II. Conſidera *bonæ Electionis modum.* Primùm verò ad eam faciendam duplici diſpoſitione te accinge; unâ quidem temporis, quo minùs ordinata quadam animi tui affectione non ſis actu perturbatus; quomodo enim aqua turbida, vel commota, imaginem tibi aliquam fideliter reddere aut proponere poterit? alterâ verò cordis perfectè parati ad amplectendum quemcunque ſtatum, ad quem à Deo te vocari, prudens judicium habueris; quia multò facilius eſt, æquum rei pondus bilance diſtorta invenire, quàm Divinam Voluntatem corde jam antea propoſitîs aliîs, ob cauſas præcipuè terrenas, imbuto deprehendere. Hoc itaque poſito, quia nos Deus duplici lumine, naturali nimirum rationis, & alio, naturam ſuperante, fidei videlicet, inſtruxit, utroque utere, & in tuo negotio hunc in modum procede, ut, invocato primùm Divini Spiritûs auxiliô, & Virgineæ ſanctiſſimæque Matris ſuffragiô, quo ri-

rite in tanti momenti negotio dirigaris, accedas ad examinanda cum omni maturitate tum auxilia, tum obſtacula, quæ animæ tuæ ſaluti in eo vitæ ſtatu, de quo ineundo deliberas, occurrere posſunt, ſive ſtatus ille ſit Eccleſiaſticus, ſive Religioſus, ſive cœlibatûs, ſive Matrimonii, ſive alterius ejusmodi profeſſionis, aut Artis, aut Muneris, ac Officii cujuscunque. Expende pericula peccandi, quibus te ille ſtatus exponit, tam conſideratîs pravîs animi tui affectionibûs, quàm malîs habitibûs, earum causâ contractîs; perpende Media, quæ idem tibi ſtatus ſuppeditat adversùs illa peccandi pericula; dein etiam talenta tua, cæteráque dona tum naturæ, tum gratiæ, quæ habes ad implendas obligationes illas, quas ejusmodi ſtatus ſibi annexas habet. Denique perpende, quale tu conſilium in eiusmodi deliberatione impertires optimo & cariſſimo alicui amico tuo, qui illud à te peteret, eſsétque, ùt & tu eſſe deberes, omnino firmus in hoc propoſito conſequendi ultimum finem ſuum, ac ſibi perſuaſiſſima haberet fundamentalia

Evan-

Evangelii principia & dictamina; videlicet nullam rem aliam majoris esse momenti, quàm obtinere salutem suam: *Unum est necessarium. Luc.* 10. *v.* 42. quódque salus animæ momenti sit infiniti: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth.* 16. *v.* 26. Fieri potest, ut hujus sermocinationis lumen, ea luce, quam tibi Pater luminum ab alto immittit, roboratum sufficiat, ut deprehendere possis, in quem vitæ statum adducere te velit Divina Providentia, quæ status omnes summa cum mensura, & maximo cum pondere distribuit, ut omnes per diversas vias suas ad eumdem cœli terminum perducat. At verò, si necdum hoc sufficiat, Fidem paulò distinctiùs in auxilium voca. Imaginare tibi, te in ferali lectulo jam decumbere, desertum à Medicis, adjutum sacrîs obsequiîs à Sacerdotibus, sinè ulla spe longioris in hac terra vitæ; tum sinè fictione teipsum interroga, quid eo tempore te fecisse

desideraress? quem ex propositis tibi ad eligendum vitæ statibus, amplexum te fuisse cuperes? O quàm sincerum ac verum tibi responsum impertietur mors, quæ justum rebus omnibus pondus tribuere solet! *O mors, quàm bonum est judicium tuum! Eccli.* 41. *v.* 3. Præcipuè verò, si ad Mortis memoriam adjungas etiam id, quod eam multò plùs terribilem, & immensùm ampliùs formidandam reddit, divinum nempe Judicium: *Semel mori, post hoc judicium. Heb.* 9. *v.* 27. Ad pedem Divini Tribunalis istius, quod maximis etiam Ecclesiæ Sanctis terrorem incussit, constitue, quam viam velis ingredi, ut ad cœlum pervenias; hoc ipsum est eligere vitæ statum. Noli tibímet adulari, & res istas velut è longinquo intueri. Magìs enim sunt vicinæ semper, quàm nobis imaginemur, & jamjam humeris nostris insident, cùm mille milliaribûs etiamnum distare creduntur. Citò citiùs sistéris coram Judice tuo, ut rationem reddas; tunc verò, qualísnam erit is vitæ status, qui benignæ sententiæ magís te securum reddet? Quæ fo-

foret ſtultitia, ſi modò id non faceres, quod certò nôſti, te ardentiſſimè tunc deſideraturum, ut modò fuiſſet à te præſtitum? O Bona! O mala æterna! quàm parùm vos agnoſcunt, & æſtimant mortales, ſi id non efficitis, ut brevibûs hîſce vitæ noſtræ diebûs greſſus noſtros rite dirigatis? Si denique, poſt omnes iſtas conſiderationes, dubius etiamnum hæreas, omnem tuam deliberationem prudentis & pii Directoris arbitrio finiendam relinque, & confide, quòd Deus, qui ore ſuo proprio tibi loqui non vult, majori cum ſecuritate per illius os ſit tibi locuturus. Beatus profectò foret Chriſtianus orbis, ſi tali ſemper uteretur in amplectendis diverſis vitæ ſtatibus ac conditionibus, quas paſſim omnes amplectuntur, prudentia; non eſſet adeò trita Perditionis æternæ via, quàm ingrediuntur plurimi cœcorum more, prout nimirum eos impellit commodum, genius, animi affectio, & vanitas, veluti ſi anima, ſemel perdita, rurſus poſtmodum recuperari poſſet. Gratias age Deo, qui & tempus & modum tibi ſuppeditat

 agno-

agnoſcendi divinam ſuam voluntatem, ſive, quod idem eſt, qui hac in vita te beatum facit: *Beati ſumus, Iſraël, quia, quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Bar.* 4. *v.* 4. Offer ipſi electionem tuam, eúmque roga, ut eam confirmare dignetur: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Pſal.* 67. *v.* 29. Statue, quòd nolis ampliùs audire ſtrepitus, quos adversùs illam excitat Mundus & Caro, ut eam diſturbet; & denique Deo ſupplica, ut, quemadmodum tibi largitus eſt gratiam deſiderandi bonum, & illud eligendi, ita & vires tibi præbeat, id ipſum ad gloriam ſuam conſequendi.

III. Conſidera *Modum corrigendi electionem*, ſi forſan illa perperam facta jam fuerit. Duas ſimul injurias, unam Deo, alteram animæ tuæ irrogâſti, dum aliquem tibi ſtatum ſinè debita conſideratione elegiſti; & oportet perverſo huic ordini, quantùm fieri poteſt, afferri remedium. Primò quidem, quanta tua temeritas extitit, dum in negotio tanti ponderis ac momenti auſus es aliquid decernere, quin priùs conſilium

à Deo

à Deo peteres! *Væ, filii deſertores, ut ordiremini telam, & non per ſpiritum meum! Iſa. 30. v. 1.* Si filius aliquis ita cum Patre ſuo terreno ageret, cenſeretur haud dubiè contemnere Patrem ſuum; quis igitur contemptus non erit, ſi parî modô agas cum Patre cœleſti? Simili ratione ſi periculum eſt ad æternam non pertingendi ſalutem, etiamſi quis viam ſalutis ingrediatur, ídque ſecundùm ordinem divinum; quale igitur periculum æternæ perditionis erit, ſiquis ſibímet viam eligat præter, aut contra ordinem divinæ Providentiæ? Has igitur injurias, & Deo & tibímet ipſi irrogatas, deflere te oportet, ac coram Deo deteſtari, eúmque rogare, ut inverſum hunc tuæ voluntatis ordinem rite componere ac reſtituere dignetur arte illa, adeò ſibi propria, qua bonum eruere novit ex malis; ac poſitô, quòd tempus tibi ampliùs non ſuppetat, ipſius Electionis errorem corrigendi, corrige ſaltem illius circumſtantias, & propone, illum vitæ ſtatum, quem amplexus es, retinere quidem, at non eo fine, non eà intentione,

non eo mundano confilio, quo ad illum acceffifti; fed potiùs altiori jam ex caufa, & animô in hoc ipfo ftatu ferviendi Deo, & per illum obtinendi æternam animæ falutem. Majora porrò pericula, quæ in hoc ftatu imprudenter electo tibi occurrunt, funt evitanda tantò majori cautela, qua folicitè tibi femper invigiles, atque ita progrediaris, utì progredi folet exercitus in regione inimica, dum identidem præmittit exploratores. Inftrui te cura in obligationibus eidem tuo ftatui annexis, & eas fingularî ftudiô adimplere fatage; quia peccata omiffionis, quemadmodum non minùs bonum publicum, quàm privata commoda fubruunt ac evertunt, ita funt illa, de quibus olim ftrictior à divino tuo Judice exigetur ratio. Aliorum pariter ad falutem pertingendi Mediorum defectum fupple frequentiore Divinorum Myfteriorum ufu, majore in exercendis Chriftianæ pietatis operibus diligentia; non aliter ac ille, qui in tellure magìs fterili feminat, liberaliore manu fpargit femina, ut copia feminis fuppleat fterilitatem

agri.

agri. Hunc in modum emendabis admiſſum in eligendo ſtatu errorem, & arte hac efficies, ut de tua te ſalute ſecuriorem reddas; igitur de novo te iterum offer Deo, ad vitam in ea vocatione, quam tenes; conſtanter agendam, non aliter, quàm ſi foret illa ipſa, quam tibi Deus ab omni æternitate præparavit. Demitte ac humilia te ad terram uſque, quòd Divinæ ipſius Voluntati non à principio ſtatim te ſubjeceris; & cùm modò non poſſis ampliùs ſtatum alium eligere, roga Deum, ut impertiatur tibi vires quibûs deinceps in hoc ipſo ſtatu, in quo jam degis, ſincero illi corde deſervias.



Meditatio Quarta

Pro Die Septima.

In illa verba Davidis: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Psal. 76. v. 6.*

Ad confirmandam ſtatûs electionem jam abſolutam.

I.

COnſidera quòd Sanctus Propheta David adductîs modò verbîs modum tibi ſuppeditet ſtatûs Electionem jam abſolutam confirmandi, dum exemplô ſuô te docet, nullam habere præſentium rationem; præterita animô revolvere, & futura, æterna videlicet, ſemper ob mentis oculos habere. Primùm itaque *nullam debes præſentium rationem habere*; ùnde obſerva, quòd Propheta Sanctus ne minimam quidem illorum mentionem fecerit. Cùm David allata hæc verba ſcriberet, annum ſui regiminis jam numerabat trigeſimum octavum; jam relatîs præclarîs victoriîs

riîs hoſtes ſuos omnes perdomuerat; magnos alebat exercitus, congeſtos habebat theſauros ingentes; conſtabilitam videbat ſuam familiam, nomen ipſius apud omnes in vicinia populos erat circumquaque celeberrimum; florebátque ſtatus ipſius omnis, plùs omnibûs aliîs illius temporis. Nihilominus hæc omnis felicitas ipſius animo tam videbatur eſſe miſera, ut eam nec aſpectu nec memoriâ dignam crederet. Ecce igitur lapſuum tuorum omnium originem, quia nimirum præſentia duntaxat intueris; ecce, unde vehementer timeri poſſit tuæ in ſanctis animi propoſitis perſeverantiæ. Non jam victoriæ, non Exercitus, non theſauri, non regna, ſed modicum quodlibet bonum temporarium rapit & allicit omnes affectus tuos, ut illud acquirere ſtudeas, & ſi illud jam acquiſitum poſtmodum perdas, jactura illa cor tuum implet ingenti triſtitia. Hîc nempe cuperes omnia tua ſolatia poſſidere, in hoc temporis puncto, quod eſt vita tua; in hoc loci puncto, quod eſt domicilium vel patria tua, cuperes te perpetuò ſtabilire, & inter pau-

paucos, qui te noverunt, te oſtentare ac eminere. Verùm non te advertit ſenſuum tuorum deceptio? Citò citiùs hæc rerum præſentium ſcena mutabitur: *Præterit enim figura hujus mundi.* 1. *Cor.* 7. *v.* 31. tu verò poſtquam dormîeris ſomnum tuum; & poſtquam ſomniaveris, te eſſe divitem, eſſe ex omni parte contentum, eſſe Magnatum aliquem, evigilabis in morte, & vacuas deprehendes manus tuas: *Aperies oculos tuos, & nihil invenies. Job.* 27. *v.* 19. Tum verò finita tibi erunt oblectamenta omnia, finita erunt, quæ acquiſiviſti, bona omnia, finitæ machinæ omnes, finita erunt omnia conſilia tua: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Pſal.* 145. *v.* 4. Quandónam autem venturum hoc tempus eſt? Forſitan poſt annum unum; forſitan poſt unicum menſem; forſitan poſt diem unum: *Neſcio, quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus. Job.* 32. *v.* 21. Numquid igitur melius eſt, contemnere præſentia, tam brevia, tam parva, tam vilia; & iſtîs ſeſe amore Dei privando,

do, ſempiternum bonorum cœleſtium theſaurum adipiſci? Eja igitur! majores cape animos, toti mundo renuntia corde tenus, quin & opere ipſo, ſi opus id eſt, ad comparandum agrum, ubi cœleſtis abſconditur theſaurus; ſupra teipſum te attolle, & ſupra creata omnia, utpote illîs omnibûs major; & cùm id omne, quod poſſides, & quod in hoc miſero mundo ſperare potes, aliud nihil boni habeat, quàm quòd contemni, & ex amore Dei relinqui ac deſeri poſſit, contemne illud omne propter ipſum, ac etiam, ſi Deus id velit, & à te petat, relinque ac deſere; id enim petit, ut æternùm te divitem faciat, útque voluptatis lutoſæ guttulam tibi convertat in immenſum felicitatis & gaudiorum oceanum. An Deo tuo necdum te confidis? an caſurum te times, ſi in illius te brachia conjicias? An putas illum excidiſſe fortunîs ſuîs, neque ſolvere jam poſſe promiſſum in hac vita centuplum iis omnibus, qui ipſius amore deſerunt, ac relinquunt omnia, quæ poſſident? An fuit unquam mortalium aliquis, qui Deo ſer-

ſerviit, & ab illo remunerationem non accepit? An fuit aliquis, quem in morte pœnituit bonorum operum ſuorum? *Electi mei non laborabunt fruſtra. Iſa. 65. v. 23.* Exprobra tibímet ipſi avaritiam, quam hucusque erga Creatorem tuum exhibuiſti; erubeſce in conſpectu illius, eámque deteſtare. Denuo te offer amabiliſſimæ Diſpoſitioni illius, mollis inſtar ceræ, eúmque roga, ut abundantem tibi impertiatur gratiam ſuam, eâque id efficiat, ut illam non audeas ampliùs contemnere, nec eam deinceps ſinè fructu excipias.

II. Conſidera, quòd ad conſervandam electionem tuam, non ſolùm præſentibûs non affici debeas, ſed potiùs *animô revolvere prǽterita*, ſecundùm exemplum, quod tibi præbet ſanctus hic Propheta David: *Cogitavi dies antiquos.* Sed cur ille tam ſolicitè cogitavit de præteritis, niſi ut tantò generoſiùs contemneret præſentia? Erat ſub id tempus Propheta David maturæ admodum ætatis, cúmque prætèritos vitæ annos animô revolveret, adver-

vertebat, diſparuiſſe juventutem ſuam, quæ illata Giganti Goliatho morte fuerat tantopere nobilitata ; evanuiſſe virilem ætatem ſuam, reportatîs adversùs inimicos populi ſui tot victoriîs ac trophæîs inſignem ; transîiſſe annos Regiminis ſui, adeò non ſolùm in Palæſtina, ſed & in univerſo mundo famoſi ; & ubi nunc ſunt, dicebat in corde ſuo, ubi ſunt triumphi mei, applauſus mei, & omnes gloriæ meæ ? Non ſupereſt mihi, niſi miſerum ſenectutis meæ reſiduum; ſed & hoc paulò pòſt in auras, in cineres & pulverem abibit; feralis lectulus, vilis tumulus, lapis ſepulchralis, omnis fortunæ & gloriæ meæ finis ac terminus erit. Ita loqui & cogitare tu quoque debes, ſi conſervare ſancta tua propoſita cupis ; retro converte oculos ad conſideranda præterita ; & intelliges, quàm contemnenda ſint etiam illa, quæ adhuc præteribunt. Si in hanc usque diem fuiſſes adeò felix, adeò dives, adeò deliciîs omnibûs affluens, ùt fuerat olim David, quin etiam ùt fuit Salomon, ipſius filius ; jam verò hoc ipſo temporis articulo morien-

riendum tibi foret, numquid merum jam esset somnium, quod antea tam splendidè te satiabat? Parî modô si centum annîs vixisses in deserto pro agenda pœnitentia, utì S. Paulus primus Eremita, & hoc ipso momento vivere desîisses, omnes tibi austeritates tuæ non nisi depictæ viderentur. Cur igitur modò dedoceri te non finis? Cur modò tanti æstimas id, quod paulò pòst tantopere contemnes? Cur animam immortalem, animam tuam unicam ob nullius momenti rem æternæ damnationis exponis periculo? Quid illud est, quod deinceps futurum est? nempe illud, quod jam fuit: *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est. Eccli.* 1. *v.* 9. Id, quod etiamnum tibi dedit Mundus, etiam daturus tibi est deinceps; adhuc autem aliud tibi non dedit, quàm bona ficta, & vera mala; atque adeò & imposterum alia tibi non dabit. Et tu illi voles etiam deinceps credere, & propter falsa ac mendacia illius promissa viam cœli deserere? *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & dereliquerunt vias rectas!*

ctas! Eccli. 2. v. 16. Deteſtare præteritas tuas tenebras, & erubeſce coram Jeſu Chriſto, qui eſt æterna Veritas; ſtatue, ambulare deinceps in luce, & illum ſequi ducem, qui errare non poteſt; & quoniam non niſi duæ tibi ſunt viæ, lata una, quæ ad perditionem ducit, & arcta altera, quæ ad ſalutem tendit, roga Dominum, ut vires tibi donet, quibûs viam latam conſtanter poſſis deſerere, & ſecuram perpetuò tenere.

III. Conſidera, id, quod præ cæteris omnibus plurimùm confert ad perſeverandum in Electione tua, in eo ſitum eſſe, ut non modò contemnas præſentia, & animo revolvas præterita; ſed ut futura, id eſt, *æterna ſemper ob mentis oculos habeas*, & poſſis dicere cum Sancto Davide: *Annos æternos in mente habui.* Mentis igitur oculos ex propoſito defige in conſiderandos annos æternos, qui te expectant in altero mundo numquam finiendi; & ita teipſum alloquere: Poſt mille annos quid futurum eſt de mea familia, de meo nomine, de bonis meis, de meo corpore? Extincta erit omnis mei me-

 mo-

moria, neque vel cineres mei inter ſe conjuncti ſupererunt. At anima mea poſt mille annos, poſt decem annorum millia, viva etiamnum erit, ac maximè viva, ſicut eſt hodie. At quodnam illa pretium ſtatuet ſuis voluptatibus, ſuis honoribus, fortunis ac divitiis ſuis? Ah! ſi illa fuerit in inferno, utì accidere poteſt, dimidiæ duntaxat horæ ſpatiô omnis voluptatum ac deliciarum præteritarum memoria, etiamſi illæ per mille ſecula durâſſent, penitus jam erit abolita, & ſepulta. At verò ſi illa per Dei Bonitatem in cœlo fuerit, quam, quæſo, memoriam retinebit exiguarum illarum difficultatum, quas in acquirendo illo ſuperavit? Quamprimum beata illa limina contigerit, omnes ipſius lachrymæ momentô citiùs ſiccabuntur, etiamſi lachymæ illæ ac pœnitentiæ opera tot annîs durâſſent, quot ipſe Mundus duravit, ac durabit impoſterum. Perge ulteriùs, & teipſum rurſus affare: Non tantùm poſt mille annos, nec tantùm poſt decem annorum millia; ſed poſt centum milliones ſeculorum viva etiamnum erit anima mea;

& quotam æternitatis ſuæ partem præterlapſam tunc ſentiet, ſive ſubmerſa ſit in abyſſo flammarum, ſive immerſa ſit gaudiis Beatorum? Multum profectò temporis præterlapſum tunc erit, ſed nulla adhuc, nec modiciſſima quidem æternitatis pars; utpote quæ etiamnum erit integra, uti fuit prima die, qua cœpit. Si porrò centenis iſtis ſeculorum millionibus alii centeni milliones adjungantur, viva etiamnum erit anima mea, & poſt præterita tot ſecula remanebit illius vita & æternitas tam integra, ùt fuerat à principio. Accipe igitur tot ſeculorum milliones, quot ſunt momenta, quæ priorum ſeculorum omnium diuturnitatem adeò longam conſtituunt, & rurſum dic: Ne tunc quidem, cùm omnia iſta innumera ſecula finita fuerint, vel unicum æternitatis meæ punctum erit imminutum! Vel unicum punctum non erit imminutum; & pergam torreri & torqueri ſemper, ſi fuero damnatus, & pergam gaudere ſemper, ſi fuero beatus, ſemper, ſemper, ſemper! Imaginabile tempus omne minus erit vel ictu

oculi, ſi comparetur illi, quod finem non habet: *Finiti ad infinitum nulla eſt proportio.* In conſpectu igitur duplicis hujus æternitatis, quæ te expectat, conſtitue, an eum vitæ tenorem retinere debeas, qui te longiùs à præcipitio removet, & magìs te ſaluti tuæ vicinum reddit. Major profectò ſtultitia inveniri in hac terra non poteſt, quàm ob nullius momenti bonum libenter & cum voluptate exponere ſe vel minimo periculo perdendi bonum infinitum ad tempus infinitum, & incurrendi ad tempus infinitum ejusmodi malum, quod ſemper durabit. Et tu, ne vincere debeas levem aliquam difficultatem, voles eligere non minimum aliquod ſalutis tuæ perdendæ periculum, ſed periculum ſummum, quale eſt illud, quod incurrit, qui Divinæ Vocationi ſe ſurdum præbet? Tantíne tu facis bona & mala ſempiterna? Diſcede; quia non credis æternitatem; aut certè, ſi illam credis, Fides tua moribunda eſt, niſi fortè jam penitus eſt mortua; nam alioquin etiam felleum mare, ſi ebibendum tibi foret

ad

ad comparandam ſalutis tuæ certitudinem, puri ac dulciſſimi lactis potus haud dubiè tibi videretur. Exprobra igitur tibímet ipſi cœcitatem præteritæ vitæ tuæ; erubeſce coram Deo; propone, quòd te dirigi paſſurus ſis à Deo, quocunque te ipſe ducere voluerit, dummodo tandem eò perveniàs, ut ſalutem tuam conſequaris; pete ab ipſo victricem illam gratiam, quæ te totum commutet in alium.

Sacrorum Exercitiorum
Dies Octava.
Meditatio Prima.
De Inſtitutione Sacroſanctæ Evchariſtiæ.

I.

Conſidera, quòd ex tribus capitibus donum aliquod reddi nobis poſſit pretioſum, ſumméque æſtimabile; ex magnitudine nimirum ipſius doni, ex affectu donantis, atque ex utilita-

te, quam inde percipit is, cui donatur. Jam omnia hæc tria capita inveniuntur in Diviniſſimæ Evchariſtiæ miraculo. Itaque primò conſidera *Magnitudinem doni.* Magna jam hominibus dona dederat Deus; dederat nobis nos ipſos; & dederat nobis pariter per beneficium Creationis & Conſervationis innumeras creaturas alias; ſed hæc omnia, etiamſi cæteroquin tantopere æſtimanda, tandem tamen finita erant ac limitata. In Incarnatione deinde donum hominibus dedit quidem infinitum, ſed hoc etiam donum immediatè, ùt in ſcholis loquimur, conceſſum eſt ſoli Humanæ Naturæ Jeſu Chriſti, mediatè verò per illam etiam nobis. Remanſit igitur in Dei poteſtate, quod nobis adhuc donare poſſet; ſi nimirum vellet etiam omnibus ac ſingulis ſuis Fidelibus ſe ipſum impertiri, & hac ratione extendere, ac dilatare immenſum ipſius Incarnationis beneficium. Atque hoc eſt, quod agit in Evchariſtiæ Myſterio, ubi nobis communicat, quidquid divitiarum ac bonorum poſſidet, videlicet ſuum Corpus,

pus, ſuum Sanguinem, Merita ſua, & Virtutes ſuas, ſuam animam, ac ſuam Divinitatem ipſam, tam admirando inventionis genere, quod per omnem æternitatem ipſorum etiam cœleſtium Spirituum ac Seraphinorum mentibus non occurriſſet. Non poteſt jam igitur aliquid amplius à Servatore noſtro peti; & ſiquid ampliùs in hac vita peteremus, poſſet nobis ipſe reſpondere, quòd, licèt ipſe ſit plenitudo bonorum omnium, non ampliùs tamen habeat, quòd dare nobis poſſit, cùm nobis jam omnia dederit in frumento Electorum, & in Vino, quod germinat Virgines: *Frumentô & vinô ſtabilivi eum; - - & ultrà quid faciam? Geneſis.* 27. *v.* 37. In comparatione igitur immenſæ adeò liberalitatis divinæ erga animam tuam, quàm deficiet, putas, tua erga Deum avaritia, niſi modicum illud libertatis, quod tibi ſupereſt, totum illi offeras? Reſtitiſti hactenus omnibus reliquis donis; an verò reſiſtere quoque illi Deo poteris, qui tibi ſeipſum donat? Quid dicere debebunt Sancti in Cœlo, qui plenè intelligunt

& unum & alterum extremum, Christi videlicet munificentiam, & cordis tui parsimoniam? Rubore suffundere ob ingrati animi vitium; & memento, quòd juxta mensuram beneficiorum futura sint supplicia tua, si illis fueris abusus; propone, omnia illi donare, qui se totum tibi donavit, quin aliquid sibi reservaret; Gratias age Domino Deo pro immensa hac erga te liberalitate, illúmque roga, ut magnis adeò favoribus etiam hunc adjiciat, tibíque donet novum spiritum, & novum cor, ut eosdem hos favores rectè discas æstimare, eísque, ùt debes, respondere.

II. Considera *Affectum Amoris*, quo Jesus Christus hoc ingens tibi donum confert. In hoc potissimùm ac propriè consistit beneficium, quia amor est anima donorum, id verò, quod donatur, est corpus. Jam autem amor hic Christi, in donanda nobis Divina Eucharistia ad ultimum pervenit terminum: *In finem dilexit eos. Joan.* 13. *v.* 1. Propterea, quemadmodum fornax ardorem, quem continet, manifestat per flammas, quas foras emittit, ita

ita immenſa hæc Chriſti caritas ſe aliquantùm manifeſtat per tempus illud, quo Chriſtus Diviniſſimum hoc Myſterium inſtituit, per modum, quo illud ipſum inſtituit, & per difficultates, quas in hac inſtitutione ſuperavit. Tempus fuit illud ipſum, quo Mortales conſilium agitabant, crudeliſſimam Illi mortem inferendi; ſub idem enim tempus Ipſe ſe comparavit, ad donandum illis hunc cibum vitæ; invenítque modum ſemper remanendi nobiſcum, quando ipſius inimici magìs quàm unquam aliàs illum è mundo tollere ac ejicere laborabant: *Pridie, quàm pateretur, accepit panem. Eccleſia.* Modus, quo nobis hoc donum confertur, eſt converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ut ita Chriſtus ſit noſter cibus adeò perfectè, ut, quemadmodum nulla eſt ars, quæ nutrimentum illud, quod per omne noſtrum corpus jamjam diffuſum eſt, à corpore noſtro ſeparare poſſit, ita pariter nulla ſit ſive ars, ſive potentia, quæ à Chriſto ſeparare nos poſſit. Præ omnibus verò cæteris Ipſius ſeſe Caritas manife-

ſtat in difficultatibus, quas ille ſuperavit, ut bene nobis faceret; cùm enim immenſum numerum injuriarum, contumeliarum, probrorum, & ſacrilegiorum ſanctiſſimo ſuo Corpori tam ab innumeris Infidelibus, quàm à tot Chriſtianis, vel tepidis, vel perverſis, inferendorum prævideret, nihilominus ad mala iſthæc omnia toleranda ſe comparavit, ut intimè cum anima tua conjungere ſeſe poſſet; &, quod amplius eſt, huic admirabili ſuæ patientiæ adjunxit etiam deſideria, & quidem deſideria vehementiſſima: *Deſideriô deſideravi, &c. Luc. 22. v. 15.* Ac ubi olim, ut veniret in mundum, & carnem aſſumeret, voluit priùs deſiderari, & tot ſeculîs expectari; nunc, ut veniret in cor noſtrum, ſeipſum urget, ac ſolicitat deſideriîs ſolo ſuo Corde divino dignîs. Quis unquam imaginari ſibi hujusmodi profuſiſſimam caritatem posſet, niſi fides eam illi revelaret? At undénam in animo tuo proveniunt affectus adeò contrarii, ut, dum Deus tantopere deſiderat conjungi cum anima tam miſera, qualis eſt tua; hæc ipſa ta-

tamen anima poſtmodum adeò modicum habeat deſiderium conjungendi ſe cum ſummo Bono? Anne tu forſan rationem aliquam habes, cur tanto ac tam profuſo Ipſius amori ſatisfacere non velis? Anne rationem habes convertendi te ad Ægypti cepas & allia, quæ ſenſuum tuorum ſunt voluptates, poſtquam toties Divinum hoc Manna, tanquam cibum tuum, comediſti? Quid facere tandem debebit Chriſtus Jeſus ad pervincendam hanc cordis tui duritiem ac pertinaciam? Fatere illam ſincerè & apertè in conſpectu divino, eámque deteſtare millies; offer te totum Deo, ut ſe inter ac te conjunctionem hanc intimam ac divinam perficiat; horrorem itaque ſummum omnis maculæ cujuscunque generis, tam corporis quàm cordis, in te excita, poſtquam hoc toties Dei ac Domini tui hoſpitium extitit, & cum Jeſu Chriſti membris unum corpus conſtituit: *Tollens membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.* 1. *Cor.* 6. *v.* 15. Denique roga Deum, ut gratiam tibi donet, amorem reddendi

pro

pro amore, quin te imposterum terreri ſinas ulla ex iis difficultatibus, quæ occurrunt, ad teporem tibi rurſus inducendum, quemadmodum ipſe nulla difficultate ſe vinci paſſus eſt, ut bene tibi faceret.

III. Conſidera *Utilitatem hujus doni*, ſacroſanctæ videlicet Evchariſtiæ. Appellatur idcirco Communio, ut nobis ſignificetur, quòd Evchariſtia communicet animæ omnia Jeſu Chriſti bona, adeò, ut immenſa illa ſumma Capitalis, quàm Jeſus Chriſtus in Vita & Morte ſua accumulavit, in hoc maximo Myſterio nobis applicentur, utpote in quo Dominus in ſingulari quolibet homine renovare vult effectus, quos Divina ipſius Paſſio in Mundo univerſo protulit. Hac ratione non ſolùm nobis oſtendit, quòd iterum pro nobis libentiſſimè pateretur, ut bene nobis faciat, ſed &, quòd ſibi ne ſufficere quidem videatur, in uno ſolùm Corpore pro nobis fuiſſe paſſum, cùm velit hoc ipſum Corpus centies millies identidem multiplicari, ut tantò ſæpius in noſtrum commodum ſe totum impendat. Ob eun-

eundem hunc finem, cùm ſuam nobis gratiam largiri poſſet per Creaturas, ùt in ſacris Myſteriis reliquis facere ſolet, eam in hoc propriîs ſuîs manibûs vult impertiri, ſuáque Ipſius præſentiâ mentem noſtram illuminat, cor noſtrum inflammat, malè ordinatas animi noſtri affectiones ſedat ac mitigat, ſenſus noſtros in ordinem redigit, quin & in hac præſenti corporis noſtri maſſa talia relinquit immortalitatis ſemina, quorum ope illud olim ad vitam debebit æternam reſurgere. O Deum itaque ſemper admirabilem in nobis amandis, & effundendis in nos beneficiis ſuis! Quid negare jam nobis poterit, poſtquam tanta jam nobis donavit? Et tu quid illi negare poteris? Si Deus vel ſemel duntaxat hunc in modum ſe donâſſet uni alicui ſupremorum Cœli Spirituum, is ſibi numquam ſatìs feciſſe crederet, etſi ex amore Dei ſui ſeſe totum redigeret in nihilum; & tu, qui toties illum recipis, ſatìs te præſtare exiſtimabis, ſi deſinas illum gravi & lethali aliquo peccato perfidè prodere? quin imò quan-

do-

doque ne ab hoc quidem abſtinebis? Hæccine eſt tua beneficiis reſpondendi ratio? Hæc tua gratiarum actio? Erubeſce ob miſeriam tuam: rubore ſuffundere, quòd exiguum adeò fructum à Divina hac menſa reportaveris, ac ſemper etiamnum idem remanſeris, ſemper ſuperbus, ſemper iracundus, ùt antè, ſemper mundanarum voluptatum & bonorum cupidus, quæ mundus hic tibi dare poteſt; propone, majorî in poſterum ſtudiô ad recipiendum divinum hoc Myſterium te præparare, ut magìs Deo placere, & majorem inde gratiarum copiam referre queas; illúmque roga, ut, poſtquam ingratæ mentis tuæ probrum tanto jam tempore pertulit, eam denique vincere ac triumphare velit, atque, cùm tot miracula faciat, ut fiat cibus tuus, nunc iſtud etiam cæteris adjungat, téque totum per conſtantem ac perſeverantem caritatem ad ſe convertat.



Me-

Meditatio Secunda

Pro Die Octava.

De Causis, ob quas Christus in horto sanguinem sudavit.

I.

COnsidera causas effectûs tam insoliti, qualis est, videre Dei Filium ex omni parte sacratissimi sui Corporis totum fluentem sanguine: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram. Luc. 22. v. 24.* Hæ causæ fuerunt potissimùm tres, Dolor, quem Christus habuit ob imminentia sibi mala, Dolor summus, quem Christus habuit ob peccata nostra, & prævisus ingratus noster animus. Prima igitur causa sudoris hujus extitit *Dolor, quem Christus habuit ob imminentia sibi mala.* Ex una quidem parte Christus perfectissimè cognoscebat ingens vitæ suæ Divinæ pretium, cujus momentum duntaxat unicum magis erat æstimandum, quàm creaturarum omnium possibilium vita. Ex altera verò parte distinctissimè videbat animo suo

ſuo propoſita omnia opprobria, tormenta omnia, omnia Paſſionis ſuæ acerbiſſimæ inſtrumenta, & flagella, & ſpinas, & clavos, & fel, & Crucem, verbô, totum illud vaſtiſſimum dolorum mare, quod paulò pòſt illum ſubmergere debebat in profundiſſimam malorum abyſſum; quis igitur capere unquam poterit, quem ſub id temporis conflictum ſuſtinere Servatoris noſtri cor debuerit? Maximè, cùm appetitus ipſius inferior eodem ſimul temtempore omnî fuerit ſolatiô privatus; & Chriſtus, ut dolores ſui eſſent puriſſimi, non permiſerit, ut memoria ſibi cauſas illas ſuggereret, quæ dolores ſuos lenire & aliquantùm mitigare poterant; eáque ratione in ſuprema parte animæ gaudium quodammodo ſuſpenderit, ne vel minima illius ſtilla in inferiores potentias redundaret. In hoc prælio, quod in Corde Servatoris noſtri accidit, Ille anticipatò jam ſuſtinuit tormenta Paſſionis ſuæ, & quidem ea paſſus eſt conjunctim ac ſimul, cùm in ipſa Paſſione ea duntaxat ſuſtinere ſingillatim debuerit; ac denique etiam

etiam illa sustinuit, quæ in ipsa Passione non amplius sentire potuit, nempe derelictionem Sanctissimæ Matris suæ post obitam mortem suam, & crudele vulnus illud, quo post mortem apertum est Latus ipsius. Tantorum itaque malorum horror, cùm Sanguinem omnem versùs Cor Jesu Christi impelleret, invenit inibi, velut in petra quadam fortissima, Caritatem ejus in Patrem cœlestem, & in nos homines, à qua cum summa generositate repulsus, è venis egressus, per totius sacratissimi corporis poros penetravit, & in terram usque defluxit. Quid jam dicis ad terrificum hoc spectaculum? Non sufficiunt Christo dolores illi, quos ipsi præparant inimici ipsius; vult ipse sibi anticipare pœnas ac tormenta sua; & ille, qui per solatia cœlestia, & prodigiis plena Martyribus dolores ac pœnas mitigaturus erat, eas sibímet ipsi immensùm vult exaugere, & amarum Passionis suæ calicem jam ante tempus bibere, quin illum sibi vel minimâ solatii stillâ temperari permittat. Annon in conspectu Sanguinis istius rubore

ſuffunditur mollities tua in imitando & redamando illo, qui tam profusè te amat, qui tanta patrat miracula, & tot inventiones excogitat, ut pati pro te poſſit? An tu in hanc uſque diem vel guttulam Sanguinis profudiſti, ut peccato reſiſteres? Potésne in poſterum nimiùm graves judicare quascunque afflictiones, quæ tolerandæ tibi erunt, ut conſtans in tuis propoſitis perſeveres? Si retro te verteris, & vivendi modum, quem nunc deteſtaris, rurſus amplexus fueris, debebis hunc Jeſu Chriſti Sanguinem, qui modò pro te funditur, pedibûs concuicare. Gratias age Chriſto Jeſu, quòd adeò ſit ſanguinis ſui prodigus ob tui amorem, eúmque ſicut aquam effundat; erubeſce, quòd hucusque in conſpectu Dei tui, tot pœnîs ac doloribûs pleni, non quæſiveris niſi delicias; & pete ab Illo guttulam Divini Liquoris illius in perfectum malorum tuorum remedium.

II. Conſidera ſecundam Sudoris iſtius prodigioſi cauſam, nempe *Dolorem, quem Chriſtus habuit ob peccata no-*

nostra. Etiam ista singillatim fuêre objecta divinis ipsius oculis; fuítque cor ipsius eodem simul tempore ab illis omnibus, velut à totidem serpentibus obrutum; unde & horror & dolor, quem inde concepit, major ac superior extitit omni alio, quem mortalium ullus aliquando sensit. Nam, si malitia unius duntaxat peccati est quodammodo immensa, quantam continebit malitiam abyssus iniquitatis hominum omnium, non præsentium modò, sed eorum etiam qui extiterunt, & deinceps adhuc existent? Et tamen ob omnes istas iniquitates doluit Christus juxta mensuram immensi amoris, quo in Patrem suum cœlestem ferebatur, quæ certè mensura ab omni creata mente comprehendi non potest; unde peccatum quodlibet instar lanceæ cujusdam erat, ipsius Cordi profundè infixæ, & vulnus illi infligebat multò crudelius, quàm fuerint cætera omnia, quæ videbat in corpore suo; erántque illi peccata nostra magìs intoleranda, quàm ipsa mors, cùm hanc ipsam elegerit, ut peccatum penitus destrueret, útque ingens hoc peccati

monſtrum ex Orbe univerſo eliminaret. Hujusmodi dolor alibi inveniri, aut locum habere non potuit, quàm in corde Chriſti Jeſu; quia mortales, quamdiu in hoc Mundo ſunt, non niſi imperfectè Magnitudinem ac Excellentiam Dei cognoſcunt, ac proinde non niſi imperfectè de illius injuriis dolere poſſunt; Beati autem in cœlo, licèt perfectè cognoſcant Magnitudinem Dei, non tamen ampliùs doloris alicujus ſunt capaces. At in Chriſto & cognitio Dei, & peccati dolor ſimul convenêre; nam ſecundùm animam fuit beatus, ſecundùm corpus verò paſſibilis; itaque ùt beatus incomprehenſibilem Dei Majeſtatem perfectè cognovit; ùt paſſibilis verò & Mortalis immensùm doluit, cùm illam videret à Creaturis ſuis adeò vilipenſam; atque idcirco converſus quodammodo eſt in immenſum doloris Oceanum: *Magna eſt velut mare, contritio tua. Thren. 2. v. 13.* Interea magnus hic omnium peccatorum cumulus torcular fuit, quod Cor & Membra omnia Redemptoris noſtri compreſſit, & ſanguinem ex omni parte pro-

profluere coëgit; vide igitur, quantam peccata tua partem habeant in gravi hoc Jesu Christi pondere; erubesce propterea coram illo, ob novum hoc onus & laborem, quem illi tuæ, quas prævidebat, iniquitates imposuêre. Quantum tu tibi voluptatis indulsisti, tantum illi doloris attulisti, & si minùs tu peccâsses, minùs ille fuisset passus. Gratias igitur ipsi millenas age pro amore, quo te admisit in sinum suum, téque fuit miseratus, miserationis licèt omnis tantopere indignum; precare illum insuper, ut, cùm ipse peccata tua sanguineîs defleverit lachrymîs, tibi saltem impertiatur gratiam, illa deflendi lachrymîs veri doloris, antequam veniat tempus, quo de illis es judicandus.

III. Considera tertiam sanguineæ hujus pluviæ causam, videlicet *prævisum ingratum nostrum animum.* Si mortales omnes amanti ac patienti Servatori nostro respondissent sincero ac pleno corde, dubium nobis superesse non posset, quin causam ille validissimam habuisset ingentis in suis doloribus solatii, nec sinè ratione dici potest, amarissimum Passionis Ejus Mare futu-

rum tunc illi fuiſſe mare lacteum; at quantam illi amaritudinem addidit præviſa innumera eorum multitudo, quibus ob ſuam ipſorum culpam hæc ipſa Paſſio futura erat inutilis, quibus profuſus illius Sanguis non erat ſerviturus, niſi ad ſcribendam contra illos ſententiam ſeveriſſimam! Quid ampliùs dici poteſt? Patitur & moritur Deus pro ſuis inimicis, quin illi tamen velint deſinere, æternas adversùs illum inimicitias gerere! Tantæ expenſæ ſunt in homines factæ; pro ipſis theſaurus divinus, è Servatoris venis profluens, eſt exhauſtus; pro ipſis in opprobriorum & dolorum diluvio ſuffocata eſt vita ipſius Dei; & nihilominus Medicina tam pretioſa innumerabili hominum multitudini, quæ damnanda olim eſt, ſit inutilis, & absque fructu; reliquis autem ſit minùs efficax, & cauſa teporis, quo divinis ejus auxiliis reſpondebunt! Quis intelligere, & capere poterit anguſtias, in quas conjectum eſt cor Jeſu ob dolorem iſtum, qui demum erat meriſſimus dolor, non permixtus, ùt dolores alii, cum aliquo bo-

bono Gloriæ, redundantis in Patrem ſuum, vel utilitatis, in nos homines promanantis? *Dixi: in vanum laboravi; ſinè cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi. Iſa.* 49. *v.* 4. in modum nempe miſeræ alicujus Matris, quæ poſtquam inter mille partûs dolores conatum & vires omnes exhauſit, denique prolem mortuam in lucem edit. Et in hoc ipſo conatu & labore quanta eſt illa pars, quam Servatori tuo tu ipſe addidiſti? Quisnam enim eſt fructus ille, quem hactenus ex illius doloribus tu percepiſti; cùm vix è ſalutari balneo, quod in ſacro Pœnitententiæ Myſterio tibi Ille ſuo ſanguine præparavit, egreſſus, quamprimum ad antiquas ſordes redîiſti, & conſuetîs te iniquitatibûs iterum inquinâſti? Omnia Jeſu Chriſti membra teſtimonia ſunt ipſius erga te caritatis, & tuæ erga illum ingratæ mentis; & idem ille Sanguis, qui ejus erga te amorem illis inſcribit, iisdem pariter inſcribit animum tuum, illi peſſimè reſpondentem. Et tu etiam pergere cogitas in hac vivendi methodo, illúmque offendere; aut adeò

languidè ſervire illi Domino, cui tantô támque immanî teneris debitô, ſanguinem ſaltem reddendi pro ſanguine? Rubore amariſſimo ſuffundere ob delicta præterita, & firmiſſimè in poſterum propone meliora; in ſatisfactionem teporis tui hunc ipſum Divinum Sanguinem, adeò fervidum, & tanto amore plenum offer, qui veluti Myrrha electa ſua ſponte, non expectato vulnere, ad te ſanandum profluit.

Examen

Pro Die Octava.

De Modo, quo te geris erga Deum.

I.

EXamina, *quomodo te geras erga Deum* in cogitationibus, verbis, operibus, & omiſſionibus. Eo fine è nihilo protractus es, ut Dominum adeò ſublimem honorares; eo fine conſervatus es omnî momentô, & eo fine tibi ſerviunt omnes creaturæ, cœleſtes

&

& terreſtres; unde, ſi tuum hoc debitum non exſolvis, non merereris exiſtere, ſed redire potiùs in abyſſum nihili tui. Itaque examina te *de cogitationibus.* 1. Quæ ſit exiſtimatio, quam habes de incomprehenſibili Majeſtate Dei, in cujus conſpectu creaturæ omnes, tam actu exiſtentes, quàm adhuc poſſibiles, ſunt quaſi non eſſent. 2. Quas gratias agas huic Domino pro beneficiis, quæ tibi contulit, & quæ adhuc conferre tibi conſtituit; & quanti æſtimes illorum pretium, ac numerum; & quantopere te propterea obſtrictum credas, ad ſerviendum illi, eúmque amandum. 3. Quomodo agnoſcas Divinam Providentiam in tuis neceſſitatibus, & eventibus aliis; aut an iſta excipias, veluti caſu ac fortuitò acciderent, aut ſolùm à perverſa hominum voluntate. 4. An tuum hunc Dominum duntaxat ames, cùm bona tibi temporaria ſuppeditat; ſic enim illum amares, ùt amas aliquem è ſervis tuis, quamdiu videlicet tibi eſt utilis; non verò ob infinitum meritum, propter quod amari debet.

II. Examina te *de Verbis*. 1. An in Ecclesia diutiùs loquaris, ac sinè necessitate. 2. An Dei nomen pronunties sinè consideratione, & multò magìs, an id adhibeas ad mendacia. 3. An preces tuas nimiùm deproperes, aut eas recites in loco evagationibus obnoxio, & situ non admodum decenti. 4. An abutaris S. Scripturæ verbîs ad jocos; aut eò temeritatis deveneris, ut velis etiam jocari de rebus fidei; velut in dubium revocari posset id, quod revelatum est à Deo, &, ùt fide certum, innumerabilium Martyrum sanguine, innumerabilium Miraculorum testimonio, innumerabilium Doctorum sapientiâ, & Nationum omnium consensu stabilitum est.

III. Examina te *de Operibus*. 1. An studeas dies festos sanctiùs agere majori aliquo pietatis exercitio; an invigiles, ut iidem sanctiùs etiam transigantur à personis tibi subjectis; an verò sis ex eorum numero, qui subditis suis imperant labores, diebûs festîs prohibitos. 2. An studeas diebûs festîs audire verbum Dei cum desiderio

ex

ex illo proficiendi, aut potiùs illud audias ex curiositate. 3. An debitam reverentiam templis tribuas, ac debitum Sacerdotibus ac Religiosis honorem exhibeas, utpote personis Deo consecratis. 4. An ad signum Salutationis Angelicæ flectas genua. 5. An mensæ tuæ benedictionem præmittas, ab eáque non nisi peractîs Christiano ritu gratiîs, quòd pascere te dignatus sit, recedas?

IV. Examina te *de Omissionibus*, 1. An rarò doleas de peccatis tuis, neque studeas satisfacere divinæ Justitiæ per actus internæ & externæ pœnitentiæ. 2. An omittas in tuis necessitatibus ac tentationibus ad Deum recurrere, velut neminem haberes, qui juvare te quamprimum possit. 3. An penitus obliviscaris Dei præsentiæ, itáque te geras, velut ipse te non videret. 4. An de prosperis rerum tuarum successibus gloriam illi non reddas, quasi non omne bonum ab illo tibi proveniret. 5. An divinis inspirationibus obedire negligas, quæ tamen sunt Dei voces, quarum unaquæque omni Jesu Christi Sanguine stetit; & quævis esse po-

poteſt principium ſalutis tuæ, ſi illam admittas, & occaſio damnationis tuæ, ſi illam negligas. 6. An vitam Chriſtiani non vivas, & omittas opera, ad Dei ſervitium pertinentia, ex mera ſocordia, aut etiam ob humanos reſpectus, magíſque tibi metuas ab hominum ſermonibus, quàm ab indignatione Dei. 7. An omittas, ſuis quandoque temporibus exercere actus aliquos Amoris Dei ſuper omnia; ejúſque amicitiam aliis bonis omnibus anteponere; ac deſiderare, ut per opera tua illi placeas, non propter teipſum, aut tuum commodum, ſed quia ipſe meretur infinitè amari propter ſuam Bonitatem infinitam; & ita mereretur amari, & omnium creaturarum obſequiîs coli, etiamſi per impoſſibile, utì loquimur, nobis boni aliquid conferre non vellet. Præceptum amandi Deum eſt præceptorum omnium primum; & illud negligere eſt omnium omiſſionum perniciosiſſima; & qui numquam ejusmodi actum amoris Dei ſuper omnia eliceret, ſalutem conſequi non poſſet.

Agnoſce errores & defectus tuos, quos

quos hac in parte commisisti; detestare illos, & exerce actus in aliis jam Examinibus indicatos.

Meditatio Tertia

Pro Die Octava.

De Negatione Sancti Petri.

I.

Considera, undénam provenerit formidandus ille lapsus Sancti Petri, tam fervidi paulò antè Discipuli Christi, dein verò perjuri, & in Magistrum suum blasphemi, ut ipsius lapsus tantò ampliùs te in bono confirmet. Primum S. Petro impulsum dedit *Superbia*, qua nimis magnam de seipso, & de priore fervore suo existimationem habuit; postmodum progressus est ad contemnendos omnes Discipulos cæteros, séque illis omnibus præferendum, cùm diceret: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Marc.* 14. *v.* 29. tandem eò progressus est, ut neque verborum Divini Magistri sui ratio-

tionem haberet, quibûs Ille hunc ei lapſum prædicebat, velut ipſius verba facta fuiſſent ventis: *At ille ampliùs loquebatur: & ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Ibid. v. 31.* Hæc ipſa ſuperbia illum movit, ut temere ſe exponeret labendi periculo; dum non ſolùm intravit in domum Pontificis, ſéque adjunxit turbæ militum, ſed etiam inter illos ad ignem commodè conſedit; quaſi nimirum ipſe dæmonem timere non deberet, ſed ipſe potiùs dæmoni terrorem poſſet ingerere. Quid igitur mirum, ſi turpiter adeò prolapſus eſt? quomodo poterat firmîs pedibûs conſiſtere ad tantæ præſumptionis impulſum? *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Prov. 16. v. 18.* Etiam S. Joannes in Caiphæ Palatium ingreſſus eſt; ſed quia ſuis ille viribus non fidebat, neque tanto ſe exponebat periculo; & quia locum in animo ſuo tantæ præſumptioni non fecerat, egreſſus eſt iterum, quin negaret Magiſtrum ſuum. Væ igitur tibi, ſi propoſita nitantur in virium tuarum fiducia! væ tibi, ſi agere

ve-

velis pro tuómet arbitrio, quin habeas rationem consiliorum aut admonitionum, ab animi tui arbitro, aut à tuis tibi Majoribus suggestarum! Væ, si excœcari te sinas à fumo superbiæ tuæ, téque magnum esse existimes, utì existimare te Mundus docet! Et quid reipsa te esse credis? Omnes gentes in conspectu Dei sunt juxta Isaiam quasi stilla situlæ; hanc tu modò stillam situlæ, vel aquæ guttulam in tot partes divide, quot jam fuerunt, sunt, & erunt homines, & quotquot præterea sunt possibiles; & illa pars guttulæ, quæ te in hac innumera hominum multitudine tangit, es tu in conspectu Dei; & huic guttulæ parti etiam respondent vires tuæ. Post factam hanc stillæ vel guttulæ divisionem superbos jam spiritus cape, si causam habes; sin verò nullam superbiendi causam, infinitas autem habes te demittendi in abyssum usque nihili, à nulla re alia timendum tibi magìs est, quàm à teipso; de nullo alio viliùs sentiendum tibi est, quàm de teipso; aliàs ultima tibi imminebit ruina: *Si non in timore Domini tene-*

nue-

nueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua. Eccli. 27. v. 4. Quoties igitur ingenti huic lapſui, huic ruinæ tuæ fuiſti vicinus, in quam ut incidere te ſinè remedio pateretur Deus, fuiſſes promeritus! Deteſtare proinde præteritam ſuperbiam tuam; recordare, quòd, niſi te humilies, ſicut parvulus, in Regnum cœlorum ingreſſurus non ſis; erubeſce, quòd, cùm tot tantáſque teipſum contemnendi cauſas habeas, nihilominus ab aliis tantopere velis æſtimari; & Jeſum Chriſtum ora, ut quemadmodum Divino aſpectu ſuo Diſcipuli ſui, poſtquam lapſus fuerat, cœcitatem illuminavit, ita nunc illuminet cœcitatem tuam, ne aliquando ad lapſum devenias.

II. Conſidera ſecundum impulſum, quem S. Petro dedit *Negligentia.* Iſta ipſius negligentia manifeſtè patet ex modo, quo Magiſtrum ſuum ſecutus, ex fine, quo ſecutus illum eſt, & ex effectibus. Modus ſequendi fuit, quòd illius veſtigia non proximè preſſerit; ſed longô pòſt intervallô: *Petrus verò ſequebatur à longè. Luc. 22. v. 54.*

No-

Noluit nempe Dominum omnino deſerere, nec tamen illum perfectè ſequi; ut videlicet Diſcipuli nomen & honorem retineret, nec tamen ſeipſum mortis periculo exponeret. Finis illius fuit, non ut Chriſtum comitaretur ad mortem, ſed cupido & deſiderium cognoſcendi tantæ rei exitum: *Ut videret finem. Matth.* 26. *v.* 58. Effectus fuêre omnimoda oblivio verborum Magiſtri ſui, & monitorum, quæ illi tum in cœnaculo, tum in horto dedit, ut nimirum ſibi ipſi invigilaret. Hæc porrò tam ſupina negligentia, quem alium finem habere potuit, quàm ruinam manifeſtam? *In pigritiis humiliabitur contignatio. Eccli.* 10. *v.* 18. Teipſum nunc inſpice, & examina cor tuum, interdum non minùs tibi ipſi, quàm aliis occultum; forſan hîc invenies omnes defectus iſtos. In peccandi occaſionibus quàm facilè oblivіſceris luminum illorum, quibûs oſtendit tibi Deus vilitatem voluptatum ac bonorum terrenorum? quin & oblivіſceris experientiæ propriæ, quam cepiſti toties, & deprehendiſti non eſſe, niſi menda-

cia ſemper ac falſa. Nonnulla peragis opera bona; ſed quis novit, annon illis admiſceas intentiones mundanas, ut videaris, ut plùs aliîs æſtimeris, ut te oſtentes; &, quod potiſſimum eſt, ſtare ſemper quæris velut in medio, neque totum te dare vis Deo, neque totum mundo; quæris identidem viam mediam, quæ non ſit via lata perditionis, neque ſit arcta ſalutis; verùm & tu Chriſtum quidem ſequi cuperes, ſed *à longè*, atque ita, ut nonnumquam etiam obſequi liceret malè ordinatis animi tui affectionibus. O infelicem & noxiam tibi negligentiam, ſi in cor tuum illam admittas, cùm eam potiùs deteſtari deberes, ùt meretur! Negligentia S. Petri notata fuit ab Evangeliſta per frigus temporis: *quia frigus erat. Joan.* 18. *v.* 18. Tua verò negligentia notari fors poterit per frigus aliud, videlicet mortis, in quo fieri poterit, ut numquam ampliùs calefias. Agnoſce igitur hanc lapſuum tuorum cauſam, ut propterea erubeſcas coram Magiſtro tuo Divino, & eam deplores, utì fecit S. Petrus; propone, vitam inchoare no-

novam, novo cum fervore, & ob rationes non nisi divinas, ut nempe Deo gloriam tribuas, tuámque salutem certam facias; & denique Servatorem tuum ora, ut, cùm à tua ipsius negligentia longè magìs timendus tibi sit impulsus ad lapsum, quàm à dæmonis viribus, ipse te tum ab his, tum ab illa liberare dignetur, magìs tamen adhuc à teipso, cùm tibi ipsi per voluntatem tuam propriam sis dæmon, omni alio dæmone pejor: *Ab homine iniquo & doloso eripe me. Psal. 42. v. 1.*

III. Considera impulsum ultimum, qui S. Petri lapsum promovit, nempe *Defectum Orationis.* Defectus iste originem traxit à superbia, & modò dicta negligentia; qui enim securum se credit, non petit auxilium. Et habuit nihilominus S. Petrus tot causas commendandi se Deo, tum quòd iteratò cum aliis Discipulis à Christo Jesu fuit monitus: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Marc. 14. v. 38.* nec minùs singillatim sit reprehensus: *Simon dormis?* tum etiam, quòd exemplô tam nobilî, quod illi

Servator in horto dedit, dum tribûs continuîs horîs orationem ſuam produxit, ad eandem fuerit animatus. Et tamen non ſuffecêre hi ſtimuli ad eum è ſomno teporis excitandum, ut tam facilî mediô uti vellet ad roborandam debilitatem ſuam. Vide igitur, quid ſit homo, quando cum Deo ſuo non ſe conjungit, ejusque gratiam non implorat! Diſcipulus ille, qui Magiſtrum ſuum tantopere amavit, & ab illo invicem tantopere eſt amatus; ille, cui Pater cœleſtis tanta cum luce Divinitatem Jeſu Chriſti revelavit; ille, qui tam generosè coram cæteris Diſcipulis eam confeſſus fuerat; ille, qui eandem Divinitatem in monte Thabor tanta cum claritate apparentem viderat; ille qui electus erat in lapidem fundamenti pro Sancta Chriſti Eccleſia, ille ipſe, non ligatus à militibus, non in examen vocatus à Judicibus, non flagellatus, non condemnatus ad mortem crucis, ſed interrogatus duntaxat ſimpliciter à vili muliercula, dicit, ſe Divinum ſuum Magiſtrum non nôſſe, ne quidem ùt hominem: *Non novi hominem*; & ulterìus

riùs in malo progreſſus, etiam in præſentia omnis illius lictorum & perditorum hominum turmæ ſtudiosè incipit jurare; útque mendacium ſuum tantò certius redderet & confirmaret, perjurio ſuo mille imprecationes adjungit. Et numquid hoc eſt, nemine propè impellente cadere? Huc autem devenitur, cùm intermittitur oratio, & imploratio divinæ gratiæ; huc, inquam, devenitur, ut deſeratur Deus ob cauſam adeò vilem, ut id vix fieri poſſe videatur; poſtquam verò eſt ille deſertus, pedetentim tam procul ab illo diſceditur, ab uno peccato progrediendo ad aliud, veluti ſi per fidem ne cognitus quidem aliquando Deus fuiſſet. Diſce ex his omnibus, ut numquam diſturbari te patiaris per impedimentum ullum ab oratione, & quærendo apud Deum auxilio: *Non impediaris orare ſemper. Eccli.* 18. *v.* 22. Nam aliàs dicterium unicum, verbulum unum, quivis mundanus reſpectus ſufficiet, ut omnium propoſitorum tuorum ſis immemor, & tergum obvertas illi Domino, qui tanta tibi contulit benefi-

cia, suúmque Sanguinem & Vitam suam pro te profudit. Multò magìs id ipsum sufficiet in hora mortis tuæ, cùm te Dæmon majori cum furore tentabit, túque majorî indigebis auxiliô. Protestare igitur, quòd omnis tua fiducia & nunc & tunc nitatur auxiliô Servatoris tui; quódque diutiùs stare nequeas, quàm ille te erectum conservet; propone, quòd in posterum diebûs singulîs Deo te velis commendare, ad obtinendam perseverantiam in bono usque ad vitæ finem, quàm de condigno, ùt ajunt scholæ, mereri numquam possumus; ac denique Deum roga, ut hunc orationis tibi spiritum concedat, quo, tanquam aurea clave, possis aperire thesauros Gratiæ Ipsius, indéque opportunè pro necessitate ditescere.

Meditatio Quarta

Pro Die Octava.

De Flagellatione Jesu Christi.

I.

CONsidera *Dolorem*, quem passus est Christus in crudeli hac carnifici-

ficina. Quàm immanis hujusmodi dolor fuerit, colligi aliquo modo poterit ex quatuor capitibus; nimirum ex teneritudine Corporis Jesu Christi; ex carnificum furore ac rabie; ex qualitate flagellorum; & ex ictuum ac verberum numero. Corpus Servatoris, utpote per prodigium efformatum, & ad finem adeò sublimem, nempe ut pro Instrumento serviret Animæ Christi, erat summè perfectum, atque adeò quàm tenerrimum, & acutissimi sensûs; erat insuper ob sudorem sanguineum & lethalem agoniam, quam in horto sustinuit, quàm maximè debilitatum. Carnifices non solùm erant ex natura & genio suo crudeles, sed insuper extrinsecùs instigati à Judæis, intrinsecùs verò à dæmone; vices quoque inter se mutabant seni ac seni ad numerum usque sexagesimum, ut revelatum est Sanctæ Magdalenæ de Pazzis. Flagella fuêre tum nervi bubuli durissimi, tum virgæ nodosæ, tum funes ferreîs armati stellulîs, ac uncinîs, qui corporis carnes ad ossa usque lacerabant. Denique plagarum & ictuum numerus

erat multorum millium, commenſuratus nempe quodammodo multitudini peccatorum noſtrorum. Quomodo jam hujusmodi ſpectaculô, miſeratione digniſſimô, non intimè commoveri, atque ad condoleſcendum flecti queas? Imaginare tibi, te quoque aſſiſtere coràm; vide, ut ictus ex omni parte circumquaque reſonent, & initiô totum ſacratiſſimum Corpus lividum reddant, dein cutem revellant, ac denique ita dilacerent, ut, dum plagas feriunt, & vulnera vulneribûs accumulant, ad ſingulos ictus aliquæ ſemper carnis illius virgineæ partes crudeliter avellantur, coſtæ ipſæ, multis in locis nulla jam carne veſtitæ, promineant, & circa columnam Sanguis copioſus ſtagnet. Ecce! quàm carô pretiô Jeſus Chriſtus ſalutem tuam comparaverit! Itaque ſi, poſtquam Ipſe tanta fecit ac pertulit pro ſalute tua, hanc tamen tu negligas, & æternùm pereas, juſta prorſus erit damnatio tua, nec habebis, quod conquereris, aut lamenteris. An necdum agnoſcis, quantô pretiô Redemptori tuo ſteterint voluptates illæ, quas in con-

contemptum divinæ Voluntatis illius captâsti? Quomodo igitur nunc etiam audebis vulnera vulneribus addere, ac iterum, iterúmque illum offendere? An audebis in conspectu tot vulnerum, tanti Sanguinis, tanti doloris Dei tui, in posterum quoque sensuum tuorum oblectationem, vetitam licèt, quærere, ut eam hactenus quæsivisti? Amaro jam rubore suffundere, dum vides, quantam in hac crudeli flagellatione tu partem habeas; Agnosce inter tot ictus, etiam illos, quos, humeris ejus inflixerunt peccata tua, quæ Ille singillatim clarissimè prævidit; & illa ipsa peccata, quæ Servatori tuo tantorum dolorum ac vulnerum causam præbuêre, millies detestare; admirare immensam Illius caritatem, qua in se recipere dignatus est supplicium, quod ipsius merebantur Mancipia, ut ipsis delictorum gratiam impetraret à cœlesti Patre suo; & eandem hanc caritatem ipsius, ac ipsum hunc illius Sanguinem illi offer in remedium tuum, & ab obtinendam gratiam, æternùm Illum ampliùs non offendendi.

II. Conſidera ſummam Chriſti *Ignominiam* in hac flagellatione, dum in præſentia tantæ militum multitudinis penitus denudatur, & infamis ac ſacrilegæ plebis illius riſibus expoſitus, à capite ad calcem virginali rubore perfunditur, tanto tamen cum ſui cordis cruciatu, ut de illo peculiariter, tanquam de ſingulari tormento, conqueratur per Prophetam: *Ipſi verò conſideraverunt, & conſpexerunt me. Pſal.* 21. *v.* 18. adeò, ut & Patrem ſuum cœleſtem in teſtimonium advocet, utpote qui, ſicuti ſolus infinitam Perſonæ, & ſacroſanctæ Humanitatis ſuæ dignitatem comprehendebat, ita ſolus etiam magnitudinem illatæ hujus injuriæ comprehendere poterat: *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam. Pſal.* 68. *v.* 20. Profectò talis hæc fuit ignominia, quæ, cùm enata ſit ex peccato, locum habere non debebat in Redemptore, qui ipſa fuit innocentia; nihilominus in ſeipſo eam admittere voluit, & ita quidem, ut pudore ac rubore à capite ad calcem uſque perfunderetur: *Confuſio faciei meæ coope-*

pe-

peruit me. Psal. 43. *v.* 16. tum, ut te liberaret ignominiâ pœnæ, tum ut tibi impetraret verecundiam salutis. Ignominia pœnæ erat illa, quæ te manebat coram Tribunali Divino, quando comparebis spoliatus gratiâ & omnibûs virtutum vestibûs nudatus, nisi Servator tuus per opprobria sua tibi impetrâsset, ut Ejus te meritîs involvere ac vestire posses. Verecundia verò salutis est illa, quæ gignitur ex vera sinceráque ingrati animi tui & iniquitatum tuarum agnitione; & hanc quoque obtinere tibi voluit Servator, dum amore tui ad pudendum adeò statum coram inverecundis spectantium oculis sese redigi passus est. Et tu ex tantorum sumptuum remedio in tuum commodum fructum aliquem percipere negliges? An erit possibile, ut superbia tua nunc saltem non discat, pudorem ac ruborem induere? An erit possibile, ut pigritia tua non denique statuat, omnî studiô faciendis bonis operibus incumbere, ut paulò pòst ante Tribunal Dei rite vestitus comparere queas? Erubesce ob præteritos defectus tuos, & negli-

gen-

gentiam ac ſocordiam tuam; & Deum roga, ut nimiæ huic ſocordiæ tuæ opponere dignetur nimium amorem ſuum, ut tandem aliquando cor tuum obtineat, & totum illud in ſuam poteſtatem redigat.

III. Conſidera *Amorem* Jeſu in hac dira flagellatione. O! ſi poſſes ingredi in Divinum illud Cor, quomodo Caritatis illius incendiô illico flagrares, & reducereris in cineres! Certè, ſi carnifices obtutum ſuum aliquo modo in corde illo figere potuiſſent, etiamſi marmorea illis corda fuiſſent, quamprimum in cineres abiîſſent, & abjectîs flagellîs ſupplices procidiſſent ad pedes illos Divinos, ad obtinendam inexplicabilis ſuæ temeritatis veniam. Excipiebat Servator omnes illos ictus tenerrimo cum affectu, ut illos Divinæ Juſtitiæ offerret ad ſatisfaciendum omnium inimicorum ſuorum debitis; dúmque ex omni parte fundebat Sanguinem, lætabatur, quòd ſuîs doloribûs tuam impediret damnationem. Ubi jam ſunt lamenta & querelæ tuæ ob leves quaſcunque moleſtias, quas te ab aliis per-

perpeti exiſtimas? ob levem quamcunque calamitatem, quam tibi Deus immittit? An audebis in poſterum has tuas querelas rationi conſentaneas judicare? Numquid juſtum & æquum eſt, ut ſervus malus, qualis es tu, patiatur aliquid ob delicta ſua, dum Univerſi Mundi Dominus ob illa ipſa delicta, quamvis non ſua, ſed tua, tam benigno & manſueto corde excepit crudelem adeò flagellationem, quæ conveniens aliquo modo foret illicitis omnium hominum voluptatibus? Erubeſce igitur ob nimis delicatum tui ipſius amorem, qui homini peccatori adeò non convenit; diſce hinc, quomodo deinceps habere debeas corpus tuum; & coram hac columna ſacrifica proprium amorem tuum, & renuntia commodatibus ac voluptatibus omnibus, quas tibi ille promittit in contemptum. & dedecus divinæ Legis. Roga denique Servatorem tuum, ut ad hanc ipſam columnam immobiliter alliget voluntatem tuam, ita, ut citiùs mori velis, quàm uti libertate tua ad quidvis aliud, præterquam ad illum amandum, illíque ſerviendum, ùt meretur.

Sacrorum Exercitiorum
Dies Nona.
Meditatio Prima.
De Cruce, à Chriſto Domino bajulata.

I.

COnſidera modum, quo Chriſtus Jeſus bajulavit Crucem ſuam, ut illum imitari queas, cùm ſinè Cruce ad Regnum Cœlorum perveniri non poſſit. Primò itaque bajulavit eam *Publicè*, ſub ipſam meridiem, per mediam Civitatem Jeroſolymam, civitatem alioqui populoſam, ſub illud verò tempus longè populoſiſſimam, ob multitudinem Judæorum, qui ab omni parte ad Paſcha celebrandum accurrebant. Progreditur cum illa Servator è Palatio Pilati, inter duos latrones medius, coronam ſpineam pro ignominia & majori ſupplicio geſtans in capite, conſvetisque ſuîs veſtibûs indutus, ut ab omnibus

bus faciliùs agnoſcatur. Præcedit Præco publicus, qui ad buccinæ ſonitum Ipſum proclamat Reum Mortis; ſtipatur militibûs & carnificibûs, qui illum raptant potiùs, quàm ducunt ad patibulum. Sequitur populus innumerabilis, præcipuè verò populi Primates, qui illius non modò non miſerentur, ſed & Illi inſultant. O ingens ſpectaculum in Angelorum oculis! videre Cœli terræque Regem, Vivorum ac Mortuorum Judicem, in cujus manibus ſunt ſortes omnium, cujus nutum expectant omnes Creaturæ, cujus ſententia ultimo Iudicii die præ horrore contremiſcere faciet mundum omnem, ligatîs modò poſt tergum manibûs, lachrymabundîs oculîs, & inclinato capite incedentem, hominis inſtar facinoroſi, ad mortem condemnati, ut vitam ponat pro peccatoribus, & iis potiſſimùm, qui tam crudeliter ac impiè Illum habebant! O grandem pariter coram hominibus ignominiam! eò redactum eſſe Dei Filium, ut illum omnes deridiculo habeant! *Omnes videntes me deriſerunt me. Pſal.* 21. *v.* 8. nec aliam illius

lius habeant rationem, quàm vermis, ac homuncionis adeò vilis, qui totius humani generis ſit opprobrium: *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis. ibid. v. 7.* Et hæc omnia ſtudioſè datáque operâ Chriſtus elegit, ut ſatisfaceret pro pudore illo peſſimo, quo interdum erubeſcis, bonus videri Chriſtianus, abrumpendo colloquium aliquod minùs licitum, accedendo frequentiùs ad menſam Evchariſticam, præbendo aliis virtutis exemplum, apertiùs conteſtando, Mundi leges iniquas ac Deo injurias eſſe. O maledictos hominum reſpectus, qui tam iniqui ſimul, ac toti Religioni Chriſtianæ ſunt ſummè noxii; qui Fideles eò reducunt, ut erubeſcant geſtare inſignia Redemptoris ſui! Prô! quantum commodi non referret brevî temporis ſpatiô, qui ſuis illos pedibus ſubſterneret! Et cur ſuis illos pedibus non ſubſternat, quisquis oculos ad cœlum tollit, ut diverſa conſideret judicia, quæ de rebus noſtris tum Deus, tum Mundus ferunt? Dum Chriſtus progrediebatur, veluti Reus

in

infamis, & condemnatus ad mortem, eodem ipso tempore Justitia & Misericordia Patris æterni infinitis sese honoribus affectas æstimabant. Ita, cùm derideri te contigerit ob virtutis exercitium, ob vitam ad Christi leges institutam, totum tibi cœlum applaudet; & æternam Gloriæ coronam tibi præparabit Deus: *Maledicent illi, & tu benedices. Psal.* 108. *v.* 28. Quid tibi videtur de hoc mutuo tam proficuo? Et nihilominus majorem toties habuisti rationem maledicentium tibi creaturarum, quàm bene tibi dicentis Dei! Amaro igitur pudore suffundere; & propone, Christianæ Legis Crucem publicè cum Christo bajulare, & potiùs erubescere deinceps, si contra Servatoris tui exempla egeris, & illum imitari neglexeris; & quoniam inimicus tuus est Mundus, Deum roga, ut vires tibi largiatur, contemnendi omnes illius sermones, omnia illius judicia, omnes illius contemptus, & eò demum pertingendi, ut nullum facias inter ipsius laudes & vituperia discrimen, atque adeò *Sicut Angelus Dei - nec benedi-*

ctionibûs, *nec maledictionibûs movearis.* 2. *Reg.* 14. *v.* 17.

II. Confidera, quòd Chriftus non folùm Crucem fuam portaverit Publicè, fed etiam *Generosè.* Perbene noverat grave illius ligni pondus, in quo Mundi totius iniquitates ferebat; perbene noverat virium fuarum debilitatem ob magnam profufi Sanguinis copiam, & internos externósque Humanitatis fuæ facratiffimæ dolores; abunde pariter intelligebat iniquitatem illius fententiæ, quæ Sanctum Sanctorum condemnaverat ad obeundam mortem facinorofi inftar hominis, & Latronum Coriphæi, in patibulum fuffixi; & nihilominus hoc ipfum Crucis patibulum amplectitur, ad pectus fuum apprimit, & intuetur velut altare, in quo vita fua fibi fit immolanda; intuetur illud velut Amoris fui thronum, ac inftrumentum Redemptionis noftræ, & deftructionis peccati. Huic tu magnánimitati jam compara modum illum, quo tuam tu crucem acceptas, ac bajulas; illud, inquam, quod agere ac pati te convenit, ut Legem Divinam acceptes. Primùm qui-

quidem viam omnem ſolicitè indagas, qua ſubterfugere id omne queas, quod corruptæ naturæ tuæ grave eſt ac difficile; dein verò id admittere coactus, toleras non modò cum impatientia, ſed & cum furore ac rabie. Unde ſatìs apparet, quòd non intelligas, quid rei ſit Crux Adverſitatis, ne nunc quidem, poſtquam ſuô illam exemplô ſacravit Dominus, eámque neceſſarium conſtituit medium intrandi ad Gloriam: *Per multas Tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Act. 14. v. 21.* Verùm oportet errorem deponere; ſinè Cruce nulla tibi ſalus eſt; ſinè ſuímet ipſius victoria, ſinè ſubactis pravis animi ſui affectionibus, nulla eſt corona. Statuta eſt hæc lex, in qua, ob delicatam tuam vivendi rationem, neutiquam patietur Deus aliquam fieri remiſſionem. Sed animos ſume; vires, ſi te deficiant, ſuppeditabit Deus; nam alioqui magnum adhuc ſuberit periculum, ne ſub onere corruas. Erubeſce, quòd hactenus opiniones commodis tuis tantopere contrarias foveris, & pœnitentiæ Crucem cum tuo ſimul

Duce bajulare nolueris, qui tamen te præcedit, ut comitem habeas; roga illum igitur, ut ſuâ gratiâ tuam roboret infirmitatem, cùm fixum tibi ſit ac ſtatutum, Illum ad Calvariæ montem usque ſubſequi, & Illius inſiſtere veſtigiis, quæ ſacerrimo ſuo ſanguine conſperſa reliquit, dum denique cum illo moriaris in obedientia, & mandatorum ipſius obſervatione continua.

III. Conſidera, quòd Chriſtus Crucem ſuam non modò publicè ac generosè bajulaverit, ſed etiam *Perſeveranter*. Dum in laborioſo hoc plùs mille trecentorum paſſuum itinere à Prætorio ad Calvarium per Montis declivitatem ſuîs humerîs Crucem Servator bajulabat, ejúsque extremitate verrebat humum, ad ſingulos propemodum paſſus ceſpitabat, atque ita non modò ſuos identidem renovabat dolores, ſed interdum etiam ſub onere concidebat; unde, cùm metuerent carnifices ac Judæi, ne in via moreretur, antequam eum crucifigerent, Illi nonnihil ſublevando, Simonem Cyrenæum ad ſubeundum Crucis onus adegerunt. Adver-

verte igitur, quòd, utì ex parte inimicorum Chriſti levamen hoc non erat commiſerationis, ſed crudelitatis effectus, ita ex parte Servatoris noſtri non fuerit aliquod in ferenda cruce tædium, non aliqua de impoſito ſibi nimio pondere querela, non aliquod Crucis ab humeris projiciendæ deſiderium, ſed ſingulare Myſterium, quo ſignificare nobis voluit, quòd Electos ſuos omnes ſuæ quoque Crucis velit participes facere; quódque, ſicuti Simoni huic Cyrenæo, quia Chriſti Crucem, quamvis invitus ac reluctando, portaverat, millena tamen obtigêre bona; ita & illi, qui imitari Chriſtum voluerit, omnia pariter ſint proſpere ſucceſſura. De reliquo vides, paratum eſſe Chriſtum ad bajulandam Crucem ſuam, etiamſi ſub illa frequentiùs concidat, etiamſi ſub illius pondere ſit etiam ſibi moriendum; quin tamen interim vel voculam, doloris indicem, proferat, aut unicô ſuſpiriô miſerationem ullam imploret. O quàm malè hactenus hanc tu veritatem intellexiſti! Vix boni aliquid agere incipis, cùm levi quolibet occurrente

obſtaculo, iterum deſiſtis. Sufficit aliqua triſtitia, ſufficit levis tentatio, ſufficit interdum dimidia jocantis vocula, ut à recta, quam ire cœpiſti, ſemita revoceris. Et hæc tua ſit perſeverantia? Sic reſpondes tanto ac tam profuſo in te amori, quo ſervare te Deus cupit? Siccine te ſimilem reddis Capiti tuo, quod Chriſtus eſt, in cujus denique ſimilitudine bonum tuum omne conſiſtit? Dole, ac erubeſce de ignorantiis tuis; gratias age Deo tuo, quòd à malitia tua ſe vinci non ſinat; Eúmque roga, ut impertiatur tibi gratiam, Illum ad mortem usque ſequendi per Chriſtianæ caſtigationis ac pœnitentiæ Crucem, cùm ille, qui hac eum ratione non ſequitur, dignus Illo non ſit: *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth.* 10. *v.* 38.



Me-

Meditatio Secunda
Pro Die Nona.
De Chriſto Jeſu in Cruce pendente.

I.

COnſidera, quòd Chriſtus, in altum ſublevatus ad omnium conſpectum, ſit, ùt ipſus de ſe dixit, inſtar ſerpentis æneï, olim in Deſerto exaltati, ut nos omnes ſanet à vulneribus ac veneno non Serpentium, ſed peccatorum. Intuere illum igitur attentè, & primum obtutum defige in Ejus *ſacratiſſimum Corpus*, quod undique vulneratum, tot plagîs lacerum, transfixum manibûs ac pedibûs, quæ ſunt partes ob omnium nervorum, venarum omnium, & omnium arteriarum concurſum adeò delicatæ, perforatum plùs ſeptuaginta ſpinîs in capite, nudum, vilipenſum, contumeliîs affectum ab inimicis, oculîs à fletu madentibûs, facie pallore ſuffuſa, Sanguine undequaque defluente, ſinè ulla refocillatione, ſinè ullo ſola-

tio, atque in ſtatu tam miſerando, qualem nullus unquam hominum expertus eſt, dolore ac pondere ſacrorum ſuorum Membrorum identidem increſcente, paulatim emoritur. Tu, qui ne minimam quidem acûs punctionem ſinè magna tui miſeratione ſuſtinere vales, quomodo non miſeraris Servatorem tuum, quem ſuus in ingratos amor ad miſerandum adeò ſtatum redegit? Si videres mancipium aliquod, milleſima ſolùm ſuppliciorum iſtorum parte ob ſua ſcelera punitum, colliqueſceres animô, & commiſerationem ſentires; quin miſerareris adeò, ſi vel canem hæc pati videres; jam verò totus es induratus, dum ipſe Deus, naturâ humanâ indutus, interiorum & exteriorum dolorum abyſſo immerſus, langueſcit ac emoritur, ſolùm ideo, ut Divino ſuo Sanguine omnibus animæ tuæ malis ſalubre balneum apparet, æternum illi ignem extinguat, eíque æternam bonorum omnium poſſeſſionem acquirat. An erit igitur poſſibile, ut hæc omnia fide Divina credas, & nihilominus in Divino ſervitio frigidus perſiſtas, & ob le-

levem quemlibet laborem, quem ex amore Dei tui complecti te oporteret, afficiaris tædiô? Si non eſt dolor ſimilis dolori illius, non erit pariter duritia ſimilis duritiæ tuæ, niſi nunc ſaltem reſipiſcas. Nunc quidem hæc tua duritia, monſtroſa tibi non videtur; ſed quando apparebis coram Divino Tribunali, eáque tibi talis exhibebitur, qualis illa revera eſt, ſtabis attonitus, atque pro excuſatione tua nec os aperire poteris. Si per ſummam tuam miſeriam damnandus eris, hæc cogitatio, clavi inſtar, perpetuò infixa hærebit cordi tuo: Tanta pro me Chriſtus egit, ut me ſervaret, & ego ſum perditus ac damnatus! Itaque vel nunc utiliter erubeſce, & roga veniam, quòd tanto cum frigore & ingratæ mentis vitio immenſæ huic Dei tui Caritati reſponderis; fatere, quòd præter Ipſum nemo alius fuerit capax amandi, tantáque beneficiorum copiâ cumulandi miſeram creaturam, qualis es tu. Exopta tibi omnium Angelorum, & Sanctorum omnium Amorem, ut eo culpam tuam reſarcire valeas. Offer Il-

li ſuum ipſius amorem, qui ſolus eſt Illo dignus; Eúmque roga, ut cor tuum emolliat illâ Sanguinis ſui pluviâ, qua vel ipſam adeò terram humectavit.

II. Conſidera per alterum amoris obtutum *Sacratiſſimum Cor* Jeſu Crucifixi, & profundè in immenſam illam Caritatis fornacem penetra, quæ non modò tantos inter dolores extincta non eſt, ſed majores identidem in flammas exarſit. Vox illa, qua dicit: *Sitio*, non ſolùm indicat, quòd ſitî laboret ob effuſum jam omnem propè ſanguinem, ſed vult inſuper ſignificare, quòd inſatiabilem patiatur ſitim patiendi plura pro anima tua, adeò, ut, ſi Patri ſuo cœleſti placeret, paratus eſſet, non tribûs duntaxat horîs, ſed ad Mundi finem uſque in ſua Cruce pendere. Adverte igitur, quòd debitorum tuorum, apud Jeſum Chriſtum contractorum, ſumma non ſolùm ſit maxima ob mortem unicam, & Paſſionem tantùm unam, ſed ob totidem Paſſiones, ob totidem Mortes, quot Ille inexplicabilî ſuô deſideriô ſuſtinere pro te cupiebat. Compara jam hanc

hanc divini Cordis amplitudinem cum tuis illis angustiis, quibûs dimetiris, ac solicitè distinguis inter ea, quæ tibi ex præcepto divino, & ea, quæ solùm ex consilio sunt facienda, quasi timeres, ne Dei causâ nimium aliquid præstes. Quî fieri poterit, ut Jesus Christus tantô pretiô tuum sibi amorem emat, & nihilominus illum obtinere non possit, adeò, ut, licèt leve quodlibet incommodum, quod in tui gratiam alii subeunt, tuo cordi lucrando sufficiat, idipsum tamen lucrari nequeat tantorum dolorum copia, támque profusus Dei Filii amor, ut moriatur cum desiderio pluris adhuc pro te fundendi Sanguinis, & plures, in tuum commodum, ponendi vitas? Si mortuus Ille fuisset ex mera lætitia, quadam tamen necessitate coactus esse deberes, ut pro tanto Illi beneficio responderes; nunc verò dum moritur dolorum inexplicabilium vî, dúmque in suis doloribus nil dolet magìs, quàm quòd illi non durent diutiùs, arbitraberis, te facere satìs, si denuo Illum non crucifigas, vulnera non refrices, & clavos Illi non infigas fortiùs

per

per novum aliquod lethale peccatum, imò ne id quidem aſſequaris, prô dolor! ut à lethali peccato abſtineas? Amaro igitur pudore ſuffundere ob præteritam vitam tuam, & illius veniam corde ſincero flagita; teipſum Illi ad pedem Crucis offer, & tuam Illi libertatem integre dona. Deſidera millena corda, ut illîs omnibûs ingratum tuum animum deteſteris, & duos lachrymarum fontes, quos cum Sanguine Servatoris tui permiſceas; ac denique Deum roga, ut vitam tibi auferat, ſi eam totam forſitan victurus Illi non eſſes, qui mortem pro te ſuſtinuit, juxta legem ab Apoſtolo promulgatam: *Qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. 2. Cor. 5. v. 15.*

III. Conſidera miſerandum Jeſu Chriſti, è Cruce pendentis, ſtatum, ac tertium obtutum conjice *in Sacratiſſimam Illius Animam*; quæ ob immenſos, quos interiùs patitur, dolores in quodam Cruciatuum Oceano eſt ſubmerſa. Dolores externi, quos Servator noſter eſt paſſus, ab inimicorum ipſius

ipſius odio provenerunt; interni verò ſuam originem habuêre ab ipſius Chriſti Domini erga nos Caritate; ac proinde, quantùm iſta Carnificum ſuorum rabiem ſuperavit, tantò major fuit etiam internus hic animæ Cruciatus, præquam fuerit cruciatus corporis exterior. Interna igitur hæc amarities enormis adeò fuit, ut de illa ſola inter omnes dolores alios apud Patrem ſuum cœleſtem ſuaviter conqueſtus ſit Servator noſter per illa verba: *Deus meus! Deus meus! ùt quid dereliquiſti me? Matth.* 27. *v.* 46. quibûs oſtendit, quòd Pater ipſius cœleſtis erga ſuam Humanitatem ita ſe geſſerit, velut eam penitus deſeruiſſet, illámque ſolùm ideo conſervaret, ne tam citò moreretur, ſed diutiùs in tormentis ſuis perduraret. Hinc Eum ibi Patrem appellare noluit, ſed tantummodo Deum, ut nobis indicaret, quòd eo tempore Pater ſe Illi exhibuerit velut extraneum, imò velut adverſarium, cùm vires duntaxat inſtauraret ad perferenda plura. Quantum igitur hoc eſt prodigium, quòd, cùm Dominus Jeſus ſuos ſibi dolores red-

reddere potuiſſet dulces, ùt eos poſtmodum tot Martyribus dulces reddidit, ſuorum tamen cruciatuum calicem bibere voluerit omnino purum, in ſummo tam cœleſtis, quàm terreni ſolatii defectu; quòdque, cùm levi moleſtia mille potuiſſet Mundos redimere, tot modos tamen invenire voluerit, in abyſſum pœnarum ſe profundiùs identidem demergendi! Hæc omnia fecit, ut vivaciùs intelligeres amorem, quem Deo debes, & odium, quod debes peccato; atque dum Chriſtus ſeipſum veluti perdidit, ut perderet peccatum, & amore Patris ſui vitam profudit infiniti pretii, incomprehenſibilî pœnarum abyſsô ſubmerſam, apertè conſtaret omnibus, quòd Divina Voluntas aliis bonis omnibus ſit præferenda, & quòd offendere Majeſtatem illam infinitam ſit malum longè majus, quàm ipſius Incarnati Dei mors ſummè dolorifera, utpote quam ipſémet in tanti mali remedium elegit. Tu interea quem hauſiſti profectum è cœleſtibus doctrinis iſtis? Forſitan ab odio peccati & amore Dei tantopere diſtas, ut ne pri-

prima quidem elementa in divini amoris ſchola didiceris. Vah! ſummum probrum! Verbum Incarnatum ſe totum exſpoliat, & velut in nihilum ſe redigit, ut in ſua Cruce veritates iſtas, quæ vel manibûs palpari poſſunt, apertè tibi demonſtret; & illæ tamen adeò parùm à te cognoſcuntur! Quid dîces igitur, cùm ante divinum conſpectum veneris tantîs onuſtus iniquitatibûs? An dices, non crediðiſſe te, quòd grande adeò malum ſit peccatum? At numquid Increata Sapientia ſummè infame & maximè doloriferum ex omnibus mortis generibus elegiſſet ac pertuliſſet, ut tolleret nullius momenti malum? An vero ſimile tibi videtur, id potuiſſe fieri? Erubeſce ob monſtroſam hanc tuam ignorantiam, cui locum dediſti hactenus; firmiter perſuaſum habe, quòd lethale peccatum, à te fors iterum admittendum, futurum ſit malum magis deplorandum, quàm tota Jeſu Chriſti Paſſio foret, ſi renovari ſinè peccato poſſet; Obſtupeſce témet ipſum, quòd hucusque biberis iniquitatem ſine ulla formidine; propone, quòd

quòd Montem Calvariæ habere impoſterum velis pro ſchola tua, ut deinceps ad hujusmodi peccata non redeas; ac denique Deum tuum ora, ut, cùm animam tuam damnatis Angelis omnibus præhabuerit, numerô licèt adeò multis, & natura tam nobilibus, quíque illum, ſi eos redemiſſet, adeò ferventer fuiſſent amaturi, gratiam tibi largiatur, ut Ejus amorem & obſequium omnibus terræ ac cœli bonis ſemper præhabeas.

Examen

Pro Die Nona.

De Devotione erga Sanctiſſimam Virginem.

I.

EXamina, quam habeas de Devotione hac *exiſtimationem.* Communis eſt opinio, hanc ingens eſſe Prædeſtinationis æternæ ſignum; ac proinde quantùm tibi cordi eſt ſecuritas æternæ ſalutis tuæ, tantundem tibi cordi debebit eſſe, ut veris Mariæ ſervis annumereris.

II. Examina Devotionis iſtius *perfectionem præcipuam*, quæ eſt ſumma quædam exiſtimatio Meritorum Magnæ hujus Virginis, quibûs omnium ſeſe Fidelium amoribûs & obſequiîs digniſſimam reddidit. Illa enim, quemadmodum absque ulla comparatione Sanctos ſimul omnes longiſſimè ſuperat Dignitate Matris Dei; ita & gratia & virtutibus, atque adeò cœleſti quoque gloria eos omnes plurimùm antecellit, & propterea pulchra dicitur inſtar cœli: *Decora ſicut Jeruſalem. Cant. 6. v.* 3. quia ſumma cum excellentia Beatorum omnia decora in ſe una continet; licèt enim ipſa ſit pars Ecclèſiæ, ita tamen eſt pars Eccleſiæ, utì Cœlum eſt pars univerſi mundi; videlicet pars ſinè comparatione major toto reliquo.

III. Examina Devotionis iſtius *Perfectionem accidentalem*, ùt loquuntur ſcholæ, magnopere tamen æſtimandam; videlicet quamdam animi & amoris teneritudinem erga Divinam hanc Matrem, quæ & nobis à Deo in Matrem noſtram donata eſt. Sancti præcipuô

puô ſemper ſtudiô in hoc amoris erga Virginem ſacerrimam exercitio fuêre celebres ; & confert hic amor quamplurimum, ut ab Eadem exaudiamur.

IV. Examina, *quàm frequenter confugias* ad Matrem hanc Sanctiſſimam. Sancta Eccleſia ſæpe illam invocat in Officio Divino ; ac ter quotidie, manè nimirum, ſub meridiem, ac veſperi, publicô campanæ ſignô ad ſalutandam Angeli verbîs Divinam Matrem, Eíque nos commendandos hortatur & invitat Fideles omnes; unáque nos docet, nullum alicujus momenti negotium aggredi, quin priùs ad Magnam hanc Patronam recurramus.

V. Examina *fiduciam*, qua Virgini Sanctiſſimæ te commendas. Hæc omnium Dei donorum eſt Theſauraria, cujus Ille manibûs ac officiô in diſpenſandis ſuis muneribus utitur; & vera in illam fiducia theſaurorum iſtorum eſt clavis.

VI. Examina, *quæ obſequia præſtes* honoribus hujus Magnæ Cœlorum Reginæ. Sancti omnes in honoranda

da magna iſthac Domina, poſtquam Verbum Incarnatum Illi ſe ſubjicere ac obedire dignatum eſt, totîs viribûs concertârunt. Obſequia porrò illi gratiora ſunt duplicis potiſſimùm generis; alia ſunt, quæ fiunt, dum amore hujus Virginis nos ipſos privamus oblectatione aliqua, etiam licita; alia, dum amore ejusdem Virginis abſtinemus ab opere aliquo malo, ſive à peccato; hunc etenim in finem, ùt ipſe Dominus Divæ Catharinæ Senenſi ſignificavit, tam efficacem Deus reddidit Matris ſuæ interceſſionem, ut illâ uteretur, velut eſcâ dulciſſimâ ad capiendos, atque ad cœlum adducendos peccatores.

Annotationes

Pro eo tempore, quod in Exercitiis tribuitur Viæ Unitivæ.

POſt ſublata obſtacula, videlicet peccata, & introductas diſpoſitiones per imitationem Virtutum Jeſu Chriſti, aliud jam non ſupereſt, quàm ut ignis ille beatus, Caritatis nimirum perfe-

ctiſſimæ, ultimus ille terminus, ad quem perducunt ſacra Exercitia, in cordibus noſtris accendatur. Id obtinetur per Meditationes ſequentes, quæ ad viam, ùt Magiſtri Spiritûs appellant, Unitivam pertinent, quarum ope per amorem unus idémque cum Deo ſpiritus efficimur, utì nos docet Apoſtolus: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt* cum eo. 1. *Cor.* 6. *v.* 17. Itaque magìs quàm aliàs unquam augeri debet attentio in híſce Meditationibus, ut tam grande donum obtineatur, quale eſt conjungi Deo, & in illum quodammodo transformari per memoriam, ut illius identidem reminiſcamur; per intellectum, ut magna cum claritate illum agnoſcamus, & altiſſimam de Illius perfectionibus, & amore, quo in nos fertur, ideam animô concipiamus; per voluntatem, ut Illi infinita Ipſius Bona gratulemur, in rebus omnibus illi uni placere deſideremus, & ex puro Ipſius amore omne peccati genus abhorreamus, cúmque ſanctiſſima Ipſius voluntate conſpiremus. Hunc in finem magna cum diligentia obſervabis Annota-

ta-

tationes, jam aliàs per Exercitiorum iſtorum decurſum tibi propoſitas ; & inſuper adjunges illas, quæ huic tempori magìs propriæ ſunt, & accommodatæ.

I. Quamprimum evigilaveris, ſtudebis eorum excitare memoriam, quæ movere te queant ad lætitiam ſpiritûs, & conveniant Myſteriis illis, quæ in Meditationis materiam ſunt aſſumenda.

II. In cubiculo tuo luce magìs aperta, cœlíque aſpectu frueris, omníque eo, quod tuum poterit excitare ſpiritum ad gratulandum Jeſu Chriſto Reſurgenti, ac tibímet ipſi ob ſpem aliquando cum Ipſo reſurgendi, illum amandi, illóque perfruendi per omnem æternitatem in cœlo.

III. Auſteritatem pœnitentiarum, & afflictationum corporis, commuta in magìs accuratam victûs temperantiam; niſi fors eodem tempore jejunium incidat ; tunc enim temperantiam mutare debebis in abſtinentiam.

Meditatio Tertia

Pro Die Nona.

De Resurrectione Jesu Christi.

I.

Considera, quòd, cùm nos hortetur Propheta, ut cum Resurgente Domino lætemur, oporteat nos cumprimis *gratulari Christo Jesu*, qui beata illa die, adeò sibi propitia, cum immenso fœnore recuperavit illa omnia, quæ antè perdiderat in Passione sua. Perdiderat autem quatuor potissimùm bona, Gaudium videlicet, Venustatem, Honorem, & Vitam. Jam verò dum resurrexit, recuperavit Vitam suam; sed qualénam vitæ genus? Vitam immortalem, vitam, quæ devicit & occidit mortem, eámque vel moriendo triumphavit. Recuperavit suum honorem, dum Is ipse, qui paulò antè non habebatur pro homine, sed pedibûs conculcabatur, ùt vermis, modò comparet, & regnare incipit, ùt Deus. Recuperavit Gaudium, dum ru-

ruptîs aggeribûs, qui amœnum illum Pacis Oceanum in ſuperiore animæ parte continuerant, totus alveus, annîs triginta quatuor ſuſpenſus, ſe ad inundandas inferiores potentias & membra Servatoris effudit. Recuperavit denique venuſtatem, quia gratia & Majeſtas Corporis Jeſu Chriſti tam eſt excellens, ut ea in cœlis ſumma ſenſuum noſtrorum ſit futura beatitudo, & omnino ſuffectura ad faciendum illis Paradiſum, in quo per cuncta futura ſecula ſinè ſatietatis faſtidio ſeſe oblectare queant. Imaginare tibi Solem adeò lucidum, ut ſuîs ſplendoribûs centies millies mille Soles diſparere cogat, utì hodie Sol noſter ſtellas omnes cogit diſparere. Sol tamen adeò lucidus, glorioſo Jeſu Chriſti Corpori comparatus, non foret niſi carbo; illud enim ſuo lumine ſplendorem illum omnem abſorbebit, quo glorioſa Sanctorum Corpora, multorum millionum numerum excedentia, convêſtientur; quamvis & illa Solis noſtri materialis lucem ſepties omnino ſuperabunt. Hæc igitur eſt venuſtas, & pulchritudo il-

la, quàm Jeſus Chriſtus olim inſtanter adeò à Patre ſuo petiit ante Paſſionem ſuam: *Clarifica me tu, Pater, - - claritate, quam habui, priusquam Mundus eſſet, apud te. Joan.* 17. *v.* 5. ubi nimirum petiit, ut gloria ſuæ Divinitatis ſe extenderet etiam ad reddendam ſuæ quoque Humanitati gloriam; ſinè qua venuſtate ac gloria videtur, neque Homo Beatus ſatis contentus fore, cùm ſuperſit etiamnum aliquid, quod deſiderare poſſit ad complenda penitus inferiorum potentiarum ſuarum deſideria, quæ, cùm Deum videre non posſint, Jeſu Chriſti gloriâ ſatiabuntur: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Pſal.* 16. *v.* 15. Et tu veritates iſtas conſiderare poteris, quin abundes gaudiô propter ſummam illam felicitatem, ad quam pertigiſſe Dominum tuum vides, non ſolùm ſecundùm animam, ſed & ſecundùm ſanctiſſimum ejus corpus? Si ita ſe res haberet, malum id omen tibi foret, vel exigui, vel nullius erga Illum amoris; & quòd Ille ſit tibi velut extraneus, cùm nullam habeas tum gloriæ, tum ſolatiorum Ipſius partem.

At

At econtra quàm nobilis hæc foret tui cordis occupatio, si hanc amoris flammam in illo scires accendere, qua beatitudinem Jesu Christi tuam reputares, & magìs de Illius felicitate gauderes, quàm si foret felicitas tua propria! Nostrum hoc de sua felicitate gaudium tam Deo gratum est, ac si bonum illud, de quo illi gratulamur, nos illi elargiti fuissemus; quin & quodammodo videtur arbitrari Deus, nos Illi toties de novo conferre bonum illud, quoties de novo illo bono novum animô gaudium capimus. Erubesce igitur de præterito tuo languore, & gratulare Servatori tuo immensum bonum illud, quod in Eo vides; Eúmque roga, ut peccato moriendi gratiam tibi largiatur, ut invicem Ipse in corde tuo vivere & regnare perpetuò possit, tu verò pertingere aliquando valeas ad perfectam illam beatitudinem, de qua dici possit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc.* 10. *v.* 23.

II. Considera, quòd secundô locô oporteat *gratulari Sanctissimæ Virgini*, quæ, cùm à Divino suo Filio mox

fuerit viſitata, tantô eſt illico repleta ſolatiô, quantus paulò antè fuerat ipſius dolor. Dolores ipſius æquales fuêre cognitioni, quam habebat de infinita Dignitate Verbi Incarnati, & amori, quo ferebatur in illud, ùt Deum ſimul, & ſimul Viſcerum ſuorum partum; ac proinde cùm magìs illum cognoverit, ac plùs amaverit, quàm omnes in cœlo Angeli, oportet profectò dicere, quòd in Filii ſui Paſſione plùs ipſa fuerit paſſa, quàm paſſæ ſint omnes in toto Orbe Creaturæ, & quòd illius triſtitiæ alia ſimilis in mundo nulla fuerit, quæ poſſet cum illa comparari, præter ſolam triſtitiam, quam Chriſtus ipſe ſuſtinuit. Sed O! quàm ſubitò luctus & dolor hic omnis in gaudium abîit, dum illa Divini ſui Filii membra, paulò antè tam lacera, ſqualida, ac deformata, nunc videt luce Divina coruſcantia! Ut igitur & in anima & in corpore eſt roborata, ut par eſſet ferendo tanto gaudio, accurrit illico, ut ad filii ſui pedes ſe proſterneret, Eúmque adoraret; at ipſe id prohibuit, illámque ſuo lateri admovit, ideo ſingulariter aperto, ut eam in inti-

tima ſua admitteret, eíque locum in Divino ſuo corde præberet. Quis intellectus comprehendere poterit, quid actum ibi fuerit, quàm teneri amoris affectus illam inter & Chriſtum, ejusmodi Matrem inter & ejusmodi Filium, exarſerint? Si tantæ felicitatis occaſione Sanctiſſimæ Virgini gratulari neſcis, indignum te demonſtras, qui ſub ejus pallium admittaris, & ſi illa te ſub pallium ſuum non admittat, quæ tibi ſalutis tuæ ſpes ſupererit, cùm illa ſit Miſericordiæ Mater, & per ejus manus in nos tranſeant omnes gratiæ; volueríque Deus, ut illius preces ſint illi lex adhibendæ clementiæ: *Lex clementiæ in lingua ejus. Prov.* 31. *v.* 26. Igitur ſeriò & ex animo gratulare huic magnæ cœli terræque Dominæ; propone, data occaſione teipſum illius amore vincere, ut ejus protectionem promerearis; adverte, quænam inſuper obſequia deinceps illi præſtare queas, & roga illam, ut in Servorum ſuorum numerum te recipiat, tibíque impetret, ut æternùm in cœlis lætari cum ipſa valeas.

III.

III. Conſidera, quòd tertiô locô deceat nos *gratulari noſtrómet Corpori.* Ita nos amavit Servator noſter, ut beatus eſſe noluerit, niſi & nos eſſemus beati, non modò ſecundùm animam, ſed & ſecundùm Corpus; unde voluit, ut ipſa membra noſtra de morte triumpharent, & ad vitam ſempiterna cum gloria redirent; & hoc vitæ genus per ſua nobis vulnera promeruit, juxta titulum ſibi datum à Propheta: *Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Iſa. 9. v. 6.* Quin etiam non voluit tantùm ſervire nobis ad promerendam Reſurrectionem noſtram; ſed voluit inſuper ſervire nobis in Archetypum & exemplar, adeò ut corpus noſtrum reſuſcitatum magnam ſit habiturum cum Divino hoc Archetypo ſimilitudinem; *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum Corpori claritatis ſuæ. Phil. 3. v. 21.* O admirandas Servatoris noſtri inventiones, ut bene nobis faciat! An ulteriùs potuiſſet nos amando progredi, ſi nos Illum redemiſſemus, Ejúsque capiti impoſuiſſemus coronam regiam? Tanta

ta cum magnificentia non solùm animam nostram, sed ipsum adeò corpus æternùm remunerari! Anima tandem est purus spiritus, & Angelorum socia, est imago Divinitatis; unde non adeò vehementer abundans videtur Amor ille, quo tanta passus est Jesus Christus, ut æternam illi mereretur gloriam; at qualis tandem est amor ille, quo tanta passus est Dei filius, ut sempiternam gloriam mereretur nostro Corpori, tam fœtido, tam misero, & toties adversùs Divinam ejus Voluntatem rebelli? Si in ipsius amorem membra nostra omni pœnitentiarum genere castigâssemus; si in ipsius amorem illa non dubitâssemus affigere cruci; vel certè si illa in summa semper puritate conservare laborâssemus, non foret adeò mirum, si etiam illa fruerentur in cœlis tam sublimi prærogativa, fieréntque vivum Servatoris in glorioso Corpore triumphantis ectypon; verùm caro nostra tam excelsô gaudebit privilegiô, postquam Deo gravissimas intulerit injurias, ut sibímet satisfaceret, dummodo hujusmodi maculas per pœnitentiæ lavacrum purgave-

rit.

rit. Cur igitur tanto tibi horrori eſt pœnitentia ? cur igitur laborem omnem tantopere ſubterfugis ; cùm tamen invicem deſiderare deberes, ut te obruant tormenta, pœnæ, ac dolores omnes, qui tanti boni te certum ac ſecurum reddant ? Quàm, obſecro, erubeſcenda eſt hæc mollities, ubi Chriſtus Jeſus tantîs ſumptibûs, tantô immanium dolorum pretiô jus ſibi paravit intrandi in gloriam illam, quæ ſuo Corpori Diviniſſimo jam aliîs mille titulîs debebatur: *Nónne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc.* 24. *v.* 26. velle te intrare in eandem gloriam, quin ullum tu laborem impendere, aut dolorem ullum pati debeas, poſtquam illâ tamen toties privari & excludi fuiſti meritus, quoties grave commiſiſti peccatum ? Dediſce, ac depone tandem errorem tuum, cùm in tota Electorum multitudine ne unum quidem viderit Divus Joannes, qui ad illum felicitatis ſupernæ terminum pertigerit aliter, quàm per adverſa: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna. Apoc.* 7. *v.* 14. Et tu vo-

voles, novam tibi viam ſterni, & aliam tibi portam in beatis illis mœnibus aperiri, ut, poſtquam ſenſibus tuis omnes hujus terræ delicias, illicitas non minùs ac licitas, indulſeris, per illam tranſire libere poſſis, ut omnibûs quoque cœli deliciîs ſecundùm corpus æquè ac ſecundùm animam perfruaris? Ne te ſinas impoſterum à mundo ac diabolo ita circumveniri ac prodi; erubeſce de præterita ignorantia tua; propone, deinceps libenter id omne ſuſtinere, quod vel neceſſarium vel proficuum eſt ad obtinendum bonum illud æternum, quod te manet; & roga Deum, ut, cùm modò te jubeat ſperare ſuam gloriam, eandem ſuo tempore tibi velit concedere, nunc verò gratiam ſuam impertiri, qua te ad eandem rite præparare valeas per vitam puram & ſanctam, ac inſignibûs adeò promiſsîs dignam.



Me-

Meditatio Quarta

Pro Die Nona.

De Adventu Spiritûs Sancti.

I.

CONsidera tres mutationes, quas Spiritus Sanctus in Apostolis effecit, videlicet Mentis, Cordis, & Linguæ, & has ipsas oportet esse Sacrorum Exercitiorum fructus: *Insiliet in te Spiritus Domini, - - & mutaberis in virum alterum.* 1. *Reg.* 10. *v.* 6. Prima itaque Mutatio fuit *Mentis*, sive Intellectûs, dum illorum dictamina mundana, quibûs dirigi consueverant, illis mutavit in Principia æterna, & eos clarè cognoscere fecit bonorum præsentium vanitatem, & futurorum magnitudinem, ita quidem, ut illi ipsi, qui toties inter se contenderant, *Quis eorum videretur esse Major. Luc.* 22. *v.* 24. post acceptum Spiritum Sanctum in magna felicitatis parte numerarent, si pro Christo contemnerentur, & pro Mundi opprobrio ac quisquiliis haberen-

rentur. Adverte jam, an hæc Intellectûs mutatio tempore ſacræ ſolitudinis tuæ etiam facta ſit in te, & quanta illa ſit. Si in hanc usque diem magnum eſſe bonum judicâſti, multùm æſtimari ab aliis, & in omnium corde vivere; ſi credidiſti, magnum eſſe bonum ſemper novis inhiare voluptatibus, & in hoc negotio inſumere tempus omne, quod ad lucrandam tibi æternam felicitatem indultum eſt; ſi te totum, tuáque omnia ſemper hactenus direxiſti ſecundùm reſpectus & fines mundanos; nunc verò conſtitutum ac fixum tibi eſt, te tuáque omnia inſtituere ſecundùm doctrinas in Evangelii ſchola traditas; ſi decretum tibi eſt, nullam honoris alterius habere rationem, quàm illius, qui te magnum efficit coram Deo; non æſtimare bonum aliud, quàm illud, quod obtinendo cœlo te propiorem reddit; habes enimvero lætandi cauſam, & judicandi, quòd Spiritum Sanctum receperis, ejúsque gratiam, qua in hominem alium mutari queas: *Mutaberis in virum alium.* Hoc illud eſt, quod à te requirit Deus, poſtquam ſancta ſua luce

te collustravit, ut nempe non ampliùs te geras, ùt infans; sed ùt factus jam vir: *Cùm essem parvulus, - - cogitabam ùt parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.* 1. *Cor.* 13. *v.* 11. Erubesce igitur de præteritis; at non idcirco formida, nec animum despónde; imò potiùs ignorantias tuas in Domini conspectu pande, & Divinum Spiritum demissè roga, ut intellectum tibi non obiter tantùm, sed stabiliter divina sua Luce immutet, ita, ut imposterum omnem tuam gloram in eo constituas, si Servatori tuo quàm simillimus evadas, nec alia deinceps consilia in animum tuum admittas, quàm illa, quæ digna sunt excelso tuo statu, quem divina tibi gratia promeruit: *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit. Isa.* 32. *v.* 8.

II. Considera secundam mutationem, quam Spiritus Sanctus in Apostolis fecit, nempe *Mutationem Cordis.* Priùs tam erant timidi, ut pro tuenda sua vita hic Magistrum suum deseruerit, ille negaverit; & postmodum omnes si-

ſimul, ceu totidem caniculi, præ timore concluſi viverent in cœnaculo. At ubi Spiritus Sanctus in illos deſcendit, prodiêre foras, ceu totidem Leones, & aperta fronte Chriſtum Crucifixum prædicabant, ídque in maximo hominum concurſu, quin terreri ſe ſinerent ſive minîs, ſive verberibûs, ſive ipſa morte, quam ſi inter mille cruciatus invenire poſſent, felices ſe reputabant. Hæc tui cordis generoſitas magnum tibi foret indicium, quòd à Spiritu Dei in virum alium fueris mutatus. Quid hactenus quæſiviſti? quid hactenus fugiſti? Toto deſideriorum tuorum impetu quæſiviſti hujus terræ bona, divitias, & voluptates; ac perſuaſum tibi penitus habuiſti, eum eſſe magìs beatum, qui magìs hîs omnibûs abundabat; itaque ſi modò ob divitias non inſoleſcas ac ſuperbias; ſi illas non ampliùs tam avidè deſideres ac quæras, ſi oblectationes mundanas tam ſolicitè non quærites; ſed iſthæc omnia timere incipias, téque in hoc ſtatu conſideres, veluti conſtitutum in ſtatu, penitus contrario illis omnibus, quæ ſibi elegit

Chriſtus Jeſus tam in nativitate & vita, quàm in Paſſione & Morte ſua, & iis inſuper, in quibus eſt verum tuum bonum; lætare tantùm, & gratias age Deo, quia Lux illius non ſolùm tibi mentem illuſtrat, ſed inſuper cor inflammat, & incipit ex parvulo ignorante, & puerilibus ac inutilibus operibus nugíſque dedito, in perfectum te mutare hominem, in verum, inquam, Chriſtianum: *Cùm eſſem parvulus, - - ſapiebam, ùt parvulus; - - quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.* Erubeſce jam, quòd uſque adhuc ab híſce animi ſenſis tam procul receſſeris, & mendacia ſecutus, veritatem neglexeris. Propone, quòd adhibito etiam conatu tuo, & continua veritatum iſtarum conſideratione promovere velis prima hæc lineamenta, quæ Sanctus tibi Spiritus impreſſit, eúmque ardenter ora, ut, cùm Ipſe ſit Dator Munerum, donet tibi munus omnium maximum, perſeverantiam nempe usque in finem in illius ſervitio & amore.

III. Conſidera tertiam mutationem,

nem, quam Spiritus Sanctus in Apostolis fecit, mutationem videlicet *Linguæ.* Quibus de rebus loquebantur olim Apostoli, dum adeò cum Juda conspirabant in vituperanda Magdalena, & in eam pariter fremebant, quòd Domini pedes tantis cum impensis unxerit? *Et fremebant in eam. Marc.* 14. *v.* 5. Sed postquam Divinus Spiritus super illos descendit, non jam loquebantur nisi lingua cœlesti de Magnitudine Dei, & illius gloria: *Audivimus eos loquentes nostrîs linguîs Magnalia Dei. Act.* 2. *v.* 11. Hîc tu considera tuos ante Exercitia ista sermones, & eorum mutationem, quam te facere oportet. Concessa nobis est lingua, ut Deo reddamus gloriam, ut nos ipsos accusemùs, ut bona exempla præbeamus proximo. At est possibile, ut usus tu illâ fueris ad fines prorsùs contrarios; illámque adhibueris ad verba ipsi Deo injuria, aut certè minùs Illi honorifica, ad nugas & jocos sacerrimum illius Nomen usurpando; illâ protuleris tuas ipsius laudes non sinè superbia; aut verba proximo tuo pernicio-

ciosa, loquendo illi cum contemptu, cum iracundia, cum acerbitate; aut illum exagitando, illum ludendo, contra illum murmurando; suppeditando illi prava consilia, malis ipsius operibus applaudendo. Sed animô ne concidas; quia tempus jam habes, hujusmodi peccatis inveniendi remedium, si Spiritum Sanctum per sacra hæc Exercitia terrestrem linguam mutare sinas in linguam cœlestem. Ita, si fuisti priùs parvulus inconsideratus in sermonibus tuis, fies homo perfectus, qualem te esse vult Deus, & poteris etiam hîc ad ejus gloriam dicere: *Cùm essem parvulus, loquebar ùt parvulus; - - quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.* Jam Spiritus Sanctus aditum invenit in cor tuum; & solùm sufficit, si clavem illius perpetuò Ipsi relinquas, ut suum in eo propositum compleat, quo illud ad omnem perfectionem elaborare cogitat. Beatum te, si in mortis hora linguâ tam benedictâ instructus inveniaris, quæ non nisi à Deo se dirigi patiatur! In talis linguæ manu, in qua mors antè

fue-

fuerat, nunc erit vita. *Mors & vita in manu linguæ. Prov. 18. v. 21.* Deteſtare igitur præteritos defectus tuos, & Spiritum Divinum roga, ut ſuam in te gloriam manifeſtet omnimoda linguæ tuæ mutatione, quæ digna ſit Ipſius dexterâ; unde tu illum laudare poſſis æternùm, ac fateri cum Propheta: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Pſal. 76. v. 12.*

Sacrorum Exercitiorum
Dies Decima.
Meditatio Prima.
De Beneficiis magìs ſingularibus, à Deo præſtitis Homini Chriſtiano.

I.

CONſidera inter innumera beneficia, cuilibet Chriſtiano communia, tria cæterîs altiora; ſúntque Vocatio ad Fidem, Juſtificatio poſt peccatum, & Ele-

Electio ad cœleſtem Gloriam. Primùm itaque conſidera *Vocationem ad fidem* per baptiſmum ; & in hac expende magnitudinem , neceſſitatem , & præſtantiam hujus beneficii. An unquam ſatìs percepiſti, quodnam theſauri genus in ſinum tuum mox effuderit Deus, quamprimum in hunc Mundum natus es ? Adamus, quamprimum efformatus eſt, mox à Domino in terreſtri collocatus eſt Paradiſo ; at tu, meliori longè ſorte , vix natus in cœleſti mox Paradiſo, in ſanctæ, inquam, Eccleſiæ gremio, es collocatus. Hîc per baptiſmum ex filio Proditoris, qualis nimirum Adamus fuerat, regeneratus es, ut fieres adoptivus ipſius Dei filius; Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, & omnium Sanctorum ſocius ; ſempiternus omnium bonorum cœleſtium hæres; recepiſti divinam gratiam , antequam de illa quidquam intelligeres ; antequam poſſes invocare nomen Domini, fuiſti ab illo jam amatus , & à Divino Spiritu donîs Fidei, Spei, Caritatis, omnibûsque cæterîs virtutibûs , quæ illas co-

comitantur, liberalissimè ditatus. Et quis tantum tibi beneficium obtinuit? quis in eo petendo tuum egit Advocatum? quis, ut Benefactoris istius excitaret memoriam, solicitator illius extitit? Sola Dei bonitas supplevit officia isthæc omnia: *Salvum me fecit, quoniam voluit me. Psal.* 17. *v.* 20. Eodem ipso die, quo natus es tu, eâdem horâ, eodem momento, quot, obsecro, infantes alii in hujus mundi lucem sunt editi in Regionibus barbaris, ac sepultis in tenebris Infidelitatis? Quod igitur tuum tunc erat meritum, quòd huic infelici numero immixtus non fueris? Esse poterit, quòd jam in hoc Mundo universim vivant mille circiter milliones hominum; ex millenis hísce millionibus ad centum milliones non ascendet Christianorum numerus; tu igitur nongentis animarum millionibus es præhabitus, ut electum adeò donum acquireres: *Fidei donum electum. Sap.* 3. *v.* 14. donum ingens, quod amicitiæ Divinæ principium est, & quædam Increatæ Sapientiæ repercussio, aut imago; est participatio Scientiæ, quam

habet de seipso Deus; est donum, quod comitantur alia mille dona, Virtutes infusæ, Sacra Mysteria, quæ appellamus Sacramenta, Merita Jesu Christi, verbô, omnes omnino sanctæ Matris Ecclesiæ thesauri. Sed quomodo Divinæ huic liberalitati pro dono tam pretioso respondisti? Nisi illud pluris æstimes, quàm omnia Mundi Regna, dignus non es, ut illud retineas; sin verò illud pluris æstimas, ùt oportet, quid igitur hactenus in grati animi testimonium reddidisti Deo? Minimum, quod fecisti, malum est illud, quòd fidem tuam habueris veluti captivam, dum illam otiosam latere es passus, ùt faciunt omnes illi, *Qui veritatem Dei in injustitia detinent. Rom.* 1. *v.* 18. At miserum te, si damnandus es! Character ille Hominis fidelis, qui animæ tuæ indelebiliter est impressus, te comitabitur, sempérque tibi adhærebit, etiam in flammis illis, téque æternùm cruciabit multò vehementiùs, quàm ipsæ illæ flammæ; dum nempe identidem tibi revocabit in memoriam, quòd ex Filio Dei tua sponte sis

ſis mutatus in mancipium Luciferi; quódque Juri ad Regnum cœleſte renuntiaveris, ut illud commutares cum miſeria, quæ numquam habitura eſt finem. Exhorreſce ad hoc periculum; propone deinceps ambulare ad lumen fidei tuæ, ut ab errore ſecurum te præſtes; & roga Deum illum, qui Fidei hujus eſt Autor, ut talem fidei tuæ vitam in corde tuo largiatur, ut ipſius ope Mundum & omnes tuos inimicos devincas & triumphes: *Hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra.* 1. *Joan.* 5. *v.* 4.

II. Conſidera beneficium alterum longè majus, nempe *Juſtificationem poſt peccatum.* Qualis fuiſſet infelicitas tua, ſi perditâ poſt baptiſmum per propriam culpam tuam gratiâ, nullum habuiſſes eam recuperandi medium? Illius jactura miſeriorem te reddidiſſet iîs omnibûs, qui numquam illâ ſunt potiti; & jactura illius voluntaria, qua illam veluti rem nihili projiceres, indignum te redderet omni miſeratione. Jam vide infinitam Dei benignitatem, dum reliquit tibi modum, quo theſau-

ſaurum, adeò ſtolidè in profundum abjectum, recipere, eúmque magno cum meritorum fœnore recuperare poſſes. Poterat Deus, utì merebaris, in tuo te peccato deſerere; at invicem Divinas ſuas inſpirationes ad cor tuum expedit, veluti totidem nuntios, téque ſolicitat ad ineundam ſecum pacem, tibíque ſpondet veniam. Si invitationem hanc admittas, & gratiâ illius utaris, ac elicito perfecti doloris ſive contritionis actu pœnitentiam agas, aut ſaltem cum attritione, culparum tuarum Sacerdoti te reum accuſes, ùt oportet; ecce! illorum omnium obliviſcitur Deus; disrumpit catenas tuas, omnibûs alioquin creatîs viribûs inſolubiles; ſanat iterum tua vulnera, donîs ſuîs cœleſtibûs animam tuam denuo exornat; ab æterna te morte liberat, emortuis jam bonorum operum tuorum meritis vitam reſtituit, illáque inſuper adauget, adeò, ut in cælorum Regno etiam illos antecellere poſſis, qui nullum umquam peccatum admiſerunt. Itaque ſi vel ſemel hanc tibi gratiam faceret Deus, incomprehenſibile id foret beneficium;

&

& tamen hanc millies & millies tibi exhibet Deus; neque ad unum solummodo peccatum, sed pro innumeris, quæ eadem tibi facilitate remittuntur, ita ut Justificatio comparari omnino possit, ac debeat fonti publico, in quo omnes lavantur maculæ: *Fons patens Domui David - - in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Zach.* 13. *v.* 1. Ubínam invenies umbram tantæ misericordiæ inter hujus Mundi Magnates, quos videtur dedecere, si vel patienter tolerent injuriam, non dicam, si condonent? Si vel semel graviter offendisses tuum Principem, fortè, jam inter vivos hoc in Mundo non esses; & postquam tam impudenter, & repetitís toties injuriîs offendisti Cœlorum Regem, non solùm vivis, sed vivis etiam in eo statu, ut præ multis aliis, qui multò minùs, quàm tu, in illo offendendo sunt rei, illius etiamnum favoribûs perfruaris. Nisi Dei tui foret misericordia, quale tibi superesset remedium? Si creaturæ simul omnes, etiam possibiles, in tuum favorem conjungerent vires suas, non possent tamen illæ ex hu-

humeris tibi demere immenſum debitorum tuorum pondus, quod peccando tibímet impoſuiſti; omnis inferni totius ignis numquam poſſet conſumere iniquitates tuas; & ſi ex profuſis lachrymis tuis integer confluxiſſet Oceanus, nunquam tamen ille maculas tuas eluisſet. Et nihilominus ad pauculas voces, à Sacerdote Miniſtro ſuo prolatas, univerſis malis tuis remedium Deus attulit, non tuas tantummodo deſtruendo culpas, ſed & ſuam reddendo gratiam, quod multò eſt amplius, quàm ſi millenos tuæ poteſtati mundos ſubjeciſſet. Sed quomodo tu reſpondes huic tanto beneficio? quomodo pro illo te gratum exhibes Benefactori tuo? Quid autem, ſi eò immemoris animi tui labes accreviſſet, ut ipſa veniæ obtinendæ facilitas audaciorem te reddidiſſet ad multiplicandas Dei tui injurias; ac voluiſſes tu tantò pejor evadere, quantò tibi melior ac benignior videbatur Deus? Igitur ſi modò non deteſtaris ex animo perverſitatem tuam, ſatìs oſtendis te ſaxeum eſſe; proinde ad abyſſum uſque ob ingratum tuum ani-

animum te demitte, ac pete veniam delictorum tuorum, & adjunctæ illis singularis malitiæ, qua tantò liberiùs illa commisisti, quantò se promptiorem ad illa tibi condonanda exhibuit Deus; propone, quòd numquam deinceps è remedio venenum velis eruere; & roga Servatorem tuum, ut, cùm Ipse è suo Divino Sanguine tam salubre animæ tuæ balneum in sacra Confessione paraverit, gratiam quoque tibi largiatur, perfectam inde sanitatem recuperandi.

III. Considera beneficiorum omnium summum, quódque cœteris perfectionem tribuit, videlicet *Electionem ad Gloriam*. Sed ecquis hoc beneficium dignè ac pro merito poterit intelligere? Si Gratia, quæ supremum est huius vitæ mortalis bonum, cogitationes nostras omnes superat, quantùm illas igitur superabit gloria, quæ supremum est vitæ immortalis bonum? Est itaque bonum hoc tam grande, quàm grandis est ipse Deus, qui, quemadmodum ab æterno totus fuit sibímet ipsi Beatitudo, ita & tibi per æterni-

ta-

tatem omnem totus vult eſſe beatitudo, vúltque à tuo corde ſemper videri, amari, & poſſideri. Adjunge, quòd ſublime hoc beneficium ſingulîs quaſi momentîs tibi duplicetur; quia, quemadmodum Pater, qui filium ſuum ad Aulam Principis deſtinavit, omnem hujus filii educationem eò dirigit, ut illum hac ſtatione dignum reddat; ita Deus, cùm te deſtinaverit ad cœli ſolium, ut cum ipſo æternùm ibi regnes; ſuum circa te regimen eò ſemper dirigit, ut tantô bonô te dignum efficiat; atque ita in omnibus Dei beneficiis, ſi illa rite cognoſceres, te in cœlo conſtitutum videres, ad quod omnia illa te dirigunt. At ſecurus ac certus non es, quòd ingentia iſthæc bona reipſa ſis aliquando conſecuturus. Ita equidem eſt; ſed cujus culpâ id accidet, ſi illa non conſequaris? Cùm Deus tam arctè te obſtringat ad ſperandam ſalutem tuam, manifeſtum eſt, quòd ex parte ſua feriò velit, ut ſalutem tuam obtineas. In baptiſmo Jus Regni hujus ſempiterni tibi collatum eſt, & poſt admiſſum peccatum in Juſtificatione jus

iſtud

istud iterum tibi redditur; arctè proin retine hoc grande bonum, quod accepisti; *Tene, quod habes. Apoc.* 3. *v.* 11. nec patere ampliùs, ut illud tibi auferatur; vel, ut meliùs dicam, noli deinceps ampliùs illud abjicere, post veniam redeundo ad peccandum; atque ita certus ac securus eris, quòd thesaurum isthunc sis possessurus æternùm. Interea, dum universalem omnium bonorum suorum hæredem per omnem æternitatis decursum te instituit Deus, dúmque novìs identidem novísque gratiîs iter tibi ad hæreditatem istam facilitat, quantopere te obstringit, ut Ipsi te gradum exhibeas? Si per summam tuam miseriam accidere deberet, ut aliquando damneris, tantundem tamen obstrictus jam esses ad reddendum illi grati animi testimonium absque omni comparatione maximum, quia cœlum perdere non potes ob defectum suppeditati ab Ipso auxilii; sed quia in tuum illo commodum uti noluisti, dum omnes arbitrii tui vires ita impendisti, veluti propriè ac studiosè

perire velles : *Deus mortem non fecit ; - - impii autem manibûs & verbîs accersîerunt illam. Sap.* 1. *v.* 13. & 16. Ita eſt ; neque te excuſabit, quòd in corde deſideres beatitudinem tuam conſequi, ſi manum operi non admoveas ; quaſi verò Beatitudo, Gaudiorum magnitudine immenſa, & diuturnitate illorum æterna, otii ac deſidiæ præmium foret, & Deus ille, qui Beatitudinem hanc Martyribus effuſo tam copioſo ſanguine, Sanctis aliis tot tantiſque pœnitentiæ laboribus vendidit, eandem donaturus tibi eſſet pro vita, ſemper in deliciis, aut etiam in peccatis acta. Expergiſcere igitur de pigritia tua ; & propone, tam grande donum, quale eſt divina Gratia, certum illud cœleſtis Gloriæ ſemen, majori cum diligentia, quàm vitam tuam ipſam conſervare, &, quoniam ex parte Divinæ Miſericordiæ contingere nunquam poteſt, ut pereas, ſtatue, tuas etiam partes implere per omnia illa opera bona, quæ ſtatui tuo ſunt propria, tuámque ad cœlum Electionem poſſunt magis cer-

certam reddere. Erubeſce de præterita negligentia tua in procuranda pro omnibus æternitatis ſeculis certitudine Felicitatis adeò Magnæ, cujus vel per unicam horam poſſidendæ causâ hilarî animô uſque ad Mundi finem per enſes & vulnera foret incedendum. Denique Deum roga, ut, cùm tibi ſanctiſſimi ſui Sanguinis pretiò ſempiternam hanc hæreditatem comparaverit, jam non permittat, ut eâ te privet malitia tua ob voluptates adeò viles, & adeò breves, quales illæ ſunt, quas tui tibi ſenſus offerunt.

Meditatio Secunda

Pro Die Decima.

De Cauſis tenerè amandi ſanctiſſimam Jeſu Chriſti Humanitatem.

I.

COnſidera immenſum debitum, quod tibi, ùt Chriſtiano incumbit, te-

nerè amandi Chriſtum Jeſum ex titulis infinitis, præcipuè tamen ex his tribus, quia eſt Frater tuus, quia eſt Amicus tuus, & quia fons tibi eſt & origo omnium bonorum tuorum. Primò igitur *Amandus eſt tibi Jeſus Chriſtus, quia Frater tuus eſt.* Hoc unum fuit è præcipuis Divinæ Incarnationis beneficiis, quòd hominibus ſtupendam hanc dederit poteſtatem, ut fieri poſſent filii Dei: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Joan.* 1. *v.* 12. Filios per adoptionem equidem; ſed nihilominus Filios Dei per gratiam, quæ nos ad vitam quamdam Divinam Cœlo regenerat, ut jam non ſimus filii Patris illius, qui nos in hac terra ad vitam caducam genuit. Verùm ſi ſumus filii Dei, ſumus hoc ipſo Fratres Jeſu Chriſti juniores; quia ipſe eſt Filius Dei per naturam, & nihilominus erga nos adeò bonus, ut, licèt hæc propinquitas adeò ſit illius intuitu inæqualis, non tamen eapropter erubeſcat, ſuos nos appellare fratres: *Non confunditur, fratres eos vocare. Hebr.* 2. *v.* 11. Poſtmo-

modum verò nos inſuper docuit Patrem ſuum appellare Patrem noſtrum; jam affixus Cruci Matrem ſuam ſanctiſſimam nobis reliquit, ac dedit in Matrem noſtram; voluítque cœleſtem ſuam hæreditatem non dividere nobiſcum, ſed integram nobis donare, nósque collocare in ſuómet throno, ut æternùm cum ipſo regnemus: *Si Filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Rom.* 8. *v.* 17. An unquam expendiſti vocum iſtarum ſenſum: Fraternitas Jeſu Chriſti, Hæreditas univerſalis omnium theſaurorum ejus? illa eſt dignitas adeò ſublimis, hæc verò eſt felicitas adeò immenſa, ut omnis Majeſtas & Amplitudo Monarcharum & Regum hujus Mundi ſit atomus, ſi cum illa comparetur; & nihilominus poſt immenſum hunc Jeſu Chriſti in te amorem, tu illum reſpicis velut extraneum; non iraſceris offenſis, quæ illi inferuntur ab aliis; quódque amplius eſt, eaſdem non deſinis etiam ex tua parte accumulare. Si Frater fieres

magni alicujus in hoc Mundo Regis, an haberes animum eò te demittendi, ut etiam ſervires in ſtabulo? nunc verò dum factus es frater Regis Cœlorum, quod dedecus, quam ignominiam aſperſiſti contractæ cum Verbo Incarnato propinquitati, dum eò te demiſiſti, ut non jam purgares ſtabulum, ſed teipſum volutares in mille peccatorum ſordibus, & ex his ipſis eligeres quàm maximè pudenda, infamia, & horrore plena? Si modò non erubeſcis, dum nobilitatem tuam cum fœdiſſimis tuis operibus comparas, dici profectò poterit, non modò te Chriſtianum ac Fidelem non eſſe, ſed ne hominem quidem ratione præditum. Igitur in Divino conſpectu te ob iniquitates tuas ad profundum usque demitte; adora, ùt olim fecêre Joſephi fratres, Divinum hunc Fratrem tuum, non ùt Ægypti Proregem, ſed ùt univerſi Mundi & rerum omnium creatarum Dominum. Gratias illi age, quòd, cùm tu illum velut inimi-

micum habueris, ille tamen denuo in Fratrem te velit admittere; propone illi deinceps obedire, ùt oportet, eúmque roga, ut vires tibi largiatur, vitam inchoandi puram, & Divina propinquitate, cum illo contracta, quàm maximè dignam.

II. Conſidera alterum quoque titulum & cauſam Amandi Chriſtum Jeſum, *quia eſt Amicus tuus.* Non foret hæc Amicitia inter infinitam Dei Majeſtatem, & hominis vilitatem poſſibilis, niſi Servator noſter adjuvante ſua gratia, quam proprio nobis Sanguine promeruit, nos primùm elevâſſet ad ſtatum ac dignitatem veluti cœleſtem. At modò in ſtatu hoc adeò ſublimi poſſumus cum veritate Creaturis omnibus dicere, Deum eſſe Amicum noſtrum: *Ipſe eſt Amicus meus; Filiæ Jeruſalem! Cant.* 5. *v.* 16. Ac proinde malitiæ prodigium eſt, ſi vel unus inter homines omnes inveniatur, qui velit ob amicitiam aliquam hujus

Mundi, Amicitiæ Regis cœlorum peccando renuntiare. Expende aliquantùm & hujus & illius Amicitiæ commoda, eáque invicem compara; tum verò, si potes, non obstupesce. Amici in hoc Mundo tribus hísce imperfectionibus semper sunt obnoxii; parùm te amant, serò amare te incipiunt, & citò desinunt bene tibi velle, quia vel te deserunt in adversis tuis, vel saltem te deserunt in morte, & postquam ad sepulchrum usque te comitati sunt, ibi te vermibus prædam relinquunt, tuíque memoriam sepeliunt. At Jesus Christus Amicus est immortalis, & semper amare te pergit, nisi prior tu illi tergum obvertas; neque solùm in tuis te afflictionibus non deserit, sed in illis magìs quàm aliàs umquam tuum se socium & amicum auxiliô suô probat; in morte pariter non modò te non deserit, sed ad dandam tibi immortalitatem se parat, frigidi etiam corporis tui cineres ei curæ sunt, ut novam il-

lis

lis ſuo tempore vitam impertiatur, quæ finem neſciat ; & quando nomen tuum hîc oblivioni mandatum fuerit, indelebili illud charactere ſcribet in æternitate. De cætero Chriſtus Jeſus eſt Amicus æternus, quia, ùt homo, quamprimum cœpit exiſtere, jam te novit, jámque te amavit ; ùt Deus autem non priùs amavit Patrem ſuum cœleſtem, à quo generatur, quàm elegerit, te quoque amare, & omne illud bonum tibi velle, quod deinceps tibi præſtitit. Sed quale eſt bonum illud, quod tibi voluit, & quod deinceps tibi præſtitit ? Immensùm te magìs amavit, quàm tu teipſum amare poſſis ; & immensùm etiam magìs, quàm omnes creaturæ amare te poſſent, ſi omnes etiam amore te deperirent; ſe totum nunc quidem tibi dedit per gratiam ; ſe totum verò ibi vult æternùm tibi donare per gloriam : *Omnia veſtra ſunt.* 1. *Cor.* 3. *v.* 22. Quid jam dicis, homo ingrate, & beneficiorum immemor ! Quid reſpondes?

quomodo excuſare te poteris ab inchoanda vita nova, eáque omni tranſigenda in obſequio illius Domini, qui ſemper vult eſſe amicus tuus? An diutiùs ferre in teipſo poteris hoc monſtrum abominabile, quòd Dei Filius te amaverit absque principio; tu verò numquam facias illius amandi principium? quòd ille te amaverit absque menſura, tu verò illum redamare velis cum tot exceptionibus? quòd ille multò cariùs amorem tuum emerit, quàm omnium Angelorum amorem, toto nimirum effuſo ſuo Sanguine; illum nihilominus etiam poſt perſolutum hoc immane pretium conſequi non poſſit? Evigila tandem ad exprobationes adeò juſtas; & ſi Amicum inveneris meliorem, aut talem ſaltem, qui Servatori tuo poſſit comparari, ſit tibi licitum, Divinum hunc Amicum deſerere, ut illi alteri adhæreas. At ſi Jeſus Chriſtus eſt Amicus unicus, æternus, commodi proprii contemptor, qui im-

immensùm te amavit, & immensùm adhuc te vult amare, quomodo, quæso, contingere poteſt, ut illum deſerere cogites? Erubeſce, quòd illum toties deſerueris, quoties grave peccatum admiſiſti, & ob rerum creatarum amorem nuntium Amicitiæ Summi Boni remiſiſti; pete ab illo demiſsè veniam; & ſtatue illum impoſterum ſemper amare; eúmque roga, ut uno Sanctiſſima Crucis ſuæ clavo voluntatem tuam in hoc ſancto propoſito figat, ac immobilem reddat.

III. Conſidera tertiam Jeſum Chriſtum tenerè amandi cauſam, quia nimirum tibi eſt *omnium bonorum tuorum fons & origo.* Omnia bona nobis à Chriſto proveniunt, ùt Deo, & proveniunt nobis per ipſum, ùt hominem; & tu nullum in te ſenties deſiderium, Eidem in omnibus obſequendi? *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes. Coloſſ.* 1. *v.* 16. & 17. Si Pater æternus benignô te oculô re-

respicit, te respicit ob amorem Jesu; si veniam tibi peccatorum indulget, indulget illam tibi in gratiam Christi Jesu; si te liberat à malis vel temporariis, vel æternis, te ex illis liberat intuitu Christi Jesu; si te elegit ad Gloriam, & ad illam te adducit per gratiarum suarum auxilia; elegit te & adducit te ob merita Jesu Christi. Assuetus jam es audiendis frequenter hujusmodi rebus; hinc assuetudo te non sinit æquam ac debitam de illis habere æstimationem. Sed aliquantisper & cum mora perpende, quanta sit res, à tuo Servatore infinita recipere bona, &, quod adhuc magìs sub sensus cadit, ab infinitis liberatum esse malis! Quale beneficium fuisset, si te liberâsset à supplicio, quo vivus ardere debuisses in fornace per unicam solùm horulam? Si Chirurgus crastino manè globum igneum applicare tibi deberet ad collum, forsitan hac nocte præ timore ac solicitudine indormire numquam posses;

ju-

judica jam, quid futurum eſſet, ſi cras manè per horam integram perſiſtere deberes in flammis. Jam verò Chriſtus Jeſus te liberavit, non solùm, ne manere in flammis debeas per horam integram, ſed ne in illis perſiſtere debeas horîs infinitîs, infinitîs diebûs, infinitîs menſibûs, infinitîs annîs, imò ſeculîs infinitîs absque ullo remedio; atque adeò ſingulîs horîs infinitùm obſtrictus es Divino huic Benefactori tuo; maximè quòd hæc ipſa tua liberatio tam carô illi prètiô ſteterit. Si re alia illi non conſtitiſſet, quàm verbis; ſi delictorum tibi veniam impetrâſſet, ſuum duntaxat Patrem pro te rogando; quæ grati animi teſtificatio par eſſe poſſet huic tanto beneficio? Et tamen non te liberavit verborum duntaxat, & precum ſuarum viribûs, ſed vî dolorum & cruciatuum ſuorum, quales nullus unquam hominum ſuſtinuit, vî contumeliarum & opprobriorum, qualia in illam usque diem audita non ſunt,

ſunt, vî triſtitiæ, nullîs ſive cœli ſive terræ ſolatiîs recreatæ. Ut ab inferno te liberaret, Miniſtris Dæmonum ſe ſubjecit; ut ab ira Patris ſui cœleſtis te liberaret, ad ſervilem adeò formam ſe demiſit; ut ab æterna te morte liberaret, in Cruce mori voluit, inter duos latrones medius; ut te liberaret à peccato, ſimilitudinem peccatoris aſſumpſit, & in Divino ſuo Sanguine iram omnem à Juſtitia, Divina adversùs te conceptam, extinxit. Si Chriſtus Jeſus fuiſſet mortuus ob nimii erga teipſum amoris vehementiam, an de hac Amoris vehementia audire aliquid poſſes, quin toto corde ad amorem tenerrimum accendereris? Jam verò ex amore non eſt mortuus, quia vitam noluit tam læta & jucunda morte finire; at ex amore tamen promoveri ad diram adeò mortem voluit vî pœnarum ac dolorum, quales in hoc Mundo nemo alius unquam ſuſtinuit; & tu nihilominus in tua negligentia,

in

in tuo frigore; gravi ſopore oppreſſus, permanebis? Canis, qui hilariter ſe circumagendo tibi applaudit, lucratur amorem tuum; quomodo illum igitur non lucratur Deus, qui pro te factus eſt homo, & immensîs laboribûs, imperceptibili contumeliarum, vilipenſionum, & opprobriorum cumulô, ac Vitæ ſuæ Divinæ pretiô immenſam tibi comparavit felicitatem, & ex immenſa te liberavit miſeria? Hæccine tua Juſtitia, hæc tua fidelitas, hæc ſinceritas eſt? Apage; ſi impoſterum, ubi veritates iſtas agnoviſti, ad Deum offendendum redis, non mereris infernum, ùt peccatores alii, ſed mereris, ut peculiaris tibi ac novus conſtituatur infernus, cujus flammæ ſint ſepties voraciores, cujus Dæmones ſint ſepties truculentiores, cujus pœnæ ſint multò atrociores ſinè ulla comparatione. Offendere Deum, qui non modò tibi veniam impertitur, ſed & mortuus eſt, ut tibi illam impertiretur! Offendere Deum illum,

vi-

qui mortuus eſt, ut omnes tibi divitias æternùm poſſidendas daret! Simile delictum vel in Dæmonibus non invenitur, & ſi in illorum aliquo inveniretur, is erubeſceret maximopere, dum tu interim eapropter nihil penitus erubeſcis. Igitur erubeſce ſaltem de hoc animi ingrati vitio tam horrifico, illúdque in conſpectu Domini fatere; imaginare tibi, vitam ideo tibi donatam eſſe, ut monſtroſum hoc vitium vitæ melioris tenore, & veri Chriſtiani moribûs penitus obtegas; & à Deo, qui tanta fecit, ac tanta paſſus eſt, ut bene tibi faceret, pete gratiam, ut ad id conſequendum te adjuvare non deſinat.



Exa-

Examen

Pro Die Decima.

De Virtutibus Theologicis.

I.

EXamina æſtimationem, quam habes de his virtutibus, quæ ſunt maximus animæ theſaurus, cùm illam Deo proximè & immediatè conjungant, illísque peculiare præmium in cœlo reſpondere debeat; ſiquidem propter fidem, qua in Deum credidimus, dabitur nobis Viſio Dei; propter ſpem, qua in illum ſperavimus, dabitur nobis poſſeſſio Dei; & propter Amorem, quo illum amavimus, dabitur nobis æterna Dei fruitio, ùt loquuntur Theologi. Singulariter autem examina, quam æſtimationem habeas de ſancta Fide, cujus tam liberale donum in baptiſmo tibi Deus contulit, quin illud unquam vel ſolùm deſideraveris; cùm

interim hoc dono, ex profundissimis Dei judiciis, privatæ maneant tot integræ Nationes, non solùm homines.

II. Examina *causam moventem tuæ Fidei*, scilicet Autoritatem Dei, quæ nec falli potest, nec fallere; cùm sit ipsa Veritas tam in cognoscendo quàm in loquendo; ac proinde, cùm unusquisque mereatur fidem iuxta mensuram Sapientiæ ac bonitatis suæ, numquid tantæ Autoritati credere & adhærere deberemus firmitate, si fieri posset, infinita?

III. Examina *causas te moventes, ut velis credere* illa, quæ Deus locutus est, & quòd ipse sit Autor nostræ fidei. Causæ autem sunt istæ: 1. Sanctitas tum ipsius Christianæ Legis, tum etiam tot hominum, qui illam professi sunt cum singulari, & plùs quàm humana perfectione. 2. Admiranda ejusdem Legis per Mundum universum propagatio, & quidem brevissimo tem-

tempore, etiamſi illa in ſacris Myſteriis tot res proponat humanîs ſenſibûs ſuperiores; & in præceptis tot alias ſenſibus noſtris contrarias. 3. Miracula, quæ ſinè numero, omni tempore, & in omni loco contigêre. 4. Teſtimonium, quod Martyres omnes ingentî pariter ſuô numerô, & omnis generis tormentîs, & cruciatibûs, mirâ conſtantiâ toleratîs, faciunt. 5. Ejusdem Fidei conſtantia inter tot ac tantas Hæreticorum & Infidelium perſecutiones; aliáque ſimilia teſtimonia, quæ ad oculum demonſtrant, Chriſtianam Religionem eſſe aliud non poſſe, quàm opus Dei.

IV. Examina *Media*, quæ adhibes, ad confirmandum te in fide. Hæc autem ſunt oratio, qua donum tam excelſum à Deo frequenter petitur; ſeria conſideratio prærogativarum, quas habet Chriſtiana Fides præ cæteris ſectis omnibus, ut tutiùs illi credi valeat.

V. Examina *Exercitium* hujus Fidei; an sis contentus solummodo illius habitu; an verò illam actu ipso exercere soleas, præsertim in usu Sacrorum Mysteriorum, in audiendo sacrosancto Missæ Sacrificio, in tentationibus, quæ te impugnant; atque in adversis, quæ tibi occurrunt; quibus in rebus summè necessarium est, ut eadem viva Fides excitetur.

VI. Examina *Spem tuam*, quæ illa est, quæ nos in hac lachrymarum valle Beatos reddit, dum nos jubet desiderare, & expectare Bonum infinitum, quod est ipse Deus, tum ob promissa, nobis à Deo ipsómet data, tum ob nostrum cum Divina simul gratia laborandi conatum. Vide igitur, an in laboribus ac necessitatibus tuis ad Deum cum fiducia recurras, uti merentur ipsius Potentia, Bonitas, in adimplendis promissis Fidelitas, & Jesu Christi Merita, quorum virtute id omne sperare possumus, quod

ad obtinendam salutem nostram est necessarium. Vide pariter, an sinè ordine debito speres, nimirum, absque voluntate id faciendi, quod ex tua parte requiritur; an tibi promittas id, quod numquam promisit Deus, quòd habiturus sis semper tempus, & semper auxilium ad agendam pœnitentiam; quódque semper possis malè vivere usque ad extremum, & nihilominus obtinere tandem salutem animæ.

VII. Examina, qualis sit *tua Caritas*, quæ est Virtutum Regina, & animæ vita, sinè qua fores infelicior putrefacto cadavere. Vide, qualis sit tuus Amor, ùt vocant, appretiativus Dei, qui tamen est necessarius, ut præcepto amoris satisfacias, & animæ salutem obtineas. Hujus Amoris virtute Amicitiam Dei anteponere debet anima bonis creatis omnibus, debétque esse parata ad perferendum omne malum cum Auxilio Dei, ut à ma-

gno isthoc Domino non separetur, eúmque non offendat.

III. Examina *causam moventem hujus amoris*, quæ esse debet infinita Bonitas, & infinita Perfectio Dei; ob quam meretur, ut omnes Creaturæ ob ejus amorem, ac illi placendi desiderium consumantur. De reliquo, licèt prohibitum non sit, amare Deum, quia bene nobis fecit; nihilominus, qui illum ob hoc solum amaret, amaret illum, ùt amatur utilis mercenarius, quia grata servitia præstat; atque idcirco non adimpleret præceptum Caritatis, ùt alibi consideràsti.

IX. Examina, quomodo te habeas circa hujus virtutis *Exercitium*. Si numquam reminiscaris eliciendi hujus actûs Amoris Dei super omnia, ne poteris quidem animæ salutem consequi, ùt jam antè meminimus. Præterea magìs proprium exercitandæ Caritatis tempus est, cùm ingruunt tentationes; quæ magna

cum

cum vi ſunt repellendæ, quia ſunt Amori Dei contrariæ. 2. Cùm imminent adverſa, ubi conformare nos debemus ad voluntatem Dei, nósque illi offerre ad perferendum id omne, quod ipſi placuerit. 3. Cùm recordamur Divinorum beneficiorum; tum enim reddendus illi eſt amor pro amore. 4. Cùm recordamur noſtrorum peccatorum; ubi deteſtanda illa ſunt ſuper omnia mala cætera, utpote mala, quæ attingunt ſummum Bonum.

Finies hoc Examen actibûs conſuetîs, ùt hujus Argumenti gravitas requirit.



Meditatio Tertia

Pro Die Decima.

De Cœlesti Gloria.

I.

COnsidera, quòd beatus esse nequeat, nisi qui omnia bona possidet, eáque possidet perfectè, & possessurus est æternùm. Ac proinde, si anima tua facta fuerit aliquando digna Paradisô cœlestî, *possidebit omnia bona*; non tamen talia, quæ tibi potes imaginari, sed omni cogitatione tua infinitè superiora; ita quidem, ut quamquam sinè fine id omne multiplicaveris, quod modò desiderare novit cor tuum, numquam tamen eò sis perventurus, ut minimam illius gaudii partem, quod in cœlo te manet, effingere tibi queas. Sensus tui, qui adeò nunc inimici sunt animæ tuæ, suâ tunc gloriâ adeò replebuntur, ut aliud nihil desiderent. Corpus tuum, quod te nunc adeò gra-

gravat, vivum tunc erit ectypon Corporis Jesu Christi; ac proinde tam erit pulchrum, ut Solem ipsum sit daturum in ruborem, & adeò lucidum, ut, si manum unicam, cœlesti gloria donatam, è cœlo exereres, eâ solâ universo mundo serenissimam diem impertiri posses. Hinc desume, qualis futura sit anima tua, undique Deô plena, & in abysso Divinarum Perfectionum submersa. Faciliùs profectò foret, nuce Oceanum omnem includi, quàm à debili phantasia nostra comprehendi, quid cœlestis sit Paradisus. Hic enim Paradisus idem est, ac possidere totum Deum per omnem æternitatem, atque ex Divinarum illius Perfectionum fundo perpetuos inexplicabilis felicitatis redditus percipere; Paradisus hic indicat, animam esse Deo intimè conjunctam, non aliter ac ignis conjunctus est ignito ferro, ita ut propemodum Deus sit anima, & anima pene sit Deus; quemadmodum & ignis pene est ferrum, & ferrum propemodum est ignis. Paradisus hic idem

eſt, ac ſedere in throno Divinitatis, & accumbere ad Menſam Dei, id eſt, eadem frui felicitate per gratiam, qua Deus fruitur per ſeipſum; adeò, ut bonum illud, quod ab omni anteriori æternitate Cor Summi Boni perfectiſſimè ſatiare potuit, tuum quoque cor per ſeipſum ſatiare debeat. O momentum itaque millies & millies fortunatum, quo ad tantam gloriam es admittendus! Si Deus omnes ſuas pulchritudines, non omnes unà ſimul, ſed paulatim vellet oſtendere, novîs ac novîs identidem ſpectaculîs, admiratione digniſſimîs, per integram æternitatem diſtinere te poſſet; quale jam erit ſpectaculum, ſimul videre omnes has pulchritudines ac elegantias, eásque omnes æternùm poſſidere! Non eris tunc Beatus, ſed eris ipſa quodammodo Beatitudo: *Ponam te - - gaudium in generationem & generationem.* *Iſa.* 60. *v.* 15. Tu interim hæc omnia firmiter potes credere, & eorum tamen ſecuritatem tanta cum negligentia curare? Opera bona ſunt hujus glo-

gloriæ ſemina ; quid agis igitur, quòd illis omnem tuam vitam non impendis ? Et quamdiu tandem illa bonorum omnium Patria ab ipſis etiam Chriſtianis habebitur pro ignota Regione ? Erubeſce teipſum ; deteſtare præteritum teporem tuum, & Fidei tuæ languorem ; paratum te offer ad perdenda omnia, ut immenſum adeò bonum conſequaris, & roga Deum, ut, cùm Ipſe ex parte ſua efficaciter te ſecum velit Beatum eſſe, gratiam tibi largiatur, ut ex parte tua conſilia hæc tam amabilia non impedias, & vires tibi ſuppeditet, ut ad ſupremam hanc Beatitudinem quamprimum pervenias.

II. Conſidera, quòd in cœlo *omnia bona ſis perfectè poſſeſſurus.* Hæc perfectio proveniet partim à potentiis gloriâ præditis, partim à bonis ipſis. Cor tuum non erit tunc adeò miſerum, & tam anguſtum, ut nequeat eodem tempore omnia ſimul voluptatum genera in ſe colligere ; imò anima, Gloriæ lumine confortata, ſinum

num suum ita dilatabit, ut futura sit capax gaudiorum ipsius Dei, ùt ipsémet promisit: *Ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Joan. 15. v. 11.* Eodem modo Bona cœlestia invicem se non impedient, ùt se invicem impediunt hujus Mundi bona; cùm enim illa naturæ sint spiritualis, simul consistent, ac se invicem juvabunt, ut nos perfectè felices ac beatos efficiant, atque omnî momentô integram nobis gaudiorum æternitatem in compendium redigent. Propterea docet nos Spiritus Sanctus, quòd in cœlis coram throno Dei sit quoddam veluti mare Crystallinum: *In conspectu Sedis tamquam mare vitreum simile Crystallo. Apoc. 4. v. 6.* quia, quemadmodum Crystallus visum non impedit, sed roborat, & objecta non abscondit, sed facit, ut multò appareant pulchriora; ita omne bonum in cœlo non impediet Beatos, quin alio quoque Bono perfrui possint; sed omnem illis præbebit libertatem, singulîs momen-

tîs

tîs omni voluptatum genere fruendi; adeò ut non solùm bona sua propria perfectè possideant, sed bona insuper omnia reliquorum Beatorum omnium; Caritas enim ibi tam erit perfecta, ut, siquis inter Beatos inveniri defectus posset, is quamprimum à Caritate tolleretur; jam quid fiet, cùm omnes sint Sancti, cùm omnes sint Magni Reges, cùm omnes pleni sint affabilitate, sapientia, & amicitia incomprehensibili? Fiet, ut, dum quilibet amat alium, veluti se ipsum, tot quivis cœlos habeat, quot numerat Gloriæ cœlestis Socios. Quid autem ibi senties in corde tuo, cùm in præmium obsequii, pauculîs vitæ diebûs Deo præstiti, submersum te videbis in Oceano deliciarum inexplicabilium, atque dulcissimum Cœli mel non sorbillando, sed simul omne potando gustabis? Quàm satiaberis illo Beatitudinis alveo, ac in teipso te quodammodo perdes, ut totum in Deo te feliciter invenias! Estne possibile, ut Bona tam magna speres intra

tra modicum tempus, & tantam nihilominus creaturarum habere poſſis rationem, ac adeò perditè miſera illa, quæ tibi creaturæ promittunt, ſolatia ſecteris? Eſtne poſſibile, ut modica pœnitentia & exiguo labore terreri te ſinas? Et qua pœnitentia? quo labore? An opera illa, quæ tantam tibi gloriam pariunt, digna cenſes hoc nomine? O beatos ſudores, qui tantam tibi requiem pariunt! O beatam tui afflictationem, quæ tantum tibi afferet ſolatium! O beatas tui depreſſiones, quæ in tantum tibi honorem cedent! Unum duntaxat ſupereſt, quod petas cum Propheta, ut nimirum ſemper habites in domo Domini. Quid refert, pauculîs diebûs in hac terra incommodè degere? quid refert in hac vita vilipendi, ac contemni? quid intereſt, hîc afflictum vivere? Unica duntaxat in cœlis hora omnes vitæ hujus ærumnas infinito cum fœnore compenſat: *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Pſal. 83. v. 11.*

Eru-

Erubeſce, quòd hucusque opinionibus adeò contrariis locum dederis, & cœli tam immemor fueris, veluti cœlum ænigma tibi eſſet; propone, deinceps frequenter illius meminiſſe; & age Deo gratias, quòd tantum tibi Bonum præparet, tantáque providentiâ te ad illud obtinendum dirigat; roga illum ex intimo corde tuo, ut ita te regat, ut impoſterum ab ea ſemita numquam ampliùs recedas, quæ illuc te reducit, nimirum ab obedientia Divinæ ipſius Legi præſtita: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth.* 19. *v.* 17.

III. Conſidera, quòd omnia iſta Bona, quæ in cœlo tam perfectè poſſeſſurus es, etiam *ſis poſſeſſurus æternùm.* Quis capere ſatìs poteſt, quantum ponderis cœlorum felicitati adjiciat æternitas? Si quodlibet bonum tantò magìs æſtimari debet, quantò magìs eſt diuturnum & ſtabile, quàm erit igitur æſtimanda felicitas illa, quæ non modò eſt immenſa, ſed & ſempiterna? Voluptas viliſſimi è noſtris ſen-

ſenſibus, cùm in cœlo finiri numquam poſſit, meritò præferri deberet omni Beatorum ſimul omnium felicitati, ſi hæc illorum felicitas finem aliquando habitura eſſet; tu inde jam collige, qualis futura ſit beatitudo, qua collectum habebis in corde tuo gaudium, ob bonorum omnium copiam incomprehenſibile, & ſimul per ſeculorum omnium decurſum numquam omnino finiendum. Talis erit hæc beatitudo, ut ex illo plus voluptatis in genere boni ſis habiturus, quàm doloris in genere Mali ſimul omnes Damnati patiantur; adeò, ut vel unica ſtilla immenſi illius gaudii, cui aliquando innatabis in cœlo, ſi in infernum decideret, ſatìs omnino foret, ad extinguenda omnium inferorum tormenta. Pariter ſi nulla in miſero hoc mundo voluptas eſt, quæ non denique vertatur in ſupplicium, ſi non mutetur aliâ; qualis igitur erit magnitudo illius Boni, quod ſemper erit novum, & identidem perget æqualiter te infinito tempore beatum reddere?

Vi-

Vide igitur, quantopere Jeſu Chriſto ſis obligatus, qui, ut tu cum Ipſo regnare poſſes, fieri ſervus pro te voluit; & in Crucem doloribûs ac opprobriîs plenam aſcendit, ut tu invicem in Ipſius thronum aſcenderes! Quàm diabolicus ergo foret ingratus tuus animus, ſi illum non amares; & quantò plùs quàm diabolicus foret hic ipſe ingratus tuus animus, ſi illum inſuper offenderes! Quas Ille tandem artes invenire adhuc debebit, ut ex animo illi ſervire ſtatuas? Quod majus præmium Ille tibi debebit promittere? Clamat Satanas: Servi mihi; & ego, poſtquam durîs te laboribûs ſatìs exercuero, integra tormentorum & cruciatuum æternitate tuos tibi labores remunerabor. Clamat Dominus: Ama me; & ego, poſtquam te ſumma cum modeſtia & benevolentia tractavero, integra infinitorum gaudiorum æternitate tuum tibi amorem compenſabo. Et nihilominus invenire ſit aliquos, qui eligant ſervire dæmoni, & renuant ama-

re Deum, illíque ſervire? Et tu tot affectus à Deo beneficiîs, tam illuſtratus per fidem, adeò per gratiam roboratus, eris in numero creaturarum iſtarum tam infelicium? Vah! Cœlum! Cœlum omne tuum eſt, ſi voci Servatoris tui vis obedire, & ejus exempla ſequi! Erubeſce, quòd hactenus tam exiguam illius rationem habueris, & quodammodo ne dignatus quidem fueris illud deſiderare; atque ita ſtultorum illorum numero acceſſeris, qui cœlum nihili faciunt: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Pſal.* 105. *v.* 24. Indignare tibímet ipſi, tuæque voluntati, quæ toties te permovit, ut illud ob neſcio quam pertinaciam abjiceres, & toties numquam ampliùs illud recuperandi periculo te exponeres; & roga Deum per immenſam illam Caritatem, qua ſuum tibi Regnum ab æterno præparavit, & per amaram illam Paſſionem, qua illud ſuo tibi tempore promeruit, ut gratiam tibi modò largiatur, ut illud

lud tuâ culpâ non amittas ; ſed illius identidem memor, novo amore, novísque laboribus de illius poſſeſſione magìs quotidie certiorem te facias.

Meditatio Quarta
Pro Die Decima.
De Amore erga Deum.
I.

COnſidera tres potiſſimùm cauſas, quæ ad amandum Deum efficaſſimè permovere te deberent ; ſunt autem hæ, quia Deus hunc nobis amorem præcipit ; quia illum meretur ; & quia illum provocat, ac prævenit amore ſuo, & innumeris beneficiis ſuis. Prima igitur cauſa Deum amandi ſuper omnia cætera bona eſt, *quia Deus illum præcipit.* Si Deus nobis prohibuiſſet, ne illum amaremus, cùm ſimus creaturæ tam miſeræ, & indi-

gnæ, quæ ad tantam ſublimitatem aſpirent; deberemus illum continuis precibus fatigare, ut amorem hunc adeò nobilem nobis indulgere & concedere dignaretur; nunc verò cùm ipſe illum adeò ſeverè nobis præcipiat, an illi obſecundare nolemus? Quid aliud in inferno damnati magìs deſiderarent, quàm hujus generis præceptum? Si hujusmodi mandatum promulgaretur in illa Damnatorum abyſſo, ſatìs id foret, ad ignem illum devorantem illico commutandum in ſacroſanctas divini Amoris flammas; quia, ſi Deus hoc præceptum imponeret Damnatis, daret illis etiam auxilia gratiæ, ad illud adimplendum neceſſaria; quibus cùm haud dubiè damnatæ illæ animæ reſponderent, ſqualida illa Mortis æternæ Nox in amœniſſimæ lucis auroram mox illis commutaretur. Qualis igitur excuſatio prodeſſe tibi poterit, ſi hanc ipſam Amoris legem non adimpleveris, poſtquam Deus præparatam habet gratiam, qua juvare te vult? Quódnam ex duobus hiſce pro-

prodigiis erit majus, an Dei benignitas, qua ſe ille eò demittit, ut hominibus hunc ſui amorem præcipiat, quaſi ipſe hominum amore ad ſuam felicitatem indigeret; an hominum ſtupiditas, qui non ſolùm hujusmodi præceptô indigent, ſed poſt illud etiam ſibi ſeverè impoſitum, eidem obſequi recuſant? Tu illud obſervare ſtatue; ſed memento, quòd amor, quem Deo vî hujus præcepti debes, non ſit amor, qui conſiſtat in Verbis, aut in teneris affectibus, ſed ſit amor fortis, & prælationis, ùt appellant; amor, inquam ejusmodi, qui ſi Divina Voluntas & Amicitia in certamen vel comparationem veniat cum aliis quibuscunque bonis creatis, tu Voluntatem Dei & ipſius amorem omnibus bonis aliis anteponas. Erubeſce, quòd hucusque longè aliter egeris, & tam grandem injuriam intuleris Deo tuo, quotiescunque peccâſti; deteſtare ſummopere hanc iniquitatem tuam; propone, mori citiùs, quàm aliàs unquam illam iterum committere; & roga Deum, ut, cùm Ipſe

modîs omnibûs ad ſe amandum te obſtringat; præceptîs videlicet, donîs, promiſsîs, & minîs, tandem aliquando expugnare te velit, & totum te ſuum reddere.

II. Conſidera ſecundam cauſam efficaciſſimam ad amandum Deum ſuper aliud omne bonum, nimirum *quia Deus amorem hunc meretur.* Et hinc, etiamſi Deus hunc tibi Amorem tam ſeverè non præciperet, ſecundùm omnes tamen decentiæ leges, eum Ipſi liberaliter deberes offerre. Siquidem cuilibet amabilitatis gradui juſtiſſimè reſpondet gradus benevolentiæ; cùm igitur in Deo ſit amabilitas infinita, ſequitur quòd illi debeatur infinitus cordium omnium Amor. Ecquam tibi in animo tuo ideam effingis, cùm audis hanc vocem *Deus.* Congrega in imaginatione tua quemdam quaſi cumulum omnium illarum perfectionum, quascunque potes concipere, vel excogitare, pulchritudinem, ſapientiam, ſcientiam, potentiam, ſanctitatem, Majeſtatem, & alias. Hæc omnia dein-

deinde duplica, & multiplica centies ac millies. Et quid efficies? Non est hæc omnia Deus noster, sed est Ens aliquod infinitè majus. Redi igitur ad duplicandum, augendum, multiplicandum, extendendum, & ampliandum omnem hunc ingentem Perfectionum cumulum, & ita duplicando, & augendo perge per totam æternitatem; post multa, imò plurima secula sinè numero, tam longè aberis ab efformanda tibi viva & vera Dei tui idea vel imagine, quàm longè aberas prima die, qua negotium hoc suscepisti. Deus est Ens longè aliud ac diversum ab eo, quod intelligere possumus; est abyssus Bonitatis, Pulchritudinis, Sanctitatis, Sapientiæ, Majestatis, Potentiæ, infinitè superioris omnibûs illìs cogitationibûs, quas in mente nostra concipere possumus, quando has voces proferimus; cùm ipse has omnes perfectiones contineat quidem in se, sed longè alio, ac altiore modo, quàm

 nos

nos possumus comprehendere; possidet enim illas absque ullo termino, quia est Infinitus; possidet illas sinè admixta vel minima imperfectione, quia est Actus purissimus; possidet illas, quin aliquid accipiat ab ullo alio, quia est Independens, ùt ajunt Theologi, & dependet à nemine; possidet illas absque defectu, quia est omnis boni plenitudo; possidet omnes simul, quia est Immutabilis; possidet illas sinè timore, eas aliquando perdendi, quia sunt ipsi propriæ atque congenitæ. Dominus itaque tam amabilis, qui, revelata facie duntaxat visus, abunde sufficeret ad Beatos omnes in gaudiorum oceano æternùm submergendos; qui, revelata facie duntaxat visus, abunde sufficeret ad infernum omnem illico convertendum in cœlum, deinde tamen non sufficiet ad obtinendum à te amorem tuum! Video, quòd unica boni stilla, quàm à Creaturis accipis, cor tuum illico lucretur; & illud tamen non lucrabitur infinitus ille Perfectio-

num

num Oceanus, qui continetur in ſinu Dei? Si benevolentiam haberes infinitam, omnem illam ſupremæ illi Majeſtati in tributum deberes reddere; nunc verò, cùm amor tuus ſit adeò parcus, & adeò limitatus, voles illum non tantùm dividere, ſed & partem Illi minorem dare? Et quid magni denique à te petit Deus, cùm petit, ut primum illi locum cedas in corde tuo, & Ipſius amicitiam omni alteri bono creato præferas? Qualis igitur tibi erit ignominia, ſi & hoc modicum Deo non velis concedere? Omnes tibi creaturæ ſerviunt ea lege, ut ipſarum & tuum Dominum ames; ac proinde, ſi tu illum non modò non ames, ſed & offendas, mereris, ut creaturæ omnes adversùm te inſurgant. Erubeſce igitur, quòd vitam tuam hactenus tam malè impenderis; pete omnium culparum tuarum veniam; propone, perturbato huic vivendi generi remedium afferre, ac modum ponere; & roga Deum,

ut, cùm ipſe de cœlo venerit, ut in hominum cordibus cœleſtem hunc ignem accendat, eundem etiam accendat in corde tuo, tibíque gratiam impertiatur, ut illum non ampliùs extingui ſinas per omnem æternitatem.

III. Conſidera tertiam ſacroſancti hujus amoris cauſam, quia nimirum *Deus illum provocat* amore ſuo, & beneficiis inexplicalibus, quæ nobis contulit; unde etiamſi non petîiſſet ipſe hoc tributum cordis noſtri, etiamſi illud etiam aliunde non meruiſſet, hoc tamen illi deberemus in remunerationem, cùm amor bene penſari non poſſit, niſi amore mutuo. Interim quî fieri poteſt, ut difficultas occurrat in amando Deo, cùm ille prior nos amaverit? Et tamen ignis non faciliùs accenditur, quàm per ignem alium. Omne igitur frigus noſtrum aliunde provenire non poteſt, quàm ex eo, quòd numquam nos impendamus ſeriò conſiderandis bonis illis, quæ nobis voluit Deus, & bonis illis,

quæ

quæ nobis præstitit. Itaque considera, quòd Divina erga te Caritas fuerit æterna simul, & infinita. Æterna fuit, cùm Deus non amaverit priùs seipsum & proprium suum Bonum, quàm amaverit te, & desideraverit, te ejusdem Boni sui participem facere. Hæc ipsa erga te Caritas pariter est infinita; nam Jesus Christus, per voluntatem suam humanam, unicam duntaxat animam hujus Mundi magìs amat, quàm Sancti omnes, & Beati omnes in cœlo ipsum ament; judica jam, quantùm ille amaturus sit animam hanc per voluntatem suam Divinam; certè tantò plùs illam amabit, quantò magìs Caritatem creatam superat Increata, Deóque propria & congenita Caritas, quæ Deus ipse est: *Deus caritas est.* 1. *Joan.* 4. *v.* 8. Deus igitur te amat eodem ipso amore, quo se ipsum amat; & licèt propterea non tibi velit bonum illud, quod sibi vult, nempe esse Deum per naturam, quia hoc est impossibi-

ſibile ; vult tibi tamen bonum immenſum ; quia te vult facere velut alterum Deum per ſui communicationem in cœlo ; quod bonum infinitè ſuperat omne aliud bonum, quod tibi optare poſſent omnes Creaturæ, etſi illæ ſimul omnes in tuum commodum impenderent omnem amorem ſuum. Adjunge deinde bono illi, quod tibi voluit, etiam bonum illud, quod tibi præſtitit. Sed quis id poterit comprehendere, quod nullum habet terminum ? Quid aliud ſunt omnes creaturæ ſinè numero, quàm totidem beneficia, ex quibus tu interiùs totus es compoſitus, & quæ exteriùs ab omni latere te circumdant ? Atque hoc eſt minimum: Pater æternus, ut te liberaret ab infinita inferni miſeria, téque participem faceret infinitæ felicitatis in cœlo, Divinum ſuum Filium tibi donavit ; & Filius hic Divinus eundem in finem pro te dedit vitam ſuam poſſibilium omnium vitarum pretioſiſſimam, ídque inter dolores, con-

temptus & opprobria, qualia nullus unquam hominum toleravit; & Spiritus Sanctus ad hoc utrumque donum etiam ipse infinito cum amore concurrit. Si Pater æternus habuisset aliquid melius, quàm Unigenitum suum Filium, id tibi donâsset, ut tuum sibi amorem conciliaret; & si Unigenitus Patris Filius habuisset aliquid melius, quàm Vitam suam, etiam ille id tibi donâsset, ut mutuum sibi affectum tuum compararet; & si Spiritus Sanctus majorem habuisset amorem, etiam illum pro te impendere non dubitâsset; at majus & melius præter ista non habuêre; & tamen ista tibi non sufficiunt, nec te movent, ut illlis obsequaris? Aliud profectò neque in Terra, neque in Cœlis est, quod majorî constet pretiô, quàm amor tuus; cùm pro novem Angelorum choris, ac pro omnium illorum amore nec gutta Divini Sanguinis sit effusa; tui verò amore Sanguis hic totus est effusus; &

ta-

tamen tu recuſabis amare Deum? Solus aliquis intuitus, quo te Deus vel ſemel dignatus eſſet; & leve quoddam incommodum, quod Ille ſuſtinuiſſet, ut aliquid tibi boni præſtaret, ſatìs à te compenſari non poſſet per integram Amoris tui æternitatem, & per oblata ipſi infinita mortalium corda; quanta igitur ingrati animi labes erit, ſi Deo neges cor illud miſerum, quod habes; poſtquam tamen ille id ſibi comparavit, largiendo tibi bona infinita, liberando te à malis pariter infinitis, & honorem, quietem, lætitiam, libertatem & vitam divinam in tuum commodum immolando? Profectò ſi te totum in obſequium hujus ſummi benefactoris tui conſecrare non vis, jam nunc teipſum condemnare potes, ac fateri, quòd infernus pro tuis meritis ſit pœna nimis quàm exigua. Erubeſce igitur de frigore tuo, & ingrato nimis animo; deteſtare hunc millies; & firmiſſimè ſtatue, quòd

quòd Deus impoſterum tuus ſit futurus Dominus; quòd illum pro infinito ſuo merito ſummè ſis amaturus, & pro illo ſemper facturus ſis id, quod in ullius alterius hominis gratiam numquam facturus eſſes; quòd illius ſemper commoda ſis cordi habiturus; quòd peccatum, unicum Dei inimicum, tam in teipſo, quàm in aliis perſequi velis ac impedire; quòd denique nihil aliud prius & antiquius habere velis, quàm ut ipſi ſatisfacias ac obſequaris. Atque hoc denique tuum ſit propoſitum, propoſitorum omnium primum ac ultimum, hoc ſit deſiderium deſideriorum tuorum omnium, hæc ſumma orationum ac petitionum tuarum omnium, ut perfectè Deum ames. Dic illi, quòd, licèt tu ingrati ſis animi peccator, ille tamen ſit Miſericordiæ Deus, qui ab ingratis mentibus ſe vinci non ſinit; &, quamvis tu non merearis illum amare, ille tamen amari mereatur infinitè; finies itaque, te totum offe-

ferendo Divinæ Majeſtati devotiſſima illa S. Ignatii precatione:

Suſcipe, Domine, univerſam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam; quidquid habeo, vel poſſideo, tu mihi largitus es; id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolùm cum gratia tua mihi dones; & dives ſum ſatis, nec quidquam aliud ultrà poſco.

Omnia

Ad Majorem Dei Gloriam.



VIA COELI COMPLANATA,

SEU

Detecta ſalutis impedimenta, & Methodus eadem Superandi,

Pro ſacræ Lectionis argumento in ſingulos Exercitiorum Spiritualium Dies

Italicè primùm propoſita

A

P. JOANNE PETRO PINAMONTI SOC. JESU.

Dein Latinè reddita Ab alio ejusdem Societatis Sacerdote.

Permiſſu Superiorum.

PEDEPONTI,
Sumptibûs Joannis Gaſtl, 1743.



INTRODUCTIO AUTHORIS.

U*Num ex maximis beneficiis, quæ nobis humana in carne Deus exhibuit, fuit iſtud, quòd illa, quæ multifariam in via ſalutis ſeſe nobis opponunt, impedimenta removerit. Iſtud eſt, quod tanto jam antè tempore divino edoctus ſpiritu prædixerat Iſaias Propheta, ubi Deum, cùm in hunc Mundum deſcenderet, vias aſperas complanaturum, & ſinuoſis anfractibus impeditas effecturum directas edixit:* Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. *Iſ.* 44. *Duplici autem medio tam inſigne nobis beneficium præſtare voluit Redemptor Optimus. Inprimis divinâ ſuâ doctrinâ, ſanctiſſimisque exemplîs hæc ipſa ſalutis impedimenta nobis detegendo; dein divinâ ſuâ gratiâ,*

quò certiùs illa devinceremus, debiles nostras vires suffulciendo. Hæc proinde tam benevola, atque ad salutem nostram tam proficua Amabilissimi Servatoris Nostri intentio, ut effectum sortiretur, exiguus isthic, quem manu tenes, libellus conscriptus est; ut nempe & illa tandem agnoscas, quæ salutis semitam adeò difficilem reddunt, & ea insuper superandi methodum addiscas. Hæc est materia, quæ Christianorum necessitatibus videtur omnium maximè accomodata; quam proin, ut in præsentiarum clarè pertractemus. unamquamque Lectionem in tria puncta dividemus. In 1. impedimenti cujusque naturam; in 2. damnum, quod affert saluti; in 3. remedium exponemus, quo ab illo liberare nos poterimus. Concedamus primum locum illi impedimento, quod omnia reliqua post se trahit, & est

Languor in fide.



LE-



LECTIO I.

De Impedimento, quod affert Saluti noſtræ Languor in fide.

SI quis litem haberet in judicio, è cujus deciſione, ſpe omni ulterioris appellationis adempta, omnes ſuæ fortunæ, honor, fama, ipſa denique vita dependeret, indubitatum omnino eſt, quin talis extremas tum corporis tum animi vires, omnésque facultates in id unum ſolertiſſimè impenderet, nullúmque remedium, utut difficillimum, dummodo ad procurandum felicem tantæ rei eventum fore idoneum videret, intentatum relinqueret, ut victoriam reportaret. Et tamen, quid foret lis ejusmodi, niſi jocus quidam puerilis, ſi cum illa comparetur, qua omnis homo Chriſtianus in vita præ-

ſenti conſtanter vivit implicitus; ubi duas inter æternitates poſitus, de cauſæ ſuæ exitu ſemper pendet incertus, & ignorat, an poſt mortem habiturus ſit in Deo Patrem Miſericordiarum, qui ipſum æterna felicitate ſit donaturus in cœlo; an verò juſtitiæ Vindicem, qui perpetuîs eum ſuppliciîs ſit cruciaturus in inferno? Hoc tamen non obſtante, communiter apud homines non modò tantam non videmus ſolicitudinem, ut cauſam hanc omnium longè graviſſimam ad felicem exitum perducant, ſed è contrario cernimus potiùs, eos nova ſibi ipſis identidem, & nova ponere obſtacula, quæ tanti momenti victoriam ùt plurimum impediant, ac ſi ultro in ruinam properarent. Quapropter, cùm in libello Exercitiorum id præcipuè tractetur, ut ſecuram reddere animæ noſtræ ſalutem poſſimus; non videtur utilior pro iſtorum dierum lectione inveniri poſſe materia, quàm ſi illa impedimenta in medium afferamus, quæ noſtræ ſaluti potiſſimùm adverſantur, quæque reliquorum omnium, & ipſius quoque ſunt radix peccati, quod impedi-

dimentorum omnium eſt maximum. De hac proinde materia in præſentiarum tractabimus, eámque claritatis, & tædii levandi gratiâ in tria ſemper puncta dividemus. In 1. impedimenti naturam; in 2. damna ex illo emergentia; in 3. remedium, quo removere illud poterimus, ob oculos ponemus. Primum locum illi concedamus, quod reliqua omnia poſt ſe trahit, & eſt Languor in fide.

Fides eſt virtus, quæ partim reſidet in intellectu, qui ſuperno illuſtratus lumine veritatibus à Deo nobis revelatis firmiſſimè aſſentitur; partim etiam voluntatem afficit, quæ & ipſa, cœleſti colluſtratione excitata, intellectum inclinat, eidémque aſſenſum firmiſſimum, iis ipſis rebus propter ſupremam Dei revelantis authoritatem præſtandum, imperat. Unde fidei debilitas duplici ex radice enaſcitur; una in eo poſita eſt, quòd intellectus cùm ipſa myſteria revelata, tum etiam credendi motiva tantùm obiter apprehendat; altera verò in hoc, quòd voluntas erga eadem parùm afficiatur, nec, ut ea penetret, multùm

curet. Videbis quandoque ex Christianis non paucos, quos potiùs nascendi conditio, quàm bona voluntas Fidelibus adiunxit. Sunt fideles, quia per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam; de cætero autem tam parùm sciunt de illis prærogativis, quibûs Religio nostra supra omnes alias sectas altissimè eminet; tam parùm vitæ suæ rationem doctrinæ Evangelicæ dogmatis conformant, ut eos vix ullo ex capite distinguere ab infidelibus queas. *Quis tu hic, aut quasi quis hic?* Isaias Propheta exclamat, quasi dicat: tu quis es, qui, ut ita loquar, unico tantummodo pede in Sancta stas Ecclesia, nec aliud quidquam in te exhibes veri Christiani præter inane illius nomen? jure igitur merito, diminutam esse multorum fidelium fidem, lamentari cum Regio Propheta possumus: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Ps. 11. eò quòd quàm plurimi, tametsi credant proposita sibi mysteria, credant fide usque adeo obscura, támque parùm donô intellectûs illustrata, ut ea ferme ratione illius veritates attingant, qua cœcus ille homines vidit: *Vi-*

Video homines, velut arbores, ambulantes. Marc. 8. Deus, qui naſcitur in ſtabulo, ut rerum humanarum contemptum nos edoceat; Deus, qui triginta vitæ ſuæ annos in paupercula fabri lignarii officina exigit, ut ad humilitatem nos erudiat; Deus, qui omnes Palæſtinæ regiones nudipes peragrat, ut viam ad cœlum nobis oſtendat; Deus, qui, ut peccatum deſtruat, in cruce acerbiſſimam obire mortem non dubitat; nihil admirationis in eorum cordibus excitat; &, qui Senecam admirantur, quòd Philoſophiæ placita dictando, mortem oppetîerit; qui notam illam Trajani caritatem, qua proprium diadema conficiendis faſciis, ad obligandas vulneratorum militum plagas impendi voluit, ſtupentes ſuſpiciunt; ſinè ullo quaſi ſenſu perſiſtunt, ſi altiſſima ſacri Evangelii dogmata percipiunt; ſi Filium Dei, ut animarum noſtrarum vulnera perſanaret, acerbiſſimis quibusque tormentis innocentiſſimam ſuam carnem obtuliſſe intelligunt. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Simili modo, & hîc quidem multò adhuc ampliùs, deficere

fidem deprehendimus, prout hæc esse debet non solùm regula credendi; sed etiam operandi; illi enim ipsi, qui Christum Jesum in revelatis nobis mysteriis Magistrum agnoscunt, haudquaquam se illi in sua vivendi methodo subjiciunt: & quando ex infallibili Divini Servatoris ore intelligunt, beatos esse illos, qui ipsius amore persecutiones patiuntur; illos, qui ipsius amore paupertatem amplectuntur; illos, qui ipsius amore deliciîs abstinent; illos, qui ipsius amore injurias condonant; his omnibus, aliísque similibus sanctioris vitæ regulis suo in corde resistunt, dicendo; hæc omnia quidem vera esse secundùm Deum, non autem secundùm mundum; & hac tam vesana distinctione sufficienter se omnibus Incarnatæ Sapientiæ rationibus respondisse arbitrantur: unde illorum fides similis est argento vivo, quod ubique aurum sequitur, præterquam in igne; ita illorum fides Divini Magistri authoritatem sequitur, quamdiu hæc authoritas eorum passionibus non adversatur; secus si contingat, protinus illum destituit.

De

De Damno, quod Saluti noſtræ affert hujusmodi fides.

Quis pro dignitate jam explicet omnia illa mala, quæ ex fatali hac ſcaturigine, fidei nimirum debilitate, in populum Chriſtianum emanant? Poteſt cum veritate dici, nullum eſſe malorum genus, quod non ex hoc fonte deſcendat; eámque cauſam eſſe præcipuam, ob quam innumerabiles animæ æternis inferorum ſuppliciis mancipentur. *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* inquit Huſſæus Princeps S. Job. c. 4. v. 20. ubi illud præcipuè advertas, velim, quòd non dicat: peribunt in æternùm, quia non credunt, ſed quia non intelligunt: *Quia nullus intelligit.* Ita pariter miſerandi illi peccatores, qui coacti ſunt in inferno confiteri inſaniam ſuam: *Nos inſenſati &c.* non ideò in lamenta erumpunt, quòd non crediderint; ſed quòd non bene intellexerint: *Sol intelligentiæ non ortus eſt nobis.* Sap. 5. v. 6. Verùm ut magìs ad particularia deſcendamus; omnia illa mala, in quæ Chriſtianum populum fidei debilitas propellit, ad duo reduci capi-

pita possunt, nempe lucrum cessans, & damnum emergens. Ad hoc denique languida fides deducit, ut omnem virtutem amittamus, & in omne scelus misere proruamus.

Primò igitur defectus fidei Christiano populo pretiosissimum illum virtutum omnium aufert thesaurum, qui eundem primìs Ecclesiæ temporibûs adeò divitem reddebat. Hujus thesauri magnitudo aliqua ratione ex magnitudine Caritatis colligi potest, quæ utpote virtutum omnium Regina omnem reliquarum apparatum post se trahit. Caritas ergo, qua Christiani tunc temporis in Deum ferebantur, adeò erat incensa, ut, teste Tertulliano, tantus illorum, qui crudelissimis tyrannorum tormentis sese ultro offerrent, numerus reperiretur, ut Antonius Asiæ Proconsul, & Tyberianus Palæstinæ Gubernator Adriano & Trajano perscriptìs litterìs denuntiarent, se tantam non potuisse carnificum invenire copiam, quæ tot Christianis, qui ultro ad supplicia accurrerent, occidendis sufficeret. Porrò hæc ipsa Caritas eò usque etiam erga proximum ascendebat, ut

ut S. Clemens ſuo tempore ex Chriſtianis non paucos ſe noviſſe teſtetur, qui fortunîs ſuîs omnibûs in pauperes diſtributîs, tandem venumdare ſemetipſos, & duriſſimam ſubire ſervitutem non dubitarent, ut hac ſaltem ratione acquirerent, quo proximi neceſſitatibus ſubvenirent. Nunc autem talia Caritatis prodigia inter Chriſtianos quis facilè reperiat? & quam tandem iſtud præcipuè ob rationem, niſi ob fidei debilitatem? Arborem quamdam ſuis frondibus ſpolia; reſarciet brevì iterum exarmatus truncus illatum ſibi damnum, & amputati ramuſculi vivaciori, quàm unquam aliàs virore effloreſcent; at verò radicem ſuccide, aut ſubtracto naturali vigore illius vires enerva; poſt brevem temporis lapſum rami ſimul cum ſtirpe exareſcent. Jam verò, quod radix eſt arbori, hoc ipſum eſt animæ fides; hæc principium eſt vitæ illius; hæc eſt, quæ animam frugiferam efficit, eidémque alimenta ſubminiſtrat. Unde & radix immortalis nuncupatur: *Scire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* Sap. 15. v. 3. Quare, ſi vivit Chri-

Chriſtianus homo, de fide vivit: *Juſtus autem meus ex fide vivit.* Rom. 1. v. 17. Si adversùs eum inferorum poteſtas inſurgat, fide ſe defendit: *Cui reſiſtite fortes in fide.* 1. Pet. 5. Si infelici lapſu Dei gratiâ excidat, fides eum, mediante pœnitentia, in priorem Divinæ amicitiæ gradum reſtituit: *Fide purificans corda eorum.* Act. 15. Uno verbo, Fides fœcundiſſima illa eſt radix, ex qua omnes, quotquot Chriſtianam exornare animam poſſunt, virtutes progignuntur: *Miniſtrate in fide veſtra virtutem*, inquit S. Petrus, *in virtute autem ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis caritatem.* 2 Pet. 1. Hanc igitur radicem qui detruncat, aut illius ſaltem vigorem infringit, omnem detruncat, aut enervat virtutem, nec fructum ſolummodo, ſed folia etiam, externam ſcilicet Chriſtiani hominis formam, deperdit.

Magnum equidem malum eſt lucrum hoc ceſſans, & tantô, de quo hucusque diſſeruimus, bonô privari; ſed planè ex-

exiguum dici poteſt, ſi cum altero, longè adhuc majore, nempe damno poſitivo, quod exinde quoque reſultat, conferatur. Apoſtolorum Princeps S. Petrus, cùm, ſuper pelagi fluctus incedens, mergi inciperet, totam culpam in ventos referebat: *Videns ventum validum timuit.* Matth. 14. at Chriſtus Dominus fluctuantem ejus fidem incuſavit: *Modicæ fidei, quare dubitâſti?* Simili prorſus ratione ex Chriſtianis plerique unicam profligatæ ſuæ vitæ cauſam aut tentationis vehementiam, aut fragilitatem obtendunt; reipſa autem, ſi ſtatûs tam lamentabilis originem inveſtigare penitius voluerimus, languentem, & pene emortuam eorum fidem eſſe tot peccatorum, in quæ quotidie prolabuntur, cauſam, deprehendemus, ſinè qua numquam eos in tam miſerabilem pertrahere peccati ſervitutem veterator ſtygius ulla ratione valeret. Falco aperto in aëre enutritus, ad agendas tam nobiles prædas à natura efformatus, tanta præditus fortitudine, tam generoſa indole inſtructus, nunquid ſe alligari perticæ pateretur? numquid ſuos intra laqueos, quin eos un-

unquam disrumpere tentaret, tanta cum patientia persisteret, nisi priùs utrumque sibi obligari oculum sustinuisset? Quomodo fieri posset, ut Christianus, cui in comperto est, quodlibet peccatum injuriam esse, Supremæ Numinis Majestati illatam, adeóque omnium malorum longè maximum; ut Christianus, qui fatetur, & indubia fide pro certissimo tenet, Verbum Incarnatum crucis mortem subîisse, ut moriendo peccatum è mundo eliminaret, quod idem est ac dicere: Unigenitum Dei Filium, ut abominandum illud monstrum, peccatum scilicet, destrueret, quasi Semetipsum destruxisse, quando nimirum unionem, quæ pretiosissimam illius animam inter & corpus Sacratissimum intercesserat, incredibili tormentorum atrocitate in cruce violenter disrumpi permisit, atque per tres integros dies cessavit à nobilissimis operationibus illius vitæ, humanæ simul, ac divinæ, cujus vel momentum unicum omnium reliquarum creaturarum vitam valore superabat; quomodo, inquam, possibile foret, ut Christianus, qui vî suæ fidei obstrin-

ſtringitur, potiùs mille vitas profundere, quàm vel mimimam de hiſce veritatibus dubitationem admittere, tam præpoſteram ſibi peccati ideam in praxi formaret? multi etenim illud, ùt levitatem juvenilem, alii ùt fragilitatem quandam, quæ facilè veniam mereatur, alii denique ùt rem nullius penitus momenti, peccatum ſibi imaginantur; et non modò pro nihilo habent, lethiferum ipſi ſcelus perpetrare, aut in illo patrando etiam alios adjuvare, ſed ſæpenumero inde ludendi & jocandi ſumunt occaſionem; imò eò usque deveniunt, ut peccâſſe etiam gloriæ ſibi ducant; quaſi eos criminum etiam magìs pudendorum maculæ pretioſiores efficerent, quemadmodum marmorum maculæ eorundem elegantiam juxta ac pretium ùt plurimùm adaugent. Illi autem, qui eò perverſitatis non progrediuntur, nihilominus tam parùm quoque peccati malitiâ percelluntur, ut contractam hanc peſtem per menſes complures ſinè ulla ſolicitudine in anima circumferant; culpam interea culpâ accumulantes, donec, appropinquante aliqua ſolemnitate ſacra, illud

tandem deponere exhomologesi decertant. Et sic illi ipsi, qui induci nullatenus possent, ut cum lacertula eodem in lecto vel nocte unica dormirent, per longam non rarò vitæ suæ partem peccati virus circumferre animô non formidant, nihílque timoris inde persentiscunt. Et isti sunt filii lucis, ut omnes Fideles Apostolus appellat! Isti sunt discipuli Verbi Incarnati! Isti sunt filii Sanctorum, hæredes tot millionum Sanctorum Martyrum, qui nos præcesserunt, & vitam cum sanguine inter tormenta varia & atrocissima profuderunt, ne peccatum, etiam in speciem excusabile, quale fuisset, ore solummodo negare fidem, retinere autem corde, unquam admitterent? Ita omnino est; omnium istorum causa est debilitas nostræ fidei; quæ appropinquare nos facit infaustis illis temporibus, de quibus Amabilissimus Redemptor edixit, se quasi dubitare, an veniens in terram fidem, tot cruciatibûs plantatam, & Divino suo sanguine rigatam, etiamnum esset reperturus: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18. v. 8. Ve-

rùm

rùm interea quàm exoptata dæmoni in hoc turbido piscandi occasio aperitur? Christianus hac ratione quasi in infidelem transmutatur. Hæc tam imperfecta & superficialis rerum divinarum cognitio eum non magis ad operandum impellit, quàm si omnino nihil cognosceret; &, quemadmodum S. Augustinus advertit, tametsi clarissima lux fideles circumstet, nisi oculos aperire velint, ut videant, parùm à paganis differunt, qui in tenebris commorantur. *Quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit?* Prov. 17. v. 16. Quid prodest ipsis, habere thesaurum adeò pretiosum, qualis est fides Christiana, si postmodum abscondunt eum, aut in terram defodiunt, nec illius ope æternam sibi vitam comparare student?

Remedium ad tollendum hoc impedimentum.

Nullúmne autem malo tam desperato inveniri remedium possit? potest enimvero; dummodo ille, qui in statum tam miserabilem delapsum se esse dignoverit, seriò illud adhibere voluerit. Primò igi-

tur, & ante omnia continuîs precibûs divinam exorare Clementiam necessum erit, ut grande hoc fidei donum nobis de cœlo largiatur: *Adauge nobis fidem*; rogare insuper S. Spiritum, ut præter donum fidei, nobis in S. Baptismatis lavacro communicatum, donum quoque intellectûs infundat, quod nos divina mysteria intelligere, & penetrare cum claritate edoceat. Videte, quomodo hac in re Vir secundùm cor Dei, Rex David, se gesserit; Hic quamquam tanta divinitus luce illustratus, nihilominus novum in omnibus ferè suis Psalmis à Deo lumen poscebat. Similes vos esse credite cœco illi, quem Christus Dominus propè civitatem Jericho sanâvit; hic, quantumvis, utpote mendicus, rebûs multîs indigeret, nihil tamen à Redemptore nisi visum petebat: *Quid tibi vis faciam? Domine, ut videam.* Luc. 18. Hoc solum sufficiet, & erit locô omnium, si imposterum cœcus ampliùs non fuero. Equidem non dico, ut solam hanc gratiam Benignissimum Numen flagitetis; hoc tantummodo dico, ut hanc præ omnibus flagitetis, ut superno lumine intellectum ve-

veſtrum cupiosè illuſtret, quò clariùs veritates, per fidem revelatas, penetretis; hæc enim gratia omnes reliquas ſinè dubio ſecum trahet. Si hujusmodi preces veſtræ humili ex corde procedant, quo vos indignos fateamini, quos Deus exaudiat; ſi inſuper precibus veſtris conſtantiam junxeritis, pro indubitato habete, operæ vos pretium relaturos ab illo Domino, qui hunc in finem de cœlo deſcendit, ut vos è tenebris liberaret: *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum.* Col. 1. v. 13.

Cæterùm jam diximus, debilitatem fidei partim ab intellectu, parùm divinas veritates cognoſcente; partim à voluntate, non eo, quo deberet, affectu easdem proſequente, provenire. Atque ideo, ut huic malo medelam afferamus, curandum eſt ſummopere, ut cor noſtrum cœleſti robore firmetur, & mentis noſtræ tenebræ diſpellantur. Quapropter utiliſſimum utique foret, ſi Chriſtiani omnes ad rerum illarum, quæ ad ſalvandam animam pertinent, conſiderationem diligenter incumberent; ſicut enim ſol ſalutari ſuo influxu ad conſer-

vandam corporis ſanitatem plurimùm confert, ita pia rerum illarum meditatio omnia bona in animam importaret; inconcuſſa enim ſua divino oraculo ſtat veritas, quo dicitur: *Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis ejus maximè aſſiduus eſto; & ipſe dabit tibi cor.* Eccli. 6. v. 37. Verùm quia non omnes ad hoc ſunt habiles, ut, ſibi ſolis relicti, absque alio adminiculo valeant meditari, medium magìs univerſale erit, legere cum attentione & reflexione pios ejusmodi libros, qui Sanctiſſimæ noſtræ fidei myſteria explanant. Dixi: legere cum attentione & reflexione; nam qui granum ſinapis integrum deglutiverit, tam parùm ex eo acrimoniæ, quàm ex granulo arenæ ſentiet; at verò ſi dentibûs lentè maſticando contriverit, tantam ex illo prodire virtutem advertet, quæ copioſas etiam ex oculis protrudere lacrymas queat. Profectò res eſt, quæ jure meritiſſimo quemvis ſummo horrore perſtringat, ſi conſideret, quàm exiguam Chriſtiani de Jeſu Chriſto habeant notitiam; quàm parùm ſciant, quàm rudem habeant ideam de immen-

ſa

ſa illius Majeſtate & Potentia, de præclaris illis prærogativis, propter quas, ut non modò ei à toto genere humano ſerviatur, verùm etiam, ut ab omnium cordibus intenſiſſimè diligatur, innumeris utique ex titulis promeretur; ipſe namque omnis noſtræ felicitatis cauſa eſt, atque origo, utpote qui nos & infinitîs malîs liberavit, & infinita inſuper nobis bona contulit; & hæc quidem non ſolùm præpotenti ſuo Patrocinio atque Authoritate; ſed acerbiſſimîs ſuîs cruciatibûs, imò ipſa etiam morte, quam amore noſtri ſuſtinuit, longè acerbiſſima. Jam verò de divino hoc objecto Chriſtiani communiter quid ſciunt? & tamen hoc unicum illorum deberet eſſe ſtudium, juxta illud, quod dicebat Apoſtolus: *Non judicavi, me aliud ſcire, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* 1. Cor. 2. Tantum de Chriſto ſciunt, quantum ſufficit, ut Sacroſancto ipſius nomine ad perjuria & blaſphemias abutantur. Sed quid hoc mirum, ſi à nemine unquam his de rebus inſtruantur? Solemniores feſtivitates, quas referendis divinæ Bonitati gratiis, & divinis myſte-

riis addiſcendis deberent impendere, illi propemodum univerſas ad litandum liberiùs genio, ad captanda mundana ſolatia, ad explendam gulam, & majorem veſtimentorum luxum, atque utinam non etiam ad impudentiorem Supremæ Majeſtatis, quam tum maximè colere deberent, offenſionem impendunt. Unde autem, amabo, ſi omnes undique clauſæ ſint feneſtræ, ſupernæ lucis radius ſubintret? Quapropter conſilio meo acquieſcite, ſacríſque in libris auxilium quærite, & intra brevem temporis lapſum vix non palpabilem in animo veſtro mutationem advertetis. De illis autem vobis libris proſpicite, qui præcipuè ad hunc finem conducunt; cujusmodi forent ad intelligenda Redemptionis noſtræ myſteria, Opera P. Ludovici Granatenſis, & ſpecialiter hujus *Introductio ad Symbolum fidei:* Opera P. Joannis Nierembergii, præſertim ipſius *Catechismus, & Divini Amoris Prodigia.* Ad dignoſcendas autem veritates, juxta quas vitæ veſtræ rationem ordinetis, Opera P. Pauli Segneri, præcipuè illius *Homo Chriſtianus*, & ſimiles. Conſultum inſu-

ſuper erit, antequam libri cujusquam electionem faciatis, ut ne erretis in re tanti momenti, Confeſſarii conſilium exquirere. Certiſſimum omnino eſt, multos nos hodie Sanctos ſuper altaria venerari, qui inſignem ſuam, qua modò ſplendeſcunt, ſanctitatem à lectione pii cujusdam libri auſpicati ſunt; quales ſunt S. Auguſtinus, S. Ignatius Lojola, S. Joan. Columbinus, & alii plures. Verùm ſinè comparatione plures æternîs modò inferorum ſuppliciîs excruciantur, qui, ſi ſuum quoque piorum librorum lectioni tempus tribuiſſent, haud dubiè à via ſua mala converſi ad Dominum, perpetuîs modò Beatorum gaudiîs cœleſti in Paradiſo perfruerentur. Divina Bonitas partim minîs, partim beneficiîs nos ad ſe pertrahere conatur; & poſtquam naturam humanam aſſumpſit, duobus his mediis tertium, illúdque efficaciſſimum, ſanctiſſima nimirum ſua exempla adjunxit. Verùm hoc totum quid prodeſt, ſi vos ad illa ne quidem unquam animum advertatis, aut illa nunquam aſpectu dignemini? Quid utilitatis affert navigantibus mappa, ſi eandem

dem ſemper Nauclerus complicatam retineat, & nunquam explicet? Lingula magnetica quid juvat, ſi perpetuò clauſa teneatur? At verò, dicetis mihi forſan, de iſtis cogitandi, aut eadem legendi vos tempus deficere: hoc ſi ita ſe habet, poterit meliori jure vobis illud reſponderi, quod à Diogene reſponſum eſt illi, qui interroganti, cur Philoſophiæ non ſtuderet? defectum temporis obtendebat; nempe: *Quid igitur vivis?* ùt quid igitur, non dicam in terra, ſed in feliciſſimo S. Matris Eccleſiæ gremio hæſitatis, ſi ne tantum quidem lucrari vos poſſe otii arbitramini, ut neceſſaria ſalutis remedia condiſcatis? abunde vobis utique tempus ſufficit, ut perluſtrandis ludicris comœdiis, inanibus novis, libellis non niſi figmenta, & vanas ineptias venditantibus, atque utinam non etiam ùt plurimùm periculoſis, & latente animarum peſte infectis, non rarò integras dies noctésque tribuatis; & tantum obtinere otii non valeatis, ut legendo pio libello, qui viam ad cœleſtem Paradiſum vobis commonſtret, veſtrámque vobis, qua Deo obſtringimini, obligatio-

tionem in memoriam revocet, unam alterámve subinde horulæ partem concedatis? conquerimini postmodum, & crebrîs suspiriîs ingemiscitis, quòd assurgentes continuò in cordibus vestris pravæ cogitationes vos impugnent; sed cur non bonas menti cogitationes inseritis, quæ malis locum & palmam in corde præripiant? herbæ perniciosæ, lolia, & zizania sponte nascuntur; at verò herbæ salubres & pretiosæ non nisi post longam culturam, & constantem agricolæ industriam succrescunt. Illud autem in dies singulos legendum suscipietis, quod conscientiæ vestræ Arbitro opportunum esse videbitur; ubi præprimis caveatis, oportet, ut ne oculis nimiùm properantibus assignatam materiam percurrendo, potiùs curiositatem vestram, quàm pascere animam quæratis; numquam enim cibus, si festinatò & integer devoretur, nutritionem promovet; sed tunc solummodo suum corpori augmentum adjicit, ubi lentè masticatus in stomachum demittitur. Denique, antequam lectioni initium dabitis, & simul postquam eidem finem impo-

ponetis, ſubmiſſiſſimîs precibûs Deum compellate, ut veritatem hanc, quam hîc ante oculos veſtros ponere dignatus eſt, altiſſimè quoque veſtris cordibus velit inſcribere.

Alter defectus, ſcilicet exiguus erga myſteria, à Deo nobis revelata, voluntatis affectus, ex quo, utì jam diximus, debilitas fidei quoque enaſcitur, per hoc tollitur, ſi voluntati illa motiva, quæ ad credendum nos impellant, proponantur; motiva, inquam, tam potentia, & usque adeò clara, ut nimiùm credibilia Propheta Regius appellârit: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Pſ. 42. quaſi diceret: teſtimonia tua, Domine, longè magìs manifeſta ſunt, quàm nos ipſi prudenter expoſcere potuiſſemus, ut libenter ſanctæ fidei noſtrum intellectum ſubjiceremus; quipe, etſi arcana illa, quæ credimus, ſint obſcura; nihilominus tamen evidentes ſunt rationes, quæ nobis perſuadent, ut eſſe divina credamus. Verùm quia abire per ſingulas, res foret, quæ intra tam anguſtos, quales hîc nobis præſcripſimus, conſtringi terminos non poſſet, unam

ſo-

ſolummodo, quæ tamen ſit locô omnium, in præſentiarum exponam ; in tali namque facto conſiſtit, quod nemo quispiam revocare in dubium poſſit, niſi emotæ omnino mentis extiterit.

Ex omnibus hiſtoriis indubitatum eſt, quòd, antequam Evangelicæ veritatis oriri lux inciperet, totus mundus idolis divinos honores detulerit; illam partem, quam populus Hebræus incolebat, ſi excipiamus, tota terra ſceleratîs victimîs, templîs ſacrilegîs, & adulterinîs diîs referta erat. In omnibus creaturis, incipiendo ab iis , quas Omnipotens Conditor, longiùs à terris remotas, in cœlo collocavit, nimirum ſole, luna, ſtellis &c. usque ad viliſſima animalia, utì ſerpentes, crocodilos &c. à variis nationibus, non ſolùm barbaris, ſed etiam cultioribus, Divinitas adorabatur; & quod longè adhuc erat deterius, ipſis etiam hominum ſceleribus ſubeſſe Divinitatem credebant, ipſa patrata à mortalibus flagitia divina myſteria reputabant. Hæc qui vel à longè trahere in dubium tentaret, luculenter ſanè, ſe nunquam antiquorum Hiſtoricorum monumenta , il-

lós-

lósque libros, qui infeliciſſima illa tempora deſcribunt, inſpexiſſe monſtraret. Unde ſi Fides vivendi juxta & operandi ſit regula; ſi inſuper fides tunc temporis eò usque fuerit impia, ut magis ſceleſta reperiri in terris non poſſet, pronum erit conjicere, vitam quoque fuiſſe usque adeò flagitioſam; eò usque mortalium malitiam aſcendiſſe, ut magis abominanda inveniri inter homines non valeret. Ecce autem! cùm in tam miſerando ſtatu poſitus eſſet mundus pene univerſus, Chriſtus Dominus ſubvertere, atque eliminare idololatriam, & ex illius ruderibus excitare Religionem Chriſtianam incipiebat. Atque, ut evidens, & luce clarius evadat, illum eſſe iſtorum omnium Authorem, hæc tria conſiderare capita ſufficiet: primò, magnitudinem operis; 2. impedimenta, quæ eidem obſtabant; 3. inſtrumenta, quibus id effecit.

Magnitudo operis ex debellatæ idololatriæ, quæ ultra duo annorum millia in mundo regnabat, antiquitate clariſſimè eluceſcit: apparet inſuper ex ejusdem amplitudine, utpote in quam popu-

puli jam universi, & omnes omnium ferè hominum ordines conspirabant; ita quidem, ut pauci illi, nempe Philosophi, qui illius falsitatem agnoscebant, æquum esse dicerent, ut omnes sese quoad externam vivendi rationem, in acceptata superstitione populo conformarent. Jam verò quis non videt, quantæ difficultatis opus extiterit, venenatam hanc plantam extirpare, quæ suas radices, altissimè infixas, per totum terrarum orbem diffuderat; quæ pravis passionibus fomenta, omnibus flagitiis pabulum subministrabat; quam potentissimi Principes igne & ferro, litterati & Doctores calamô propugnabant, & in cujus quasi gremio universum genus humanum pacatissimè quiescebat? Hæc difficultas ex eo quoque crevit quàm maximè, quòd simul atque hanc plantam extirpare aggrederetur, eodem in loco Christianam plantare Religionem inciperet, quod idem est dicere, ac plantare Religionem, quæ res difficillimas, & ab humanis sensibus remotissimas credendas proponit intellectui, & rerum difficillimarum amorem imperat voluntati; quæ docet, ho-

hominem, in quem tam forum Ecclesiasticum, quàm profanum mortis, in infami crucis patibulo duos inter latrones subeundæ, tulit sententiam, esse verum Deum, natum ex Virgine; propriîs viribûs surrexisse à mortuis; quadam die sibi soli nota denuo venturum in magna majestate, strictissimámque ab omnibus hominibus rationem exacturum, ubi omnibus, momentô è morte resuscitatis, eadem, quæ in vita habebant, corpora restituet, quamvis igne, ferarum dentibus, aut temporis diuturnitate dudum consumpta fuerint. Hæc & similia mysteria, quæ non modò illiteratæ plebis, sed doctissimorum etiam quorumvis hominum capacitatem tam altè transcendunt, credenda proponuntur. Mysteriorum sublimitati, præceptorum, quæ observanda præscribuntur, arduitas correspondet: nempe, continuô semetipsum odiô persequi ùt inimicum; illatas sibi injurias benevolo amoris affectu compensare; pro persequentibus se supplices ad Cœlum voces & manus extollere; maxillam dexteram percutienti, immotô, pacatóque animô etiam si-

ſiniſtram porrigere; potiùs mille mortes perpeti, quàm vel ſemel plena voluntate in pravam cogitationem conſentire; intimas, occultiſſimáſque conſcientiæ ſuæ latebras, noxas ſingulas, eas etiam, quas in lucem protrahere innata verecundia ſummopere perhorreſcit, Sacerdoti aperire; & denique fidem habere tam conſtantem ac firmam, ut paratus ſis, potiùs relinquere uxorem, deſerere filios, & Amicos, privari omnibûs fortunîs, imò inter ſuccenſos rogos, inter ferarum dentes, inter flagella & equuleos, inter omnis generis crudelisſima tormenta ipſam quoque vitam ponere, quàm tantummodo unicam fidei veritatem, vel ore etiam, nedum corde abnegare. Hæc ejusmodi tam ſublimis doctrina, quæ quidem nobis quotidiano uſu, & longa conſuetudine amœna & facilis efficitur, quàm difficilis ab initio, & aſpera apparuerit non ſolùm populo inculto, & ignoranti, ſed multò magis Doctoribus omni literaturâ præfulgentibus, facundiſſimis Oratoribus, acutisſimis Philoſophis, prudentiſſimis Senatoribus, naſutiſſimis Politicis, & genti

tam perditè deliciis & voluptatibus deditæ, tam proclivi ad obſequendum indomitis ſuis paſſionibus, tam aſſuetæ nihil aliud, quàm quod externi ſenſus manifeſtant, credere, nullóque altiore, quàm vanæ gloriæ, motivo operari?

Sed forſan unanimis omnium magnorum Principum conſenſus in eo conſpiravit, ut Evangelii doctrinam tanquam veram reciperent? Verùm enimvero hoc ipſum eſt illud, quod hoc opus viribûs humanîs eſſe majus, adeóque divinum ſecundô locô apertiſſimè commonſtrat; quia nempe, licèt orbis univerſus communi rabie contra Sanctam Evangelicæ veritatis lucem inſurgens, in primo eandem exortu extinguere moliretur, omnes tamen illius quanti demum cunque conatus in vanum recidêre. Per trecentorum ferme annorum ſpatium omnes vix non Romanorum Imperatores omni in loco novam hanc Legem perſequebantur modîs usque adeò indignîs, tamque immani crudelitate, ut potiùs infernalis, quàm humana videretur; ſtrage inſuper tanta, ut Propheta Regius numerum Martyrum ſuper nu-

numerum arenarum multiplicatum asseveret: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Ps. 138. Hoc solùm dixisse sufficiat, quòd Diocletiano rerum potiente, Christianos pro libitu occidendi, suîs eosdem bonîs spoliandi, eósque quasi perversissimos humani generis hostes, & omnium, privatarum non minùs, quàm publicarum, calamitatum authores tractandi, libera cuivis facultas concederetur. Ad crudelitatis immanitatem fraudes & calumniæ addebantur, quibus Christianos ùt sacrilegos, ùt cæli inimicos, denigrabant. Fraudibus splendida promissa jungebantur: hominibus adultis, & maturis quæstuosa officia & dignitates; junioribus delicias & voluptates; Virginibus magnificas nuptias, & Augustos thalamos; prætextatis etiamnum puerulis blanditias & illecebras offerebant, & tamen, hîs omnibûs nihil morantibûs, Sancta nostra Religio nunquam feliciori successu propagabatur, quàm cùm crudelissimîs fraudum machinîs, atrocissimîs persecutionum procellîs quateretur; atque adeò vitas metere Christianorum, nihil erat

aliud, quàm eorundem ſanguine ulteriùs ſemper Sanctiſſimam Chriſti fidem diſſeminare. Ita longè omnium Perſecutorum crudeliſſimus, & Sanguiſuga omnium maximè inſatiabilis, Diocletianus, cum incredibili ſua confuſione Sacroſanctam Chriſti crucem ab omnibus nationibus adoratam videre debuit; &, quod omnium maximè ipſius rabiem irritabat, adorari eandem videre debuit à magna aulæ propriæ parte, à Serena Conjuge, à Suſanna Nepte, à Claudio & Maximino Patruis, à Cajo & Sabinio Nepotibus, à Sebaſtiano ſuæ Cuſtodiæ, & Caſtulo Aulæ Præfecto, à Gorgonio & Dorotheo ſuis Cubiculariis; atque ab his Palatii ſui partem non exiguam commutari in Eccleſiam conſpiciebat, in qua Religionis illius devotiſſimè vacarent exercitiis, quam infelix iſthic Imperator internecina humani generis ſtrage cogitabat extinguere.

An clariora adhuc argumenta requiritis, ex quibus Chriſtianam fidem opus eſſe Dei omnipotentis dignoſcatis, cùm illa etiam, quæ ad eam ſubvertendam, eliminandámque penitus adhibebantur,

tan-

tantum ad eandem dilatandam adjumenti conferant? Id tamen adhuc ſupereſt, ut nimirum inſtrumentorum quoque, quibûs opus tam admirabile perfecit, conditionem conſideremus. Duodecim Piſcatores, & pauci alii illis ſimiles, pauperculi, ignorantes, timidi, ex natione ubivis gentium odioſiſſima oriundi, utentes linguâ, quæ nullibi niſi in Judæa intelligebatur, totum inter ſe terrarum orbem dividunt, & intra paucorum annorum decurſum eundem totum Chriſto ſubjiciunt. Si Evangelicæ Legis Prædicatores omnigenæ ſcientiæ apparatu exculti, ſi Romanâ ſimul & Græcâ inſtructi fuiſſent eloquentiâ; ſi quingenta armatorum millia, ùt magnus olim Alexander, in aciem eduxiſſent, ſi populos amplìs promiſſionibûs ad ſe invitâsſent, ùt quondam Rex Cyrus, qui teſte Plutarcho ſuis ſequacibus, ſi poſſediſſent villam, integrum pagum, ſi pagum, integram civitatem, ſi civitatem, integram illis provinciam promittebat; tamen adhuc ingens prodigium extitiſſet, inventas eſſe tot gentes omnis conditionis & ſexûs, omnis ætatis & profeſſionis, quæ

talibûs pollicitationibûs allectæ, mutata, in qua educatæ fuiſſent, majorum ſuorum religione, novam vitâ etiam & ſanguine propugnarent. Hæc autem, ſi ita ſe habeant, agedum, quantum jam erit prodigium, ſi hæc omnia obtinuêre homines, omnibûs humanîs talentîs penitus deſtituti, & qui præter crucem & dolores externis ſenſibus nihil promittebant? Tota illa, quanta quanta demum fuerit, Socratis & Platonis Sapientia evincere tantum non potuit, ut vel hominem unicum ab adoratione dæmonis abſtraheret. Joſephus cum omni ſua, qua tantùm pollebat, ſapientia, cum plena ſua, qua Ægypto præerat, poteſtate ne quidem valuit efficere, ut vel unica in regno illo familia ab idololatria ad veri Numinis cultum tranſiret. Moyſes, mirabilis ille Iſraëlitarum Dux, tam ſtupendîs adjutus prodigiîs, quem nôrant tam conſtanti cum Deo uti familiaritate, continere in vera fide commiſſum ſibi populum ita non potuit, ut vitulo ex auro conflato genua non curvarent, eundémque tanquam Deum non adorarent; & duodecim Piſcatores elimi-

minare ex omni terrarum orbe idololatriam, atque hujus ruinis imponere potuerunt religionem, hominum ſenſibus & paſſionibus adeò contrariam, eorundem intellectûs capacitatem tam altè excedentem, eorum vivendi conſuetudini usque adeò repugnantem; & hoc quidem potuerint, quin Deus manum ſuam ac potentiam eorum adjungat conatibus? En vobis, qui ad credendum miracula expoſcitis, miraculum omnibûs miraculîs majus & præſtantius: Mundum idololatram ad verum ſupremi Numinis cultum converſum, & quidem converſum repugnantibûs Politicîs; reclamantibûs Philoſophîs, frementibûs Principibûs, ad arma conclamante toto inferno, & igne ferróque in novam religionem debacchante, ut ſua eandem in origine ſuffocaret, quæ tamen, hîs omnibûs nihil obſtantibûs, intra paucorum luſtrorum decurſum per omnes totius terræ provincias inſtrumentîs ad tanti moliminis opus prorſus ineptîs propagata eſt, ùt eò nempe manifeſtiùs appareret, illius architectum eſſe Deum, qui ſuis in operibus nullius indigeat adjumentô.

Illud quoque jam ulteriùs ponderandum venit, novam identidem huic veritati in dies singulos lucem à constantia accedere, qua eadem ipsa fides, ab Apostolis, & mediantibûs istîs ab ipso Christo plantata, per septendecim jam secula perdurat. Credit illos ipsos articulos, profitetur eadem mysteria, illud ipsum Ecclesiæ Caput, & supremum Christi in terris Vicarium summum Pontificem agnoscit, illum ipsum divinarum gratiarum influxum recipit, eadem ipsa dispensat Sacramenta, illos ipsos Sanctos progenerat, & eâdem prorsus, qua olim methodo, inter populos idololatras se propagat. Et tametsi omni ex latere, & seculîs omnibûs novæ identidem sectæ, quæ junctîs eam viribûs oppugnârunt, ex orco prodîerint, quid denique lucri reportârunt? consumpto robore semetipsas destruxerunt & etiamnum destruunt, aquarum in morem, quæ frustraneo impetu in scopulos illiduntur, dum interea firma & sui secura Catholica subsistit Religio, adeò ut omnis inferorum potestas nunquam prævalitura sit adversùs eam.

Quapropter maturo judicio, & æqua bilance hæc omnia rationum momenta ponderate, & intellectûs veſtri convincere pertinaciam, & voluntatis inclinare duritiem gaudete, ut tandem eſſe veriſſima confiteatur, quæ æterna nobis Veritas revelavit. Promptô animô vos illis ſubjicite, quæ docet illa religio, quæ tam illuſtres veritatis radios aperta in fronte exhibet, ut ſi per impoſſibile falſa foret, Deus ipſæ noſtræ deceptionis Author exiſteret, nec juſtô à nobis judiciô exigere pœnas valeret, utpote qui eam, ùt veriſſimam credendo, ſumma cum prudentia operati fuiſſemus.

Ultimò denique illud quoque curandum ſummopere, ut fides ſic illuſtrata & roborata in opera noſtra influat; Id, quod ſolertiſſimè facere homines Sancti aſſolent, qui dicuntur ex fide vivere; nunquam enim animô quidquam ſtatuunt, quod non ex fidei dogmatis deducant. Quid juvat gladium optimum, ex latere ſuſpenſum, ſecum circumferre, ſi ſemper in vagina reconditus deliteſcat? oportet fidem habere in actu, non tantummodo in habitu, ùt loqui ſolemus.

S. Serapion monachus, cùm ſæpiùs, ubi tunicam ſuam pauperi dono dediſſet, ſeminudus in publico appareret, & ab obviis, à quonam veſtibùs ſpoliatus eſſet, interrogaretur, Sacrum Evangelii Codicem, quem ſemper ſub axilla circumferebat, protraxit; & hic, inquiebat, eſt latro ille, qui me, utì videtis, veſtimentô ſpoliavit. O! quàm feliciter etiam vos, ſi non veſtibûs, certè mille rebûs ſuperfluîs Sacrum hoc Evangelium exſpoliaret, ſi familiari illius uſu veſtram animare, atque ſuccendere fidem ſtuderetis: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Hebr. 11. v. 33. Verùm enimvero, ſi ſumma eſt infamia, ùt divinam non credere religionem, innumerabilium Martyrum ſanguine, altiſſimis innumerabilium Sanctorum virtutibus, innumerabilibus Doctorum calamis, innumerabilium prodigiorum, imò ipſorum etiam dæmonum confeſſione confirmatam; quanta erit dementia, credere, eſſe divinam, & tamen ita vivere, ac ſi foret meriſſima fabula?

LE-

LECTIO II.

De impedimento, quod affert Saluti nimia fiducia, quam multi in Confessione reponunt.

UNdenam, amabò, provenire credamus, quòd homo, quem suis in negotiis semper proniorem ad metum & solicitudinem, quàm ad spem atque fiduciam cernimus, in iis, quæ salutem animæ concernunt, tantò magìs in spem, quàm timorem inclinet? certè non aliam istud ob rationem contingit, nisi quòd exiguum suæ salutis amorem in corde foveat; atque adeò non timet, quia non diligit. Ubique Christianam inter gentem reperire est homines, qui iniquitatem sicut aquam hauriunt, eò quòd continuò dicant: *Confitebor.* Et ubi postmodum, hausta liberaliter iniquitate, se totos inebriârunt, nulla exinde solicitudine eam ob rationem anguntur, quia dicunt: *Confessus sum.* *O! præsumptio nequissima! unde, creata es, cooperire aridam malitiæ?* Eccli. 34. v. 3. O! Sce-

Scelestissima præsumptio, quæ criminibûs mundum universum imples, quo tandem ex fundo prognata es infausta soboles! certè non ex alio, quàm inferno. Numquid igitur æquissimum omnino est, ut rursus ad æternas, ex quibus prodîerat, tenebras repellatur, ne novis identidem Christianos involvere fraudibus perseveret? in id unum proinde sequente in lectione collimabimus, ut bonum tam eximium obtineamus.

Profectò nemo uspiam mercatorem usque adeò insanæ mentis invenerit, qui merces suas nulla urgente necessitate in tumultuantis pelagi fluctus projiceret, hac sola spe subnixus, quòd illas denuò posset ex profundo maris sinu expiscari. Et tanta nihilominus Christianorum multitudo reperitur, quæ suam innocentiam, gratiámque divinam, hoc est, donum illud inæstimabile, quo pretiosius vel ipsa etiam immensa æterni Numinis munificentia elargiri hîc nobis non potest, ultro abjiciunt, huic solummodo spei vesanè innitentes, quòd cœlestes has divitias per Sacram Confessionem facilî rursum negotiô valeant recuperare!

Spon-

Sponte ſeſe duriſſimæ dæmonis ſervituti mancipant, eò quòd facile ſibi fore confidant, illius catenas pro libitu ſuo disrumpere, & denuo in libertatem eluctari Filiorum Dei! Læta facie hoſti infernali obviàm procedunt, clavim animæ ſuæ manu præferentes; quia indubitatò ſibi perſuadent, eandem illum ſinè mora redditurum, quandocunque demum ſibi denuo repoſcere libuerit. Et quidem ex una parte nihil res iſthæc in me movet admirationis, cùm novus non ſit error iſte inter Filios hominum; prima namque hæc fuerat in mundo tentatio, qua deceptor ſtygius Protoparenti noſtræ, ut poſitum ſibi à Deo præceptum transgrederetur, ſupremam hujus Bonitatem exaggerando perſuaſit: *Nequaquam moriemini.* Gen. 3. Facite, quidquid jam vobis collibitum fuerit, nihil exinde vobis eveniet mali; Dei Bonitas eſt infinita. Ipſémet etiam Adamus, qui juxta Apoſtolum non fuerat ſeductus ſicut mulier, nihilominus tamen ſocius eſſe ſuæ Conſortis in comedendo pomo vetito voluit, quia culpam, licèt in ſe graviſſimam, venialem eſſe

esse existimavit, juxta phrasin S. Augustini l. 11. in Gen. id est talem, quam facilè sibi Benignissimus Conditor condonaret; quod divo etiam Thomæ placuit: *Adam peccavit, cogitans de divina misericordia*, 2. 2. Q. 163. a. 4. Adam Creatoris sui mandatò non obedivit, eò quòd crederet, haudquaquam illius misericordiam tantîs hoc peccatum suppliciîs castigaturam, quanta Deus minatus fuerat. Et quid multîs? Etiam tum tentator stygius, cùm eò temeritatis procederet, ut cum Christo Domino in deserto jejunante congredi auderet, potissimam suæ fiduciæ partem, qua victoriam sperabat, in hoc armorum genere, quò toties jam felici adeò exitu pugnârat, repositam habuit. Unde suadebat amabilissimo Servatori, ex alto præcipitem se ageret, indubia hac spe fretus, advolaturos è vestigio Angelicos Spiritus, qui divinô ad id negotii imperiô destinati suîs eundem manibûs sustinerent: *Mitte te deorsum; scriptum est enim: quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem*

dem

dem tuum. Matth. 4. Non eſt proinde, cur multa nos admiratio teneat, ſi inter Chriſtianos tam frequens eſt iſta tentatio; quos continuò infernalis inimicus ſollicitat, ut in omnis generis ſe ſcelera præcipitent, primóque peccato centum alia adjungant, ſola inſana hac præſumptione erecti, Confeſſarios quaſi Angelos pacis ſacra ſua abſolutione impedituros, quò minùs hi lapſus cum irreparabili æternæ ſalutis damno conjungantur. Hoc eſt, quod admiremur, nimirum, quòd Chriſtiani fraudem tam apertam non agnoſcant, paritérque ita ſint ingrati, ut inſtar venenoſi napelli, quò magìs cœleſti divinarum gratiarum rore aſperguntur, eò majus ſemper ſuo veneno augmentum adjiciant, hácque ratione efficiant, ut pretioſiſſimus Chriſti Domini ſanguis, qui veluti balneum eſſe deberet, quo omnia peccata ſuffocentur, illis potiùs, ut ita dicam, ad eadem riganda, atque augenda deſerviat. Nunquid autem hoc eſt ſalutis noſtræ remedium in diaboli triumphum commutare? Quemadmodum S. Ambr. *l.* 2. *de pœnit.* deplorat hîs verbîs: *Reme-*

medium noſtrum fit ipſi diabolo triumphus. Verùm videamus jam damnum, quo ſemetipſos hac præſumptione afficiunt.

Damna, quæ ex hac Præſumptione enaſcuntur.

Verùm quis jam tantum ſibi ineſſe virium atque facundiæ confidat, ut inexplicabile illud damnum, quod animæ ſaluti affert iſthæc præſumptio, pro rei dignitate deſcribat? crediderim ego, majorem reproborum Chriſtianorum partem debere huic præſumptioni æternam ſuam damnationem, quæ illos pedetentim, & veluti per paſſus ad horrendum infernalis abyſſi præcipitium promovit; periêre enim, quia licèt peccantibus præparatum eſſe ignem ſempiternum credidêre, tamen ita liberè in ſcelera proruebant, ac ſi hunc ipſum ignem merum figmentum reputarent: quippe facillimum ſibi fingebant eſſe in promptu remedium, ſcilicet commiſſa flagitia in confeſſione Sacerdoti recenſere, & cum injuncta ab illo leviſſima pœnitentia diſcedere, qua peracta jam omne ſe ſolviſſe

viſſe debitum putabant. Et primus quidem ad exitium paſſus eſt *multitudo peccatorum.* Juvenis ille cum dolore utcunque ſufficiente peccata confitetur, atque etiam diebûs aliquot tentationibus fortiter reſiſtit. Sed ubi vel ſemel relapſus eſt, mox plena paſſionibus fræna relaxat, & non jam lento pede per ſcelera ambulat, ſed concitatîs paſſibûs viam iniquitatis decurrit. Jam verò quis tot lapſuum inire numerum valeat? totidem ſunt miſerandi caſus, quot ſunt contumacis carnis incentiva; imò auſim dicere, quot ferè ſunt cordis affectus, & animi cogitationes. Verùm tam amplæ multitudinis planiorem nonnihil computum faciamus. Multi ex iſtis peccatoribus, qui tam facilem ſibi confeſſionis beneficiô veniam promittunt, quotidie, ut parùm dicam, ſaltem decem peccata gravia committunt, partim datis ſcandalis, & cogitationibus, partim iniquis ſermonibus, vetitis oblectationibus, & operibus malis: Hoc poſito, peccatorum ab uno ſolo patratorum numerus intra menſem ultra trecenta, & intra annum ultra tria millia aſcendit;

atque adeò unus iſtorum hominum intra unius anni decurſum pluribûs, quàm ter mille, vicibûs inferni fores pulſat; & difficile credere vobis jam accidat, quin iſtas aperiri tandem aliquando Divina Juſtitia, eosdémque in abyſſum illam præcipitari permittat? hoc ipſum profectò eſt, quod ipſámet illis per Jeremiam Prophetam graviſſimîs ſanè verbîs comminatur: *Curationum utilitas non eſt tibi; plagâ inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Jer. 30. v. 12. Attentô animô hæc verba ponderate. Non dicit Dominus: quia ſanati non eſtis: ſed quia nihil ex hac cura, imò ex multis ſimul curationibus nihil utilitatis recepiſtis: *Curationum utilitas non eſt tibi;* utpote qui non una tantummodo, ſed multîs omnino vicibûs ſaluberrimum pœnitentiæ lavacrum ingreſſi eſtis; & tamen hoc ſalutare lavacrum, quod peccatis venenum eſſe debuiſſet, propter malitiam veſtram nova fomenta illis ſuppeditavit; quia nempe in corde veſtro dixiſtis: *Si pecco, ſufficit confiteri; & ſi una vice peccavi, jam eſt peragenda confeſſio:*

ſio: Sæpius igitur peccare jam potero, atque omnia ſimul una confeſſione delere. Quapropter *curationum utilitas non eſt tibi.* Emolumentum, quod veſtris ex confeſſionibus reportatis, eſt, ſinè numero peccata peccatîs accumulare absque eo, quòd unquam advertatis, hanc ipſam multitudinem in profundum inferni vos demergere, atque efficere, ut Divina illa Majeſtas absque ulla vobiscum miſericordia procedat *caſtigatione crudeli*, & veluti inimicum perſequatur, qui tantò velit eſſe adverſus Dominum ſuum inſolentior, quantò ille erga ſe fuerit indulgentior. *Plagâ inimici percuſſi te propter multitudinem iniquitatis tuæ.*

Alter paſſus eſt horum ipſorum *enormitas* peccatorum, quæ ideo tam liberè committuntur, quòd ſpes confeſſionis animos addat. *Confitebor*, inquiunt hi ſcelerati; ſed ſpe ſua falluntur miſeri; cùm Deus tanta enormitate irritatus, alta mente repoſita eorundem ſcelera retineat, ut ſuo tempore juſta ultione proſequatur. *Profundè peccaverunt*, inquit Oſeas Propheta, hoc eſt, in profundum

iniquitatis, & in turpiſſimum peccatorum cœnum ſe immerſerunt. *Profundè peccaverunt*: ecce culpam! ſed ecce quoque pœnam ſtatim adjunctam! *Recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.* Deus, videns, ſuos fideles, qui eſſe deberent gens ſancta, turpitudine ſcelerum ipſos etiam infideles exſuperare, ſéque in illarum, quas vel ipſa bruta animantia averſantur, voluptatum luto volutare, tantam impietatem oblivisci nequit: *recordabitur peccata eorum*; Sed promeritîs tandem ſuppliciîs ulciſcitur: *& viſitabit iniquitates eorum.*

Ultimus denique paſſus, per quem infelix iſthæc præſumptio tot animas ad interitum perducit, eſt nimia *ſecuritas* poſt peractum peccatum: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Prov. 18. niſi quòd aliqui ex peccatoribus adhuc ulteriùs procedere videantur, cùm perpetrata crimina non ſolùm contemnant, ſed in iis etiam plurimùm ſibi complaceant, atque exultent, imò & peccâſſe ſibi gloriæ ducant: *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant*

tant in rebus pessimis. Prov. 2. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Isa. 3. v. 9.

Verùm qua ratione eò usque perversitatis queunt devenire, quin Christianæ, quam quidem profiteri se dicunt, fidei renuntient? prodigii speciem præbet, quòd reperire sit vel unum, qui, etsi sciat, peccatum certissimam animæ mortem, & mortem quidem sempiternam in igne inextinguibili sustinendam afferre, tamen illud committere non perhorrescat. *Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Job. 6. v. 6. Et tamen innumeros reperire est, qui non guttatim tantùm sorbillant, sed pleno gutture venenatum calicem simul exhauriunt, quin unquam aut satietatem aut nauseam persentiscant; & hæc omnia tandem, quia dicunt: *Confitebimur.* Unde evenire illud deprehendimus, quod S. Ambrosius pronuntiavit: *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi.* Hoc est damnum illud, quod saluti animæ infert peccandi temeritas, fundata in spe peragendæ confessionis, quandocunque libuerit: eò

nempe Christianum perducit, ut, postquam vitam hanc inter enormia quævis scelera transegit, ad aliam inter crudelissima quævis tormenta exigendam eum tandem deducat. Jam ad remedia transeamus.

Remedium ad curandam tam fatuam temeritatem.

Bonus es tu, & in Bonitate tua doce me justificationes tuas. Psal. 118. Hæc est oratio, quam sæpiùs ex toto cordis affectu ad cœlum cum Psalte Regio evibrare debes; tanquam primum hujus, quam hucusque detestati sumus, præsumptionis remedium: O! Domine Deus meus! tu Bonus es, imò ipsa Bonitas; *Bonus es tu*; fac igitur quæso, ut me hæc ipsa tua Bonitas observare sacratissima tua præcepta edoceat: *In Bonitate tua doce me justificationes tuas.* Hoc est, quod dulcissimus Servator à te exigit, quando tanta erga te benignitate utitur, cùm tantâ patientiâ te ad confessionem & Pœnitentiam exspectat, quando peccatorum veniam tibi indulget; hoc quærit; ut ab ipso bonus esse di-

diſcas. Quid igitur eundem irritare non times, ſi tam protervè illius conſilia invertas, ut, quantò majorem ille erga te oſtendit amorem, tantò in ipſum magìs eſſe velis injurius? *Nunquid redditur pro bono malum?* Jerem. 18. v. 20. Ex quo tempore hæc lex in cordibus hominum eſt promulgata, quòd beneficia, quò magìs inſignia ſunt, eò ſint monſtroſioribûs offenſis compenſanda? ſi non credis Dei Bonitatem, & peccati malitiam contrarietate infinita, eſſentiali, irreconciliabili ſibi invicem opponi, Deum eſſe Deum non credis. Quodſi autem hoc credas, quid aliud eſt, velle, ut Divina ipſius Bonitas motivum tibi ſit edendi in lucem tam attrocem hujus ipſius Bonitatis inimicum, quàm armare quaſi Deum contra Deum, atque efficere, ut Dei miſericordia, cum ejusdem juſtitia quaſi præliô contendat?

Secundum remedium erit, ipſam mali radicem aggredi. Totum malum duplici ex ignorantia naſcitur; ex una enim parte ignorant, quidnam reipſa ſit confeſſio; ecce! primam: ex altera parte

te non ſciunt, quales illa in nobis effectus producat; ecce! ſecundam; Jam verò hanc utramque ignorantiam ex Peccatorum cordibus tollere, erit eorum medicina.

Primò igitur, qui adeò temere ſub ſpe peragendæ confeſſionis in peccata ſe præcipitant, quidnam ſit propriè confiteri, communiter ignorant. Imaginari ſibi videntur, confiteri non eſſe aliud, quàm commiſſa ſcelera fideliter in aures ſacerdotis deponere, iiſque accuratè expoſitîs ex integro confectum eſſe negotium. Atque adeò tota illorum diligentia in eo deſudat, ut exactè perpetrata crimina in memoriam revocent, & tota eorundem ſolicitudo poſt peractam confeſſionem in eo vertitur, quòd timeant, ne cujusquam fortè fuerint ſceleris obliti. At verò, ſi ſola hæc diligentia ad inſtaurandam cum Deo pacem ſufficeret, Via Cœli, contrà, quàm S. Evangelium teſtatur, non modò non anguſta, ſed ampliſſimâ quamvis plateâ ſpatioſior exiſteret. Et quæ tandem magna difficultas ſit, delicta noſtra confeſſario recenſere, poſtquam ad hoc faciendum

à pri-

à primis jam unguiculis fuimus aſſuefacti! Hac profectò ratione peccatorum ſceleratiſſimi, qui pudendîs ſuîs flagitiîs gloriantur, eadémque tanquam liberales facetias, in commilitonum ſuorum circulis absque ullo pudore referunt, omnium optimè ad confitendum eſſent diſpoſiti; & confiteri, foret negotium, quod totum labiîs conficeretur, eſſétque potiùs memoriæ, quàm cordis exoneratio. Igitur confiteri propriè eſt, ad Deum ſe convertere. Atque ideo, tametſi hæc peccatorum manifeſtatio ad hoc, ut ſacerdos ab iis te poſſit abſolvere, requiratur; hæc tamen ſola haud quaquam ſufficit; ſed inſuper neceſſarium eſt, contriti animi dolor accedat, tribûs hîſce conditionibûs veſtitus; primâ, ut ſit *Supernaturalis*, ſecundâ, ut ſit *ſummus*; tertiâ, ut ſit *efficax*. Ex tribus hiſce conditionibus, ſi vel unica pœnitentiæ tuæ deficiat, confeſſio tua ſimilis erit confeſſioni Saulis, Judæ, & Antiochi, qui quidem delicta ſua agnôrunt, eorundémque ſe coram Deo reos confeſſi ſunt; neutiquam tamen illorum veniam obtinuerunt; qui fuerunt pœniten-

tentes linguâ solùm, non corde. Et hinc, cùm tantùm nostrâ intersit prædictas conditiones adimplere, quantùm interest lapsuum nostrorum à Deo veniam impetrare, illas in præsente lectione explicare, aut saltem singillatim in memoriam revocare oportebit. Dolor itaque, ad confessionem requisitus, debet esse efficax, hoc est talis, ut vî illius paratus sit pœnitens, potiùs carere bonîs creatîs omnibûs, & onerari omnibûs malîs, quàm ullo unquam tempore & occasione divinam Majestatem ampliùs offendere: sicut honesta quædam matrona, cui firmissimè fixum, ratúmque est, nullo unquam tempore, nulla occasione dato unquam tempore, nulla occasione dalo suo conjugi fidem violare. Deintam suo conjugi fidem violare. Deinde dolor hic debet esse summus; quippe tam ille dolor, quo ad detestandum peccatum ex amore Dei movemur, & contritio vocatur; quam alter, quo movemur ad abominandum peccata, quia sunt malum animæ, eámque cœlestî paradysô privatam æternis suppliciis obnoxiam efficiunt, atque attritio appellatur; uterque, inquam, dolor lethiferum crimen appretiativè super omnia mala de-

debet deteſtari; id eſt, tanto cum vigore, ut anima vî hujusmodi actûs potiùs eligeret omnia mala, quæ vitari peccandô valerent; tametſi amittere fortunas, privari famâ & honoribûs, imò ipsâ etiam ſpoliari vitâ oporteret; quâm ullius ſe ampliùs gravioris peccati ream ſe facere. Et quamquam neceſſe non ſit in hac comparatione ad particularia deſcendere; neceſſarium tamen omnino eſt, ut Deus, qui profunda cordium intuetur, perſpiciat, quòd Divinam ſuam amicitiam, legémque in eadem cum creaturis veluti bilance poſitam, rebus creatis omnibus tua in æſtimatione præferas. Ultima denique doloris conditio eſt, ut ſit ſupernaturalis, tam ratione principii, ex quo procedit, quo æquè eſt gratia Dei, quàm ratione motivi, quod eſſe debet nobis per fidem manifeſtatum. Adeoque ſiquis confitetur, quin ejusmodi dolorem, qualem hucusque deſcripſimus, ſuo in corde eliciat, peracta confeſſione cum omnibus ſuis peccatis domum revertitur; & perſuadere ſibi, ſe bene confeſſum eſſe, ad hoc quidem prodeſt, ut S. Euchariſtiam percipiendo, Sacrilegium

gium non committat, nequaquam autem impedit, quò minùs, si fortè hoc in statu eum mori contingat, pœnis æternis adjudicetur. Fingite, sacerdotem quendam, cùm infantem baptizaret, liquoris colore deceptum, aquæ locô, vinum album affudisse: posset equidem hic error, quem bona fide commiserat, sacerdoti ad sui excusationem servire, istud tamen haud quaquam efficere valeret, ut infans revera baptizatus evaderet, eò quòd partes essentiales & necessarias Sacramenti, cujusmodi foret in præsenti casu aqua naturalis, quæ est materia baptismi, supplere bona fides non queat. Agedum, hunc casum jam tibi applica; considera, quòd, quemadmodum aqua naturalis materia est baptismi; ita materia pœnitentiæ Sacramenti sit animi nostri contritio ; & hinc etiamsi tu simul & conscientiæ tuæ arbiter dolorem tuum sincerum juxta, & numerîs omnibûs absolutum existimetis, si tamen Deus contrarium videat, idem tecum erit, quod foret, si baptizatus non fuisses. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13.

in-

inquit Dominus ; tam enim neceſſarius eſt ad delenda, quæ baptizati contraximus, peccata actualia baptiſmus pœnitentiæ ; quàm ad extinguendum originale neceſſarius eſt baptiſmus aquæ. Hîs omnibûs poſitîs, quæ ſunt indubitata, conſidera obſecro, an vel probabile videri queat, illum, qui adeò liberè in peccata proruit, dicens identidem: *Confitebor ; absque hoc jam confiteri oportet* ; verum habere de ſuis delictis dolorem, nimirum talem, qualem hactenus deſcripſimus ? Mihi manifeſtum videtur, quòd non ; hoc enim dicendo apertè demonſtrat, quòd ne quidem illius neceſſitatem agnoſcat ; ſecus profectò non leve emoti cerebri indicium præberet ; cùm hoc idem foret, ac dicere : patrabo jam hoc malum, & poſtmodum id ipſum ſuper omnia mala deteſtabor, doleböque, quòd fecerim : hac modò culpa meam animam conſpurcabo, & poſtmodum optabo, hanc maculam omni, qui per venas currit, fuſo ſanguine poſſe abluere. Vides, opinor, neminem, niſi hominem capitis vertigine haud parùm laborantem, ita ſecum poſſe diſcur-

ſcurrere. Et planè, tu ipſe ſi diſſuadere alicui quidquam intendis, ita eum adhortaris: Caveſis, ne tui te poſtmodum facti pœniteat. Et ille, ſi initi conſilii pœnitudinem ſuum poſtea ſubituram eſſe animum prævideret, procul dubio ab illius executione abſtineret. Quodſi iſtud, quod dixi, meritò dubitandi anſam tibi præbeat, an in ſimilibus caſibus vel dolorem etiam levem habeas; judica, an perſuadere tibi valeas, te habere dolorem illum ſummum, qui te penitus mutet in alium, & toto corde ad Deum convertat; qui ſit in comparatione omnis alterius doloris, ſicut mare, fluviis comparatum: *Magna velut mare contritio tua.* Thren. 2. Ulteriùs audiviſti, contritionem debere procedere ex gratia Dei, iſtiúsque donum exiſtere. Si proinde Dei donum eſt contritio, donum gratìs datum ſit oportet, & quidem tale, quod non cuivis animæ concedatur: ſecus enim ſpeciale donum non foret. Bonum inſuper eſt, ex pretioſiſſimis, quæ ab inexhauſto illo gratiarum fonte, Deo, ad nos poſſunt deſcendere; beneficium Divinæ Bonitatis ſpecia-

ciaIiſſimum ; opus divinæ omnipotentiæ maximum, ita quidem; ut, ſi alium mundum totum aureum, aliud cœlum totum adamantinum procrearet, & utrumque arbitrio tuo dominióque penitus relinqueret, infinitè tibi minus daturus eſſet, quàm ſi veræ contritionis actum concederet. An autem jam probabile tibi videtur, Deum tam promptè, & quolibet momento, quo tibi libuerit, hanc gratiam usque adeò pretioſam elargiturum ? hanc gratiam, quam tot negat mortalibus, in ſua cordis duritie derelictis? hanc gratiam, quam ut obtinerent Sancti, tam diuturnas, aſperásque egerunt pœnitentias, tam copioſas lacrymas profuderunt ; & ad quam recipiendam tot ſe meditationibûs diſpoſuerunt? S. Carolus Borromæus ſingulîs annîs confeſſione generali animum expiabat, atque ut ſincerum à Deo factorum ſuorum dolorem impetraret, in Sacra ſolitudine per plures ſeptimanas ſpiritualibûs exercitiîs ſe præparabat; die autem, qua confeſſionem peragebat, octo integras horas eliciendis perfectæ contritionis actibus, fun-

fundendísque ad cœlum pro obtinendo tam pretioſo dono precibus impendebat; & tu qui forſan heſterna adhuc luce novìs te ſcelerum ſordibûs contaminâſti; hodie ſtatim, absque eo, quòd de peccati gravitate vix quidquam cogites, absque eo, quòd ſupremam offenſi Numinis Majeſtatem, Immenſámque Ejusdem Bonitatem conſideres, absque eo, quòd vel librum, qui de hujusmodi materiis diſſerat, inſpicias; hoc ſolo contentus, quòd præteritæ vitæ crimina in memoriam revoces, & ad ſacerdotis aures delaturus accurras, tibi videris miraculum veræ pœnitentiæ: non obſtante, quòd tam gravia ſtent contra cauſam tuam præjudicia, támque graves ſuppetant rationes credendi, te quidem vas cordis laviſſe exteriùs, interiùs verò adhucdum plenum eſſe iniquitate.

Verùm etiam illud evenire concedamus, quod, ut eveniat, tam difficile eſſe hucusque diximus, quòd nimirum ille, qui pro nihilo peccatum reputat, quando committit, tam facilè illud ſuper omnia mala deteſtetur, quando id de-

deferre ad ſacrum tribunal cogitat; altera tamen adhuc cœcorum iſtorum hominum ignorantia circa confeſſionis effectus remanet explicanda. Sibi ipſis perſuadent, commiſſa à ſe delicta, poſtquam ſemel confeſſario ſunt expoſita, poſt datam abſolutionem non magìs peccatori nocere, quàm ſi nunquam fuiſſent commiſſa; ita, ut iſtarum animarum quælibet, quæ à S. Petro, ob mille turpitudines toties repetitas, *ſus lota in volutabro luti* appellatur, à ſacerdotis pedibus recedat, ac ſi ſemper agnus ſinè macula extitiſſet. Sed enim, haud quaquam res ita ſe habet; quemadmodum enim baptiſmus, tametſi originali labe animam abluat, concupiſcentiam tamen, alióſque hujus ipſius peccati effectus non tollit; ita confeſſio ritè peracta equidem ex corde culpam expellit, nullatenus tamen, ordinariè ſaltem, ab omnibus, quæ ſecum iſta advexerat, malis liberat; eò quòd nec ab omni pœna, noſtris tránsgreſſionibus debita, immunes nos præſtet, nec omnes pravorum habituum vires, licèt aliquantulum imminuat, penitus infrin-

gat. Et hoc etiamnum explanandum supereſt.

Primò igitur poſt confeſſionem, etiam ritè factam, multa adhuc pœna remanet, ſive in hoc mundo auſteritates inter & afflictiones, ſive ibi in igne purgante ſuſtinenda. Divina enim juſtitia, ſi cum culpa æternam quoque pœnam condonat, non ita condonat, ut non aliquam ſaltem, prout æquiſſimum eſt, ſatisfactionem expoſcat. Ob quam cauſam S. Job omnes ſuas operationes pertimeſcebat: *Verebar omnia opera mea.* Noverat nimirum, nullatenus Deum totum peccatori debitum facilè dimittere: *Sciens, quòd non parceres delinquenti.* c. 9. v. 28. Confeſſionem itaque perages, utì ſperas, & forſan eam perages bonam; ſed juſtam quoque de peccatis pœnitentiam ages, non levem ſolummodo illam, quam confeſſarius injunxerit, ſed aliam inſuper, eámque longè graviſſimam, quam Deus ipſe tibi imponet, immiſſis morbis, litibus, jactura fortunarum, morte præpropera, quæ te, aut tibi cariſſimos abripiet, quemadmodum Regi Davidi eve-

evenisse compertum est, cui, dimisso gemino adulterii & homicidii crimine, afflictiones tamen ingentes immisit, quales fuerant inopinatus filii interitus, & Absalonis juxta ac totius Regni concitata rebellio. Quodsi autem debitas criminibus pœnas in hac vita non exposcat, haut dubiè in altera in horrendi illius ignis fornace repetet, sicuti repetiisse ab illo milite Thomas Cantipratanus testatur, qui, cùm elicita quidem priùs vera contritione, sed multîs etiamnum debitîs gravatus, è vivis excessisset, summæ postmodum consolationis locô habuit, quòd sperare liceret, acerbissimas suas pœnas finem cum fine mundi habituras. L. 2. c. 51. p. 4.

Et istud quidem, quod hucusque diximus, minus adhuc est; magìs me terrent infelices aliæ, quæ post peccatum, in confessione etiam ritè peracta dimissum, remanent, reliquiæ, quas inter præcipuè se offert pravus habitus, qui à peccatis generatur. *Mortuus est Pater*, inquit Ecclesiasticus, *& quasi non est mortuus; similem enim reliquit post se. c.* 30. Hæc verba aptissimè applicari peccato

possunt, quod, etiamsi post sinceram confessionem penitus moriatur, ita tamen se habere videtur, quasi mortuum non esset, quia superstitem reliquit malam consuetudinem, quam non incongruè infaustum actûs peccaminosi partum nuncupemus, utpote quæ ab illo generata ad id tendit, ut, nova identidem peccata pariendô, illius propagationem perpetuò continuet. Pravus isthic habitus, ac fatalis ista dispositio nova semper in anima nostra pro peccatorum, quæ committuntur, mensura incrementa accipit, & majoribus semper animæ salutem periculis exponit. Quòd autem nova ei continuò augmenta adjiciantur, præter alias rationes ipsa fides Sacris ex Paginis frequentissimè manifestat. Sic in Proverbiis dicitur abire peccator post voluptates prohibitas bovis in morem, hoc est tardè & cum repugnantia: *Sequitur eam, quasi bos.* Paulò pòst verò sequi eas saltitando dicitur, insolescentis agnelli instar: *Quasi Agnus lasciviens.* Et tandem, velocissimo volatu insequi, sicut volucris, quæ concitatîs pennîs prædæ inhiat: *Velut si avis festinat.*

Psal-

Pſalmô autem 108. æterna Veritas per os Prophetæ aſſerit, peccatorem ſe maledicta iniquitate veſtire: *Induit maledictionem, ſicut veſtimentum:* Poſtmodum verò hæc ipſa iniquitas contracto habitu, & repetitîs identidem actibûs ſemper ulteriùs ad interiora penetrat, ſicuti aqua, hauſtu accepta, in intima ſeſe viſcera inſinuat: *Sicut aqua in interiora ejus;* & tandem veluti oleum ipſas etiam oſſium medullas pervadit: *Et ſicut oleum in oſſibus ejus.* Pſalmô 7. habetur, peccatum ab initio velut inimicum nos perſequi; *Perſequatur inimicus animam meam:* ſtatim deinde ſubjungitur, quòd nos ferociter comprehendat, atque in terram proſtratos conculcet: *Comprehendet & conculcet in terra vitam meam;* & denique in pulverem nos redigat ventorum impetu diſſipandum: *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Hîs, aliísque ſimilibûs loquendi formulîs docere nos vult Divinus Spiritus, animam, quò liberiùs ſeſe in peccandi licentiam effundit, eò longiùs à ſalutis ſuæ ſemita recedere; atque à peccatoribus non ea ratione eam perdi, qua pretio-

ſus annulus, qui eo in loco jacet immotus, in quo cecidit; ſed ſicut ſtolida ovis, quæ quò longiùs progreditur; eò longiùs ſuo à paſtore recedit: *Erravi, ſicut ovis, quæ periit*. Pſal. 118. Et tamen inſani iſti perinde eſſe ſibi perſuadent, ſive unum, ſive centum peccata committant, absque eo, quòd unquam cogitent, peccata peccatis agglomerando, pejore ſe ſemper animæ ſuæ ſalutem in ſtatu collocare; cùm hoc modo magìs ſemper, magíſque mentis oculi excœcentur, cor magìs induretur, onus identidem magìs aggravetur, majus in momenta ferè robur ſuccreſcat tentationibus, quibus impugnantur, è contrario vires ad vincendum neceſſariæ in dies decreſcant.

Quare ſi deinceps fortè contingat, ut veterator ſtygius in peccati cujusdam te præcipitare profundum contendat, cave, ne ipſémet caſum tuum veſanè promoveas, dicendô: *Confitebor*, ſed potiùs invincibilî ſcutô animum robora, ſic tecum ipſo dicendo: quis ſcit, an confeſſurus ſim bene? quis novit, an non hoc fortè pecatum ſit ultimum, cujus divi-

na

na Bonitas mihi concedere veniam velit? quis certum me reddit, quòd mihi daturus ſit Deus donum illud pœnitentiæ, quod innumeris aliis denegavit, mihi ſimilibus peccatoribus, qui modò in rogo infernali torquentur? donum illud, pro quo obtinendo tam ardentibûs ad cœlum votîs ſuſpirat S. Mater noſtra Eccleſia Catholica? *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.* Quis ſcit, an ſi vivere absque Dei timore asſuevero, non ſenſim me daturus ſit in reprobum ſenſum; & tandem devolvi ad impœnitentiam finalem patiatur? *Sapiens cor, & intelligibile abſtinet ſe à peccatis.* Eccli. 3. v. 32. Hoc propriè eſt eſſe ſapientem, *ſapiens cor*, negotium ſuæ æternitatis tam manifeſto periculo non exponere, quale eſt in eo, ne fortè infructuoſa confeſſio peragatur; & cùm tuæ ſalutis ſpem fortiſſimo alligare funi valeas, è debili marcidóque funiculo non ſuſpendere, quo poſtmodum in fruſta abeunte in ſempiterni ignis profundum præcipiteris. Hoc eſt intelligere, quanti momenti res ſit peccatum, quid rei ſit vera confeſſio, quasnam diſpoſitiones

requirat, quos in nobis effectus producat; nempe abſtinere à peccatis. *Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis.* At, qui econtra iniquitatem non maſticatam devorat, eò quòd ſperet, ſuo tempore eam denuo poſſe emovere, luculentiſſimum ſuæ dementiæ argumentum præbet, cùm ultrò admittat malum quoddam infinitum; ſimúlque ſibi promittat illud, quod in ſola Dei manu poſitum eſt, tempus nimirum pœnitendi, & opportunum ad agendam dignam pœnitentiam auxilium; quaſi verò Deus maximus non eſſet, ſumméque tremendus, atque in exequenda vindicta potentiſſimus peccatorum omnium inimicus, & ille, qui omnem iniquitatem infinitô odiô perſequatur.

Quodſi infortuniô lapſus ſis in peccatum, noli, quæſo, in hoc luto animam deinde tuam volutare, ſed potiùs ad Deum te converte, & humili affectu veniam flagita, nec tempus futuræ confeſſionis expecta, verùm quàm citiſſimè, multîs iiſque, quantùm fieri poteſt, intenſiſſimîs contritionis actibûs te inter & Deum feliciſſimam pacem redintegrare ſata-

ſatage. Nonne hæc Temeritas eſt planè intolerabilis, quòd, cùm quovis momento avocari ex hac vita poſſis, vel per momentum unicum vivere in peccato mortali audeas? id eſt, quòd ſuper horribilem malorum omnium abyſſum, ſcilicet infernum, hæreas ſuſpenſus è tenuiſſimo filo, quale eſt vita hæc mortalis? Et tamen in diſcriminis plena hac ſtatione non per unicum tantummodo momentum, ſed per menſes etiam complures perſiſtis, & inde te eripere differs, usque dum aut Paſchatis, aut Natalis Domini feſtiva ſolemnitas appropinquat? Atque interea tam ſecurè & riſui & ſomno indulges, quaſi examinem truncum offendiſſes, qui impactas ſibi injurias non perſentiſceret, nec brachium haberet, quo tuam tandem inſolentiam ulciſcatur. Ante annos non adeò multos juvenis quidam, illiciti amoris vinculîs implicitus, profligatæ famæ ſimul & vitæ fœminam perditè deperibat. Acerbè propterea & à Patre, & à cognatis, & à confeſſario reprehenſus, tandem ſtatuit, per exactam à tota vita exhomologeſin dæmonis ſeſe pedicîs explicare. Igitur

 pec-

peccatorum suorum summam solicitè collectam in schedula annotavit; verùm tam remissum suo examini dolorem subjunxit, ut, cùm, Sacrum Judicem accessurus, scelesti prostibuli fores transiret, induci se pateretur, ut priùs adhuc, quàm templum subiret, in illius ædes intraret, novam hanc culpam simul cum antiquis sanctum postea ad tribunal delaturus. Verùm enimverò, cùm jamjam in eo esset, ut sceleratæ suæ passioni habenas laxaret, insperatò juvenis alius, istius corrivalis, supervenit, qui repentè actus in furias, strictóque in eum irruens gladiô, uno ictu confossum ad æterna ablegavit. Invenêre deinde, qui mœsti cadaveris vestes excusserant, schedulam illam, quam eum in finem præparaverat, ut ex ea peccatorum suorum catalogum confessario recitaret. Age jam, si similis esses miserando huic juveni in peccandi temeritate sub spe facilis veniæ; numquid similis quoque esse aliquando posses in perferenda pœna? Profectò malum est adeò terribile damnari; ut ex innumeris casibus, qui quotidie ferè eveniunt, vel unicus extremo nos omnes horrore concute-

cutere, & noſtram peccandi libidinem refrænare penitus deberet.

LECTIO III.

De Impedimento, quod affert Saluti noſtræ, parùm curare peccata luxuriæ.

GRavis omnino ponderatio eſt S. Thomæ, cùm obſervat, quòd Mundi Magiſter S. Paulus de nullo alio vitio nos admoneat, ut ne ſeduci nos patiamur, quàm ubi de peccato luxuriæ loquitur. Sic ad Corinthios ſcribens, ne patiamini, inquit, à paſſione veſtra vos decipi; ſed pro certo habete, illum, quem libido poſſederit, Regnum Dei non poſſeſſurum: *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* 1. Cor. 6. v. 9. Id ipſum in Epiſtola ad Galatas repetit: nolite vosmetipſos decipere; nemini fas eſt cum Deo nugari; quod ſeminaverit homo, illud & metet: *Nolite errare: Deus non irridetur: quæ ſeminaverit homo, hæc & metet; quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corru-*

ruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Gal. 6. v. 8. Idem, & quidem apertiſſimè, Epheſiis inculcans, altiſſimè, ait, hanc veritatem animis veſtris imprimite, & ne patiamini vana vos garrulitate ſeduci; nullus fornicarius, aut immundus hæres eſt regni Jeſu Chriſti: *Hoc enim ſcitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei: nemo vos ſeducat inanibûs verbîs.* Hunc in modum, inquit S. Thomas, Apoſtolus loquitur, admonendo nos ſemper, ut ne ſeduci nos patiamur, quando agit de abominando luxuriæ peccato: *Notandum, quòd in vitiis carnalibus ſolùm docuit vitare ſeductionem*; quia à primo mundi exordio homines excogitare rationes conabantur, quibûs, quaſi balſamô, ſuæ carnalitatis putredinem illinerent: *Quia à principio, ut homines poſſent liberè frui concupiſcentiis, cogitaverunt invenire rationes, quòd fornicationes, & hujusmodi venerea non eſſent peccata.* S. Th. in c. 5. Eph. Lec. 3. Jam verò, cùm præeunte Evangelii luce tam palpabiles tene-

tenebræ, ut licita eſſe laſciviæ peccata reputentur, habere locum ampliùs non poſſint, elevare ſaltem eorum gravitatem ſatagunt, & peccata hujusmodi levis eſſe momenti, facilis veniæ, atque exiguum animæ damnum inferre ſibi perſuadent. Id proinde agemus in præſenti lectione, ut errorem hunc, qui alveum aperit innumerabilium ſcelerum torrenti, qui homines innumeros ſecum ad inferos devolvit, absque larva, prout eſt in ſe ipſo, aſpectui proponamus, oſtendendô primò damnum, quod affert ſaluti; & deinde remedium, quo ab eodem liberari poſſimus.

Damnum, quod infert Saluti, non curare peccata luxuriæ.

Loquendo absque ulla paſſione, negari non poteſt, hominem laſcivum, tametſi aliena non auferat, tametſi à detractionibus & blaſphemiis abſtineat, ſpectatîs ſolîs luxuriæ peccatîs, magnum eſſe peccatorem, atque in manifeſto æternæ damnationis diſcrimine verſari. Ut viam aperias cognoſcendæ

dæ huic veritati, revoca in memoriam finem Samſonis luctuoſiſſimum, cujus commiſeratione qui non tangitur, humanum ſe cor non habere apertè commonſtrat. Juvenis, ſuis parentibus à Deo per miraculum promiſſus, inter Nazarenos Deo dedicatus, à Deo in liberatorem populi ſui electus, poſtquam admirabili robore leonem in fruſta discerpſerat, poſtquam ſolâ aſini maxillâ integrum proſtrârat exercitum, poſtquam funes & nervos, veluti araneæ telam, diſruperat, tandem proditus à perfida fœmina, comprehenſus à Philiſtæis, ab iisdem crudeliter excœcatus, veluti jumentum ad trahendam molam aſinariam adhibitus, tandem altâ ruinâ, quam ſuîs ipſe manibûs ſibi injecerat, oppreſſus vitam terminavit. In iſto caſu adeò lacrymabili nihil jam aliud eſt magis funeſtum, quàm quòd imago ſit infauſtisſimæ ſortis plurimorum Chriſtianorum, qui inter ſancti Baptiſmatis miracula in ſinu S. Matris Eccleſiæ renati, electi, ut & ipſi ad ſanctitatem pertingerent, poſtquam eorum fides primîs innocentiæ annîs ab orco impugnata, ſemper invi-

cta

ἐta perſtitit; tandem in prædam cedunt perfidæ huic Dalilæ, atque omni exarmati fortitudine, omni libertate, omnî gloriâ ſpoliati eò deveniunt, ut vivere vitam incipiant, beſtiîs potiùs quàm hominibûs dignam: ipsámque infelicem hanc vitam, ſuîs paſſionibûs excœcati, morte terminent infeliciſſima, & tandem, præalto innumerabilium peccatorum pondere oppreſſi, ab imaginariis ſenſuum ſuorum voluptatibus ad vera, ſempiternáque tormenta, in inferni abyſſo ſubeunda, in momento deſcendant: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. 11. v. 12.

Verùm, ut magìs in particulari comparationem inſtituamus inter miſeriam Samſonis, quæ eſt figura, & miſeriam laſcivorum, quæ eſt figuratum, tres infelicitatis gradus in miſero Samſone obſervetis, velim, fuiſſe ligatum, fuiſſe excœcatum, fuiſſe oppreſſum. Jam iſta cum infelicitate luxurioſorum conferte.

Imprimis luxurioſi tot catenîs ligati ſunt, quot ſunt peccata, quorum ſe reos fecerunt, & per illa non hominum bar-

ba-

barorum, ſed ipſius dæmonis mancipia ſunt effecti. Ut autem, quàm magna ſit probroſæ hujus captivitatis calamitas, intelligamus, pravi habitûs violentiam obſervemus, neceſſum eſt. Qui dixit, conſuetudinem eſſe alteram naturam, parùm dixit; videmus enim, ipsâ naturâ eſſe potentiorem, utpote quam corrigit & vincit. Quænam res magìs eſt contraria naturæ, quàm venenum? & tamen ſcimus aliquos, qui, cùm paulatim illi ſumendo aſſueviſſent, tandem absque ullo damno venenô veſcebantur. Præter alios refert Rodiginus de quadam puella, quæ, cùm primò parùm aliquid de araneis manducare aſſueviſſet, inde ad cibos magìs venenatos progreſſa eſt, & quamvis adeò venenô ſcateret, ut vel ſolâ ſalivâ alios inficeret, nihilominus ipſa ex nutrimento, aliis tam nocivo, alebatur, & vires conſervabat. Videtis proinde, quantùm conſuetudo valeat, cùm ipſam naturam ſuperet, atque exinde jam concludite, quantò plùs tunc valitura ſit, quando naturæ non modò non opponitur, verùm cum illa etiam conſpirat. Qui tantum

tum habet roboris, ut lapidem, quamvis innato pondere reluctantem, in altum projiciat; quantò magis eidem deorſum jaciendo ſufficiet, quò ex naturali propenſione jam tendit? Hic igitur habitus, ex ſe adeò robuſtus, ſuam in vitiis fortitudinem duplicat, ut corruptæ naturæ impetum ſequatur. Ex nullo autem potentius, majúſque virium ſuarum augmentum recipit, quàm ex vitio luxuriæ; atque adeò credi non poteſt, quàm arctîs animam vinculîs conſtringat, quàm diram in eandem tyrannidem exerceat. Ad efformandum enim habitum, omni ex parte roboratum, hæc duo plurimum conferunt, nempe multitudo actuum peccaminoſorum, & intenſio, qua eliciuntur; hæc autem ipſa ſunt, quæ in peccatis luxuriæ magìs quàm in ullis aliis reperiuntur. Et quantum quidem ad intenſionem attinet, ſcire convenit, quòd operationes delicioſæ ſemper majore cum intenſione fiant, quàm aliæ: Et has ipſas inter operationes etiam illæ ſint intenſiores, quæ ad tactum pertinent; præcipuè verò illæ, quas natura ad propagandam

ſpeciem ordinavit; atque adeò unicus ejusmodi actus tanta ſit cum intenſione, ut aliquando ſe ſolo ad conſtituendum habitum poſſit ſufficere. Si leo humanum ſanguinem ſemel guſtavit, tanta ſemper illius cupidine exardeſcit, ut vix ampliùs valeat manſuefieri, & ipſi illius nutritii, quando cum illo tractandum, in ſummo vitæ periculo verſentur. Hæc eſt conditio habitûs luxuriæ poſt primum peccatum, quod in hoc genere committitur. Unde colligere jam licet, quantum futurum ſit illius robur, poſtquam impurorum actuum numerus auctus fuerit ſine numero; id eſt, poſtquam leo iſte, à primis unguiculis ad edendam hominum ſtragem aſſuetus, tam diuturno tempore tam gratô pabulô ſua viſcera exſatiavit? Dixi: numerus ſinè numero; quia hic eſt titulus, quem S. Petrus luxuriæ attribuit: *Inceſſabilis delicti.* 2. Pet. 2. Multi tam citò peccare incipiunt, ut malitiam bibiſſe cum lacte videantur: *Erraverunt ab utero.* Pſal. 52. Germen illud, quod capræ impuræ dentibûs arroſum eſt, nunquam ampliùs vireſcet. Ejuſdem prorſus

ſus naturæ communiter eſt germen innocentiæ; poſitô enim in infantia tam ſceleſtô principiô, animi puritas ſemel ab impura libidine arroſa nunquam ampliùs refloreſcit. Et hinc perverſam infantiam ſubſequitur deterior pueritia; malæ pueritiæ ſuccedit peſſima juventus, paríque paſſu omnis reliqua ætas procedit, in qua flamma hæc infernalis non niſi cum vita extinguitur, faculæ inſtar, atra ex pice confectæ, quæ ardere non ceſſat, donec penitus fuerit ab igne conſumpta: *Oſſa ejus replebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient*; inquit S. Job. c. 20. v. 11. Tamdiu peccatum non derelinquunt, donec à peccato ipſi non deſerantur. Adde, quòd illorum peccata certis Malabariæ fructibus ſint ſimilia, qui quidem exteriùs intuentibus ſimplices videntur; at verò ſi interiora eorundem viſcera aperiantur, alii inſuper aliíque fructus magno numero reperiuntur. Simili prorſus ratione in illo peccato, quod homines luxurioſi vocant peccatum unicum, quantam aliorum multitudinem Deus inveniet, ubi interiora illius viſce-

ra juſtus Judex exactiſſimè in judicio perſcrutabitur! quot prava deſideria, quot verba impura ad hanc illámve ſeducendam, quot machinationes, quot greſſus & ſemitas, quot honoraria, quot fraudes deprehendet! ut juſtam ſummam horum colligamus, turmatim iſtud genus peccatorum menſuremus, oportet; ſicuti olim Xerxes milites numerabat, eò quòd ſingulatim eorundem iniri numerus non poſſit. Quisnam autem capere ſufficienter jam valeat robur ſceleſti illius habitûs, qui tam vaſta actuum peccaminoſorum, toties repetitorum, & usque adeò intenſorum multitudine conflatur? & hinc quoque quis comprehendere jam poſſit, quàm arctîs ligatus vinculîs teneatur miſerabilis luxurioſus? *Duo nos ad peccatum ſolicitant, natura & habitus, quæ duo conjuncta robuſtiſſimam faciunt concupiſcentiam.* Aug. l. 83. l. 9. 68.

Priusquam autem ulteriùs progrediamur, conſiderare vos velim palmare mendacium, quo uno & ſibimetipſis & aliis imponunt, cùm ſua peccata fragilitatem appellant. Neſcio ſanè, an vel ipſe men-

nemdaciorum parens diabolus proferre in medium tam enorme mendacium non erubesceret; istud autem, si fortè & cor vestrum seduxisset, ut è medio tollatur, in publicam apertámque lucem protrahatur, necessum est, talpæ instar, quæ nisi sub terra vivere non potest. Primò itaque magna culpa est Christiani, etiam quòd fragilis sit: *Fecisti mala, & potuisti*, ait Dominus *apud Jerem.* c. 3. v. 5. Ab infidelibus itaque in judicio rationem exiget, quòd peccaverint, à Christianis autem non solùm quòd peccaverint, sed quòd peccare etiam potuerint. Gratia in sacro baptismatis lavacro suam te in tutelam ac velut in manus recepit; præivit te in actionibus tuis; in his ipsis constanter fideliterque te comitata est, ac subsecuta, ut omni te ex parte defenderet; & fragilem te jam esse dicas? unam solam Communionem Sacram ad hoc sufficere, ajebat S. Maria Magdalena de Pazzis, ut quis ad excelsum sanctitatis gradum ascendat; & tu toties hoc pane vitæ refectus, toties in Sacra Confessione adversùs infernum cœlesti robore confortatus es; & tanta nihilominus ti-

bi fragilitas insit, ut nemine etiam impellente concidas? Cogita jam, quid responsurus sis; Fragilitas erit illud, quod vel maximè coram districto Judice reum te faciet. Proinde scire te oportet, qui ex habitu peccat, haud quaquam ex fragilitate, sed malitia peccare, ùt docet Magistrorum Magister Angelicus Thomas; peccat enim cum plena electione, cum plena deliberatione ex parte intellectûs, & cum plena inclinatione ex parte voluntatis, & cum judicio stabili; unde suô etiam peccatô delectatur. Si famulorum aliquis in apparanda mensa unum scyphum quotidie aut plures etiam diffringeret, & postmodum se excusare niteretur, dicendo, scyphos ex vitro esse conflatos; an excusationem hanc ut justam admitteres? præcipuè verò, si non solùm cautiùs imposterum eos non tractaret, sed potiùs occasionem alios identidem frangendi studiosè inquireret; iísque confractis in risus & plausus erumperet, casúmque festivè aliis è familia recenseret? Et tamen hoc totum umbra tantummodo est illius, quod suis in peccatis facit homo luxuriosus; & postmodum

dum fragilitate se excusare nititur? Vix unicum etiam peccatum, pro fragilitate haberi potest; & tu vitam, quæ ab initio usque ad finem spurcitiis plena est, fragilitatem censeri vis?

Verùm ut ad intentum nostrum redeamus; Ecce! hominem lascivum, velut Samsonem ligatum, sed funibûs sinè comparatione fortioribûs, pravi nimirum habitûs, innumerabili gravissimorum criminum multitudine roborati, atque per hoc ad extremam miseriam redactum. Præsertim, cùm longo tempore in hoc tam lamentabili statu vivendo eò usque devolvatur, ut cum Samsone non modò oculorum usum, sed ipsos etiam oculos infelicissima cœcitate deperdat. Certissimum est, vitia omnia eclypsin quandam rationis in anima efficere. Verùm libido eclypsis est totalis, hæc enim (quæ Angelica est divi Thomæ doctrina) nulla in re secundùm rationis judicium procedit; & ubi iracundia, si ei non obediat, at eam saltem auscultat, libido etiam eam auscultare recusat. Ita Rex David, postquam in se ipso funestos istos lasciviæ effectus ex-

expertus erat, brevibûs hîſce verbîs eosdem vivaciſſimè deſcribit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem. Pſ.* 59. *Comprehenderunt me iniquitates meæ:* Ecce perverſi luxuriæ habitûs ligamina! *Et non potui, ut viderem:* Ecce! luctuoſam cœcitatem! ob quam non dicit ſe non vidiſſe; ſed nec videre quidem potuiſſe; per abominandum enim hoc vitium usque eò devenit hominis anima, ut quaſi omnem rerum divinarum fidem amittat, talémque vivere vitam incipiat, ac ſi pro ſe nec infernus, nec paradiſus exiſteret. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Oſe. 4. v. 11. Et quanto demum temporeDavidem, putatis, poſt commisſum adulterium exſpectâſſe, donec denuo ad cor rediret? in ſcelere perſtitit ad annum circiter; & haud dubiè adhuc diutiùs in illo perſeverâſſet, niſi Deus per alium Prophetam amiſſos oculos in ſuum, ut ita loquar, locum ipſi repoſuiſſet. O Rem planè horrificam! homo ſecundùm cor Dei efformatus, homo cœleſtibus deliciis aſſuetus, myſteriorum divinitatis occultiſſimorum Secretarius, vix huic luto

luto luxuriæ pedem infigit, & omnem virtutum vigorem amittit: *Dereliquit me virtus mea*; tantásque tenebras menti inducit, ut impendentem ſuo capiti Divinæ jùſtitiæ gladium non modò non videat, ſed ne videre quidem valeat: *Non potui, ut viderem*; ac ſi Deum non ampliùs agnoſceret. Inde jam concludas velim, ſi unicum luxuriæ peccatum eò cœcitatis Prophetam deducit, qui tanto tempore vivere vitam aſſueverat humanâ altiorem, quousque tandem cœcitatis luxurioſos promovebit innumerabilis turpiſſimorum criminum multitudo, quibûs ab annis teneris ad extremam usque canitiem omnes ſuos dies contaminant?

Denique Samſon, poſtquam in vinculis amiſerat libertatem; poſtquam inſuper non viſum tantummodo, ſed ipſos etiam oculos perdiderat, ſub alta, quam ipſus ſibi ſuperinjecit, ruina oppreſſus interiit. Hoc ipſum etiam luxurioſis obtingit, hoc tamen diſcrimine, quòd Samſon oppreſſus de ſuis hoſtibus gloriosè triumphârit; luxurioſi verò æternum in infernali abyſſo dæmonibus trium-

umphum adornent. Itaque in quid tandem desinit vita inter ſcelera transacta, niſi in mortem peccatoris, hoc eſt, longè peſſimam, per quam ſimul & temporalia amittuntur & æterna; & incurritur miſeria, immenſa in pœnarum multitudine, & infinita in ſua duratione! *Mors peccatorum peſſima.* Pſal. 33. Qui cum diuturno morbo luctantur, juxta medicorum aphoriſmum in hyeme decedunt: *Qui morbîs diuturnîs laborant, moriuntur tempore hyemis.* Certum eſt, hoc ipſum communiter luxurioſis evenire, utpote qui per totam quaſi vitam infirmi, & novîs identidem, iiſque ſemper periculoſioribûs ſymptomatîs eò reducuntur, ut excedere vitâ debeant tempore hyemis, congelatæ ob gratiæ auxiliorum paucitatem, queis toties infelices iſti indignos ſe reddidêre, congelatæ turbine tentationum vehementiſſimarum, quibus materiam ſimul & robur tot tantíſque ſuîs exceſſibûs ſuppeditârunt, congelatæ denique ob inveteratam jam voluntatis pigritiam ad aggrediendum bonum, & deteſtandas efficaciter prohibitas voluptates. Et hoc quidem ſi ad

ex-

extrema redactis tempus non desit ad componendas animæ rationes; & si mors non obscura sui adventûs indicia præmittat, cursoris in morem, qui inflare cornu assolet, antequam ad hospitium pertingat; judica jam, quid tum denique contingat, ubi mors latronis instar supervenit, nihil de ea cogitantibus, vel quòd veniat improvisò, vel quòd gravitas morbi, temporalium negotiorum compositio, spes recuperandæ valetudinis, omnes ad lucrandam æternitatem residuas temporis reliquias his miseris auferat; unde absque eo, quòd gloriari possint, se in vita sua præterita vel per mensem continuum Dei legem observâsse, unico quasi saltu à suis sceleribus transeunt ad tribunal infinitæ justitiæ, quæ & Bonitatem Dei, & peccata hominum; sua beneficia, & nostram ingratitudinem justa in statera appendit, & in utrisque videt abyssum sinè termino.

Ex hoc, quod hactenus dictum est, facilì negotiô duplicem potes veritatem eruere; prima est: luxuriosum hominem absque dubio esse magnum pecca-

to-

torem, tum ob criminum multitudinem, tum ob ingentem, qua committuntur, malitiam; tum denique ob ipſorum iſtorum ſcelerum enormitatem; quæ cùm, juxta doctrinam S. Thomæ, ſint oppoſita bono vitæ hominis naſcituri, poſt homicidium ex iis, quæ contra proximum committuntur, ſunt omnium graviſſima; præterquam quòd ſpecialem ſecum afferant deformitatem propter injuſtitiam, aliáſque ſummæ abominationis circumſtantias, quibuscum ſæpenumero conjunguntur. Altera deinde veritas, quæ hujus ſtatûs miſeriam immensùm adauget, eſt, quòd homo laſcivus non modò ſemper ſit magnus peccator; ſed inſuper talis, qui raró evadat ſerió pœnitens; cùm eò inducere animum non valeat, ut peccatorum ſuorum malitiam, cùm eorum ſe in confeſſione accuſat, efficacî odiô deteſtetur: *Malitiam autem non odivit.* Pſal. 35. Quamdiu apoſtema non eſt maturum, acutiſſimîs doloribûs lancinat; ubi verò maturuit, putridáque ſanie refertum eſt, nihil ampliùs exinde doloris ſentitur. Ita omnino ſe res habet cum iis, qui

qui peccandi habitum contraxerunt, utì non obſcurè ex eo licet concludere, quòd nullum arripiant remedium, quo ſanitati reſtituantur; quòd fugiant confeſſarios, qui ſuas turpitudines reprehendunt: & ſemper illos mutent, donec ex iis aliquem reperiant, qui, ut ita dicam, cancro aquâ roſaceâ medeatur. Quodnam clarius deſideras indicium, quòd vulnus nullum tibi dolorem afferat, quàm ſi illud nec faſciîs obliges, nec ullum ei emplaſtrum applices, & in dies ſingulos chirurgum permutes? quisnam autem ſtatum excogitet magìs miſerandum, quàm ſit illius, qui adeò pacatè illa in ſtatione quieſcit, quæ tam facilè mutari poteſt in præcipitium ſempiternum? *Quid miſerius miſero, non miſerante ſeipſum?* dicebat S. Auguſtinus. Si miſeriam tuam non agnoſcas; ſi periculum damnationis non apprehendas; ſi nullam illud evadendi ſolicitudinem adhibeas; quid aliud jam dici poteſt, niſi ad illud profundum jam te deſcendiſſe, ex quo longiùs progredi non posſis, niſi infernum ſubeas; quódque non eſt aliud, quàm peccati contemptus? *Impius*

pius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18. v. 8. Unicum remedium abolendi peccatum, est illud summo dolore detestari; qua autem illud ratione summo dolore detestaberis, si apprehendas ùt fragilitatem, ùt jocum, ùt malum nullius prorsus momenti?

Remedium ad tollendum hoc impedimentum.

Loquendo jam de remediis, primum sit semper ex omnibus, oportet, devota oratio, qua lucem à Patre Luminum submisso corde flagitemus, ut ea prælucente hujus mali magnitudinem plenè cognoscere, atque ita ab illo liberari valeamus. *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* c. 31. v. 19. ad Deum ajebat Jeremias Propheta, quoad usque enim divina Clementia vitiorum nostrorum turpitudinem nobis non ob oculos ponit, illius præcipuè, quod adeò à voluptuosis amatur, nempe luxuriæ, nulla unquam ratione ad illius detestationem ac fugam permovemur. Considera, quid evenerit S. Mariæ Magdalenæ. Hæc, priusquam superno isthoc lu-

lumine fuerat illuſtrata; inter ſcelera exultans, ſuâ ſe profligatæ vitæ licentiâ beatam credebat; at verò, ubi primus divinæ colluſtrationis radius in illius ſeſe animum infuderat: *Ut cognovit*; tantam in ſe deformitatem conſpiciebat, ut ſepoſito omni alio reſpectu ad amabiliſſimi Redemptoris pedes accurrerit, in aliena domo, publico in convivio, præſentibûs protervè irridentibûs, uberrimîs diffluere lacrymîs inceperit, nec priùs flere, quàm vivere ceſsârit, etiamſi ſeſe jam ſemi-Beatam videret; utpote quæ ſæpius de die ex ſpelunca ſua Maſſilienſi Angelorum manibûs ad audiendam cœleſtium concentuum ſuavitatem elevabatur; quaſi in paradiſum, ex qua æterna lege proſcriptæ ſunt, introducere lacrymas tentaret. Atque hæc erat illa lux, quæ Sanctos movebat, ut à vitio adeò abominando tantopere abhorrerent. Vel unica fœda ejusmodi cogitatio, cùm vigilantem Sancti Franciſci Xaverii aggredi animum non auderet, eundem ſopore oppreſſum oppugnare tentavit, tantóque Virum ſanctum horrore concuſſit, ut circa præcor-

cordia vena rumperetur. Pari horrore perſtricta eſt S. Franciſca Romana, quæ, cùm meretricis cujusdem ædes tranſiisſet, ídque ab aliis reſciviſſet, repentè deliquiô oppreſſa in terram concidit. Simili quoque horrore contremuit Beata Maria Ognatenſis, quæ, ubi locum quendam, iſtorum ſcelerum ſordibûs commaculatum, pertranſiſſet, nihil priùs capere quietis potuit, quàm novaculâ ſibi radi utriusque pedis plantas curâſſet, quas peſtifero luxuriæ infectas fuiſſe pædore exiſtimabat. Nihil proinde aliud eſt, niſi miſeranda cœcitas huic vitio tam propria, quæ abominandas has ſpurcitias aut excuſabiles, aut etiam tam acceptas tibi efficit; ſecùs profectò tua immunditia æquè tuis, atque oculis divinis execrabilis appareret: *Immunditia tua exsecrabilis.* Ezech. 24. v. 13.

Secundum remedium eſt, peccatorum hujusmodi tam turpium ſeriem tam diu continuatam per aliquod tempus interrumpere; quemadmodum enim illi, qui ex terræ viſceribus ſulphur ſolent effodere, quamdiu ſuo labori inſiſtunt,

ſiſtunt, nihil inde fœtoris advertunt; at verò, ubi per aliquod tempus ab hoc labore recedunt, fœtorem denuò ſentire incipiunt: ita pariter anima, quæ inter luxuriæ peccata quaſi ſenſum perdiderat vitii illius, quod vel ipſi dæmoni ſtomachum movet, ſi per aliquod tempus ab illo ſe abſtinet, rurſum ſentire ejusdem abominationem incipit. Verùm enimverò hoc opus, hic labor, dices mihi; hæc ipſa ſumma eſt difficultas, hanc ſeriem reſecare, continuatam hanc catenam abrumpere, pravum hunc habitum ſuperare. Ita ſanè eſt; & ideo, ut hoc remedium magìs in particulari explicemus, imaginemur nobis aliquem, qui hujus vitii habitum contraxit, ſimilem eſſe triginta annorum languido, quem Redemptor ſanitati reſtituit, & ex methodo, qua Chriſtus in illo curando uſus eſt, curationis tuæ modum diſce.

Primò igitur Redemptor ex hoc tanti temporis infirmo, an ſanus fieri optaret, quæſivit: *Vis ſanus fieri?* Joan. 5. v. 6. Hic namque primus ad ſanitatem gradus eſt, ut revera ſanus eſſe de-

ſideres; illi vagabundi, qui cum vulneribus, quæ vel natura, vel ars inflixit, à pia aliorum commiſeratione pingues eleemoſynas elicientes circumvagantur, ſi, an ſanari à plagis ſuis deſiderent, interrogarentur, haud dubiè ſinè mora reſponderent; ſe id minimè deſiderare; purulenta enim hæc vulnera niſi forent, unde viverent, neſcirent. Hoc ipſum peccatoribus contingit contracto luxuriæ habitu; Nihil enim magìs horreſcunt, quàm omnino ſordidîs ſuîs deliciîs privari; id eſt, timent, ne ipſorum vulnera curentur. Ita omnium nomine de ſe confitetur S. Auguſtinus: *Timebam, ne me citò ſanares*; Illius locô, quòd exoptarem, ut tu, O Domine, tanquam cœleſtis medicus à meo me ulcere ſanares; timebam ſanari; & ipſa vita intolerabilis mihi videbatur, ſi citò ſanitas mihi redderetur. Tu proinde, ſi animæ tuæ ſalutis te cura tangit, vehementiſſimum in corde deſiderium excita, ut à peſte usque adeò fatali citò te liberum videas; conſidera, in eo te ſtatu verſari, quo miſerior reperiri in terra non valeat; qui non eſt alius, quàm circumferre ſecum

cum habitum illius vitii, quod ſuîs turpitudinibûs tot hodie animas in infernum præcipitat, quot olim dæmones in eundem ſuo faſtu ſuperbia deturbavit: *Exceptîs parvulîs pauci ex adultis propter carnis vitium ſalvantur;* graviter ſcripſit S. Remigius.

Deinde dixit Chriſtus Dominus illi languido ad piſcinam, ut è lecto ſuo ſurgeret: *Surge;* atque hic ſecundus eſt paſſus, quem facere debes, ut ad obtinendam ſanitatem propiùs accedas; nempe ſurgendum à periculoſa illa converſatione, à noxiorum illorum librorum lectione, ab otio, quo totos dies tranſigis, à ſociorum illorum contubernio, qui linguam bis carnalem in ore recondunt, & usque adeò fœtidam, ut vel ipſum etiam aërem inficiat. Velle ſanari, & non fugere hæc & ſimilia alia concupiſcentiæ incentiva, idem foret, ac velle ſanitatem illæſam, & non velle exuere veſtes peſtifera lue infectas. Luxuria eſt quædam peſtis; & ideo contra illam adhiberi præſentius remedium non poteſt, quàm ſeparatio. Illæ cautelæ, quæ aliîs temporîbûs crudelitatem ſaperent,

rent, communis peſtilentiæ tempore ſunt quædam neceſſitas. Hoc niſi fiat, delicioſum objectum noſtros ad ſe ſenſus attrahit; nec aliud quidquam, quàm præſentis voluptatis illecebras cogitare nos patitur; quemadmodum ille, qui menſæ aſſidet, diverſo ferculorum genere copiosè inſtructæ, ad nihil aliud, quàm ad ciborum delicias animum advertit, & facilè ſui, quo jejunare ſtatuerat, propoſiti obliviſcitur; quod neutiquam memoriâ excidiſſet, ſi menſæ frugali asſediſſet: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. v. 27.

Tertiò juſſit Dominus languidum illum, lectum ſuum levare, & humeris ſuis imponere: *Tolle grabatum tuum.* Grabatum hoc eſt corpus tuum, quod quidem animæ non ad capiendam in eo quietem, ſed ad malorum ſuorum fomentum deſervit; atque adeò ſanctæ mortificationis operibûs coërcendum eſt, ſi in votis ſit ſanitatem recuperare. Occaſio eſt Mater, quæ luxuriam parturit; intemperantia verò eſt nutrix, quæ maledictam hanc prolem propinato lacte educat, & ſuſtentat. Refert S. Augu-

ſti-

ſtinus, multos ſuo tempore non ſolùm ex viris robuſtioribus, ſed delicatioribus etiam puellis duos trésve dies jejunos exegiſſe; & hodie, etiam diebûs ab Eccleſiæ præſcriptîs, vanis prætextibus à lege jejunii ſe paſſim eximunt; & ſi quidem aliquando huic ſeſe præcepto ſubjiciunt, tantîs ſuum jejunium gulæ cupediîs permiſcent, ut cum eodem S. Auguſtino dici queat: *Hoc non eſt ſuſcipere abſtinentiam; ſed mutare luxuriam;* Iſtud profectò non eſt agere pœnitentiam, ſed mutare voluptates; & irritare potiùs appetitum, quàm affligere. Unde mirum non eſt, ſi olim tot candidæ columbæ in Eccleſiæ vinea extiterint, quæ ſuo eandem nitore exornarent, quot hodie animalia immunda in ea reperiuntur, quæ eandem conſpurcant, ac vaſtant. Et profectò, qua ratione ignis extinguatur, cui tot identidem ligna injiciuntur, quot ſunt deliciæ, quas inter vita tranſigitur? Vis, ut indomita concupiſcentiæ beſtia non recalcitret, & inſatiabilem illius ventrem lectiſſimô conſtanter pabulô infarcis? Putásne, pretioſum caſtitatis theſaurum cu-

custodire te posse absque eo, quòd corpus aliquo asperitatis genere castiges, cùm absque illius castigatione Apostolus cum omnibus suis sudoribus, cum omnibus suis peregrinationibus, cum omnibus suis prædicationibus, cum omnibus suis naufragiis, & cum omnibus Apostolatûs sui laboribus ne quidem salvari se posse consideret? *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. v. 26. Magna itaque est luxuriosorum hominum ignorantia; primò quidem, quia sibi persuadent, quòd tam facilî negotiô pervenire ad æternam salutem valeant, per hoc nempe solum, si semel in anno peccatorum suorum numerum ineant, atque eorum summam, ad pedes confessarii provoluti, frigida eidem mente exponant; deinde verò, quia se aliquando fore castos existimant, quin relaxationum suarum delicias, & effœminatæ vitæ commoda seponant: *Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium.* Job. 28. v. 13. Ita Divina Sapientia nos docet. Quando herbas odoriferas aut nasci, aut crescere in fœti-

tidis paludibus inveneris, tunc quoque ſperare potes, caſtitatem aliáque dona cæleſtia reperiri in animo, qui totus quantus inquirendis deliciis, non dicam tantùm ſenſualibus, ſed etiam ſenſibilibus inſudat. Statue igitur, cum conſilio confeſſarii adhibere jejunium aliquod, abſtinentiam & corporis mortificationem, affligendo illud, aut aliquam ſaltem eidem commoditatem ſubtrahendo, ut hác ratione pretioſiſſimum iſtud puritatis lilium quaſi ſepe includas, quod, niſi inter ſpinas, inveniri non poteſt.

Ultimum denique hujus languidi ſanitatis complementum extitit, quòd Dominus ei dixerit, ut ambularet: *Ambula.* Id ipſum quoque tuæ erit ſanitatis complementum, facere progreſſum, & ulteriùs ſemper in via bona procedere. Ratio, ob quam ita facilè à propoſito deſciſcas, eſt iſta; quia nempe, cùm confiteris, vitare quidem peccata, non autem peragere opera bona, ad evitandum relapſum neceſſaria, proponis. Hîs operibûs ad oppugnandos pravos habitus gratiam acquires magìs ſingularem Dei; inſuper protectionem

gìs ſpecialem, qua contra illorum violentiam defendaris; id, quod ſequentibûs verbîs S. Mater Eccleſia nobis inſinuat: *Ut bonis operibus inhærentes, tua ſemper mereamur protectione defendi.* Statue itaque, piæ cuidam congregationi adſcribi; de ſacro quodam libro tibi proſpice; bonum confeſſarium elige; ad Potentiſſimum divinæ Matris patrocinium confuge, præſtando eidem diebûs ſingulîs aliquod obſequium, aut Illius Officium aut Roſarium recitandô; ante omnia verò ſummopere tibi cordi ſit, Sanctiſſima Sacramenta frequentate; nam, ſicuti apes, eò quòd melle ſe nutriant, longè diutiùs quàm reliqua inſecta vitam ſuam protrahunt; ita, ſi ſæpius iſthoc cœleſti melle, Sacra nimirum Communione, animam paſcas, illud obtinebis: ut vitam nunquam interruptam vivas, nunc quidem vitam gratiæ; paulò pòſt autem gloriæ ſempiternæ. Atque hæc remedia ſi cautè ac diligenter adhibueris, integram Sanitatem recipies, adeò ut gloriari de te quoque poſſit cœleſtis Medicus verbîs illîs: *Totum hominem ſanum feci.*

LECTIO IV.

De impedimento, quod affert Saluti Superbia.

INter omnes febres periculosissima est febris maligna: utpote quæ inimicus est naturæ occultus simul & formidabilis. Ita quoque inter vitia omnia, quæ sunt animæ febres, periculosissimum est Superbia; quia quò majus affert sua malignitate nocumentum, tantò magìs est abscondita illi, qui eâdem est infectus. Cogitate, an ex mundanis reperire sit quemquam, qui conscientiæ sibi ducat, quòd superbiâ intumescat? usque adeò se vano tumore ingurgitant, ut eodem se etiam veluti coronare præsumant; unde jam dudum illis Isaias Propheta maledixit: *Væ coronæ superbiæ; ebriis Ephraim.* c. 28. v. 1. Credunt, quòd hoc sit alere generosos Spiritus; quòd sit nobilium partes adimplere, quòd sit sanguinem juxta, ac familiam honore afficere; nulli unquam cedere, se semper suáque sola super omnia extollere. Quapropter utilissima erit præsens lectio, si & hu-

jus morbi malignitatem ob oculos ponet, & illo laborantibus opportunum remedium ſubminiſtrabit.

Quid igitur eſt ſuperbia, quam in præſentiarum condemnare aggredimur? Eſt inordinatum propriæ excellentiæ deſiderium, quo homo pluris ſe æſtimat, quàm revera eſt, & ita quoque æſtimari ab aliis deſiderat. Proinde homo ſuperbus nihil magni facit, niſi ſeipſum; nihil conſiderat præter ſeipſum, & araneæ in morem in telæ ſuæ centro ſe collocat, ac omnes ſuas cogitationes, quaſi totidem fila ad ſe ſolum dirigit. Quodſi quos habeat ſuæ poteſtati ſubjectos, eandem in illos, quaſi in jumenta, exercet; illos, qui non ſunt ſubditi, tractat veluti mancipia; cum conſanguineis agit, ac ſi ne quidem unquam noviſſet; cum civibus, quaſi forent extranei: *Famulis pro jumentis utitur*, inquit Philo, *ingenuis pro mancipiis, cognatis pro alienis, civibus pro externis. L. de Char.* Verùm vivacioribûs adhuc coloribûs ſuperbi hominis conditionem Divina nobis Scriptura depingit, ubi Regis Nabuchodonoſoris ſenſus exponit: *In Aula Babylo-*

lonis deambulabat ; respondítque Rex, & ait : nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in Domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Dan. 4. v. 27. Isthæc superbi hujus Regis sua in Aula deambulatio illam complacentiam denotat, quam quivis superbus habet de seipso; jactantiam illam de ingenii sui præstantia, de amœna cum aliis agendi dexteritate, de sua in loquendo facundia, de divitiis, de nobilitate, imò & de vestium elegantia, de quibus insolentiùs, quàm pavo ob plumarum suarum pulchritudinem, intumescit: *Deambulabat in Aula.* Deinde postquam adeò semetipsum admiratus fuerat Nabuchodonosor, alia insuper illius animum admiratio subiit, nempe, cur non & alii quoque pari ratione se Regem admirabundi suspicerent; & ideo, quasi disputaret cum illis, absque eo, quòd interrogatus fuisset, respondit: annon mea est grandis hæc civitas Babylonia? annon talis est, cui similem nemo uspiam in toto Orbe reperiat? *Respondítque Rex, & ait: nonne hæc est Babylon magna?* Ita prorsus homo superbus

bus haud quaquam contentus eſt eo, quòd ſe ipſum æſtimet; vult præterea æſtimari, & admirationi eſſe aliis omnibus, illósque inter adverſarios numerat, qui admirari ſeſe, & magni facere detrectant. Similî modô omne illud, quantumcunque ſit exiguum, quod de qualicunque prærogativæ genere poſſidet, ipſi magnum videtur; quemadmodum ſomnianti accidit, qui, ſi parùm aliquid phlegmatis gutturi adhæreat, integrô mellis favô demulceri, & ſi paucæ ſudoris ſtillæ ipſum humectent, totus ſubmergi aquarum fluctibûs ſibi videtur. Verùm hîc nondum inſaniæ finis: Nabuchodonoſor non ſolummodo verum amplificat; verùm de illo etiam gloriatur, quod manifeſtò falſum eſſe novit, cùm civitatem Babylonicam ſe ædificâſſe affirmet; quam tantummodo ampliorem reddiderat, utpote jam dudum ab alio, nimirum Belo, extructam. Simili prorſus ratione ſuperbi factorum ſuorum narrationi non ſolùm multa grandia, & ſplendida, ſed aperta inſuper mendacia immiſcent, utpote qui hunc illúmve à ſe devictum gloriabundi

ja-

jactitant, cùm tamen ipsi victoriam cesserint, atque adeò suum opprobrium in suæ laudis materiam convertere nituntur. Denique, quod ultimum Nabuchodonosoris stultitiæ complementum addidit, fuit istud, quòd grande hoc opus, quod somniârat, suæ fortitudini, imò fortitudini suæ fortitudinis, & gloriæ suæ gloriæ adscriberet: *Quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Ita quoque superbi; tametsi non eò usque perveniant, ut speculativè suorum se bonorum authores reputent, quasi omnia ipsorum meritis debita, & non tanquam eleemosyna â Supremo Domino forent concessa: tametsi, inquam, ad errorem hunc speculativum non pertingant (sic enim forent hæretici) tamen in hunc ipsum practicè impingunt, cùm se ita æstiment, ac si tales existerent, & ùt tales etiam tractari ab aliis desiderent; unde, quamvis non verbîs, saltem operibûs dicunt, quòd fortitudo suæ fortitudinis, hoc est, extraordinaria sua industria totum effecerit: *In robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.*

Sed

Sed enim, hoc totum potiùs ſuperbi hominis phreneſis, quàm grave Chriſtianæ animæ damnum tibi videbitur; ſed erras vehementer, ſi ita judicas.

Damnum, quòd Saluti affert Superbia.

Nemo damni, quod animæ infert ſuperbia, gravitatem ſatìs poteſt explicare. Ut aliquid ſaltem de illa dicamus, adverte, in hoc mundo malorum omnium ſummum eſſe peccatum, & bonorum omnium ſummum eſſe gratiam divinam. Jam verò ſuperbia ad omnes peccati ſpecies nos diſponit, & omnibus gratiæ ſpeciebus ſe opponit, & ideo, quonam alio majore nos afficere damno queat?

Igitur ad omnis generis ſcelera diſponit. Duplicî modô ſuperbia cor noſtrum poteſt inficere, nimirum usque adeò creſcendo, ut tollat ex illo omnem ſubjectionem Deo debitam, & in hoc caſu jam clarè pateſcit, quòd hominem in Dæmonem permutaret, forétque quemadmodum S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 6. appellat, peccatorum omnium gra-

gravissimum. Aut potest etiam fieri, ut eò usque illius malitia non ascendat, utì ordinariè contingit; & in hoc casu, etiamsi sit culpa tantummodo venialis, facilè tamen hominem in omnis generis flagitia præcipitat; illud enim evenire in praxi advertimus, quod fieri à serpente conspicimus; quia ubi in locum aliquem capite intravit, cum toto postmodum reliquo corpore subsequitur; ita prorsus, ubi superbiæ vitium hominis animum ingressum est, facilè, quidquid iniquitatis adhuc reliquuum est, succedit: hanc certè ob rationem Ecclesiasticus: *Initium*, inquit, *omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictîs*. c. 20. & sanè fateamur, necessum est, hoc vitium esse majus, quàm omnia alia, cùm Deus in istius pœnam & correctionem permittat, ut homo superbiâ infectus in peccata alia labatur; secùs profectò haud quaquam Deus boni medici partes impleret, qui, ad curandum malum minus, malum majus permitteret. Illud autem veritati consonum esse, ex duplici peccatorum specie desumi potest, quæ mundum

dum universum inficiunt, & sunt hæresis atque luxuria. Ad luxuriam quod attinet, satìs sit dicere, quòd intolerabili Anti-Christi superbiæ Propheta Daniel statim lasciviæ insolentiam subjungat: *Deum Patrum suorum non reputabit*: ecce! superbissimum! *& erit in concupiscentiis fœminarum*: ecce luxuriosissimum, & quasi in profunda impuritatis mephyti sepultum! non enim tam impuritas in ipso, quàm ipse in impurissimo hoc cœno immersus est totus, ut sic nobis connexio, & quasi conjunctio detegeretur, quæ impuritatem inter & superbiam intercedit.

Id ipsum de altero illo majore peccato sentite, quod est hæresis. Circumferte paulisper oculos vestros per orbem Christianum, & tot támque diversas sectas, quæ serpentum instar mutuîs sese invicem morsibûs lacerant, per eundem dispersas contemplamini; jam scitote, inquit S. Augustinus, quòd, licèt tam numerosa, & adeò diversimodè maculata sit venenata isthæc progenies, unam tamen eandémque Matrem agnoscat, scilicet superbiam: *Diversîs locîs sunt diversæ hæ-*

hæreſes; ſed una mater ſuperbia omnes genuit. Lib. de Paſt. A Simone Mago, qui primus fuerat hæreſiarcha, usque ad Anti-Chriſtum, qui erit ultimus, perluſtratîs omnibûs hiſtoriîs, verius motivum non reperies, quod ad excogitandos tot impios errores eos impulit, quàm ſuperbam illam pertinaciam ac arrogantiam, qua contra Catholicam Eccleſiam inſurrexerunt. Et quid multîs? tanta ſibi invicem Chriſtiana fides & ſuperbia contrarietate opponuntur, ut eodem ſimul in animo nequaquam ſtare poſſe videantur. Unde incarnata Dei Sapientia Phariſæis dixerat, quòd tribuendo ſibi invicem humanam gloriam, eámque acceptando, incapaces ſe efficerent veræ fidei: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Joan. 5. Ex quibus verbis colligere licet, ſi acceptare ſolummodo vanam gloriam, introducendæ in animam fidei obſtaculum quaſi inſuperabile opponit, quantum denique eidem impedimentum objecturum ſit, quærere hunc honorem in omnibus, & paratum

esse conculcare Dei legem, perdere animam, subire infernum, ut ne vel unica hujus fumi mica amittatur, quemadmodum quotidie tot nobiles faciunt, parati semper ad offerendum, & acceptandum Duellum; quia, secus si facerent, ùt ajunt, honoris sui jacturam paterentur.

Ecce igitur! ad quale præcipitium perducere te valeat superbia; primò omnis generis sordibûs totam animam opplebit; & deinde, quemadmodum à stomacho, noxiîs humoribûs scatente, sæpenumero capitis vertigines proveniunt; ita à conscientia sceleribûs plena ejusmodi in fide vacillatio orietur, qua in dubium trahi incipiant ipsa fidei fundamenta, & qua eò usque deveniri potest, ut cœlum simul & infernus merissima fabula reputetur. Hoc totum longè adhuc manifestiùs apparet, siquis illam contrarietatem consideret, qua superbia gratiæ opponitur. Scire enim oportet, quòd ex nobismetipsis ne tantum quidem virium habeamus, ut vel unicam, quæ nostræ salutis initium existat, elicere cogitationem valeamus; sed necessarium omnino sit, ut ad illam concipien-

dam

dam ſuâ nos gratiâ Divina Bonitas roboret, & confortet. Judica jam exinde, quàm neceſſaria futura ſit hæc ipſa gratia ad ſalutis noſtræ opus complendum, ſi illius aſſiſtentia ad formandam mente etiam tenuem delineationem ita indiſpenſabiliter requiratur; ſi ſolîs noſtri arbitrii viribûs cogitare bonum non valemus, qua tandem ratione hîs ipsîs illud perficiemus, peccatum ſuper omnia mala deteſtando, & Deum ſuper omnia bona amando, quod tamen facere ad ſalvandam animam eſt ſummè neceſſarium? Jam hoc gratiæ divinæ auxilium, ad conſequendam vitam æternam adeò neceſſarium, aut negabit tibi divina juſtitia in pœnam ſuperbiæ, aut tam parcè concedet, ut ad eidem cooperandum animum non inducas, & pœnitendi gratia aut omnino deerit, aut tibi in vita, vel etiam morte tam languidè aſſiſtet, ut tua pigritia optatum exinde reportare fructum non ſciat. Bene proinde intelligamus, oportet, hanc veritatem, gratiam nempe Chriſtianam, gratiam eſſe humilitatis, non ſolùm, ſi illius principium, quod eſt ſancta crux, per quam Chriſtus Jeſus

humiliando ſe usque ad mortem tam grande nobis donum promeritus eſt; verùm etiam ſi illius effectus ſpectemus, qui omnes tendunt ad humiliandum hominem, ut Deo gloria tribuatur, ad humiliandum intellectum, ut in obſequium fidei ſe captivet, ad humiliandam voluntatem, ut virtutibus reliquis locus paretur. Quapropter ſi ſpiritus tuus coram Deo humilis non fuerit, nunquam cœleſtibûs hîſce divinæ gratiæ lymphîs irrigabitur, quæ ab excelſis ſuperborum montibus in ſubjectas humilium valles defluunt, easdémque omnis boni affluentiâ fœcundant. Quæ Sancti Auguſtini doctrina eſt.

Hæc ipſa contrarietas ſuperbiam inter & gratiam magìs adhuc ex eo eluceſcit, quòd non modò donis cœleſtibus aditùm in animam præcludat, antequam illam ſubeant; verùm illa etiam expellat, poſtquam jam fuerant ingreſſa, ita, ut, qui paulò ante propter bonorum operum multitudinem, virtutúmque varietatem ditiſſimus erat coram Deo, ſi inordinatæ ſui ipſius æſtimationi locum concedat, ad extremam ſtatim pauperiem redactus, mi-

miserrimus efficiatur. *Ille ego, quondam opulentus, repentè contritus sum.* Job. 16. v. 13. Quemadmodum evenire columbæ conspicimus, quæ, cùm ad solis radios ob suum candorem, & splendentem plumarum suarum varietatem seipsam superbè circumspicit, improvisò supervenientis accipitris unguibus in prædam cedit: *Gaudentem in ipsa gloria rapit. Plin. Lib.* 10. *c.* 36. Considerate, quidnam fuerit aliquando Græcia, celebre illud sanctitatis, sapientiæ, & fidei theatrum, in quo vel ipsa etiam Deserta hominibûs sanctîs erant repleta, jam verò tota est mera infidelitas, mera ignorantia, & impuritas; & istud quidem non aliam profectò ob rationem, quàm in pœnam superbiæ, propter quam elegit Deus, potiùs tolerare populos illos, spurcissima Mahometis lege, quàm superbiâ contaminatos. Unde, si non omne in te rationis lumên extinctum est, Divini Spiritûs consilium accipe, & executioni manda: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Noli unquam permittere, ut vel interiùs in corde, aut deforis in operi-

ribus tuis tibi ſuperbia dominetur, quia ex maledicto hoc vitio omne ſemper, quod unquam mundum afflixit, tam culpæ, quàm pœnæ malum enatum eſt: *In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Tob. 4. In loco adeò lubrico non alius lapſum devitandi modus ſupereſt, quàm ut humi jaceas: *Qui ſedet in terra, non habet, unde cadat.*

Remedium, quo Superbiæ malo medeamur.

Verùm, quodnam remedium inveniemus contra illud vitium, quod, quantò æquius primo intuitu videtur, ut longiſſimè abſit à paupertate noſtra, tantò firmiorem ob naturæ noſtræ corruptelam in viſceribus noſtris ſedem fixit, ſimúlque pauperes nos efficit & ſuperbos, & follis luſorii inſtar, quantò magìs omnî bonô vacuos, tantò magìs tumidos. Hinc, quia ſuperbia foret omnium maxima, ſi quis propriîs ſuîs viribûs, ſuâ induſtriâ ſuam ſe curare poſſe ſuperbiam crederet, eapropter primum erit remedium ad Deum recurrere, eundémque cum Davide humilî animô ro-

rogare, ut impediat, ne unquam maledicta hæc peſtis in anima noſtra pedem figat: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Pſal. 35. Dicitur ſuperbia unicum ſolummodo pedem habere: *Pes ſuperbiæ;* Quia eſt monſtrum; deinde, quia ſuperbus in ſe uno omnem fiduciam collocat, & totus ſibimetipſi innititur; denique, quia, ſicut debilî fulcrô ſubnixus, facilè in omne aliud vitium prolabitur, ùt ſuprà oſtendimus: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Ecce, primum lapſum! Et ſi divino adjuti favore ex iſto reſurgunt, à malo poſtmodum in pejus recidunt: *Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.*

Secundum remedium eſt ipſam mali radicem tollere. Superbia partim intellectum inficit mundanorum, qui ſe magni faciunt; partim voluntatem, qua magni fieri, & ideo honorari ab aliis deſiderant; atque ad imitationem ſuperbiſſimi illius Simonis Magi ipſi quoque jactitant: *Se eſſe aliquid magnum.* Act. 8. Superbiæ igitur malo ut medeamur, voluntatem ſimul & intellectum curemus, neceſſum eſt. Jam, intellectus cura-

ratur, ſi commonſtretur homini, quidnam ſit ipſe, maximè coramDeo, & curia illius Cœleſti; & quidnam ſit illa gloria, quam contra omnem juſtitiam vendicare ſibi contendit.

Mundi gloria nihil eſt aliud, quàm fructus quidam vetitus, qui non nutrit hominem, ſed venenô inficit. Supremus rerum Conditor Deus fecit quandam veluti partitionem, & infinita benignitate hominibus omnium bonorum operum utilitatem conceſſit, omnem autem honorem ſibi ſoli reſervavit: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus:* Atque adeò uſurpare velle hanc gloriam, ſoli Deo debitam, violatæ Divinæ Majeſtatis veluti crimen quoddam eſt, & quod proinde in graviſſimum illius, qui tantum facinus attentat, damnum redundat: *Væ cùm benedixerint vobis homines!* Luc. 6. Væ illi, qui mundanum honorem mendicat, & magni fieri ab hominibus quærit; quia hoc conſequi, grande pro illo infortunium eſt. Ad detrimentum, quod hæc gloria ſecum affert, ipſius vanitas accedit. Vana namque eſt illa, quinque

que ſaltem ex capitibus, quæ, non abs re erit, ſi unum poſt alterum exponamus. Primò igitur vana eſt in ſeipſa, utpote, quæ nihil addere tibi poteſt, nihil demere: *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Jo. 8. inquiebat Chriſtus Dominus ad Judæos; quo indicare voluit: ſi ego, in quantum ſum homo, operum meorum gloriam, locô illius, quòd totam tribuerem Deo, mihi adſcriberem, gloria mea nihil foret. Atque exinde jam conclude, quantò adhuc magìs vana extitura ſit illa gloria, ille applauſus, quem alii homines procurare ſibi adeò ſolicitè contendunt. Secundò eſt vana iſthæc gloria ex parte illorum, qui eandem tibi attribuunt, qui, ſi te non niſi quoad ſpeciem externam agnoſcunt, quam aliam tibi attribuere laudem poſſunt, quàm qualis ſepulchro dealbato tribueretur, cujus quis titulos, & inſcriptionem extolleret, quin interea ad putredinem interiùs ſtabulantem ſe reflecteret. Tertiò eſt vana mundi gloria, ſi locum conſideremus, in quo ea confertur, & eſt humilis hæc noſtra terra. Vel obiter iſtam cum cœ-

lo compara; nónne deprehendes, mundum hunc noſtrum non niſi unius puncti magnitudinem adæquare? jam, ſi in hoc puncto illam regionem invenias, in qua gloriam quæris, illa profectò punctô adhuc longè minor exiſtet. Ex mille millionibus hominum, qui facilè totum globum terraqueum incolunt, vix centenos, qui te agnoſcunt, reperientur, & ex his centenis, vix decem numerari poterunt, qui revera ex corde te æſtiment. Unde in angulo Univerſi tam exiguo tanta aviditate hanc ipſam æſtimationem quærere, quid tandem eſt aliud, quàm infantis inſtar cicindelam prætervolantem inſequendo ſeipſum perdere? Quartò vana eſt humana gloria ratione temporis, quo durat. Tota noſtra vita, cum æternitate collata, brevior eſt, quàm unicus arteriæ pulſus, quàm unicus nictus oculi; & fieri jam queat, ut homo prudens ad conſequendam hominum æſtimationem momentaneam, manifeſto ſe periculo exponat opprobrii ſempiterni? Denique longè magìs, quàm ullo alio ex capite vanus eſt mundanus honor, ſi res illas ſpectemus, quas mundus lau-

laudare & extollere ſolet. Æſtimat te, ſi pulchro indutus veſtitu incedis. Sed hic honor veſtimento debetur & vermibus, qui illud elaborârunt. Et dein quantò nitidiùs, quàm tu, ſplendidiúsque ſuîs plumîs exornatus pavo ingreditur? quantò amœniùs flos campi ſua varietate aſpicientium oculis blanditur? Æſtimat te mundus propter nobilitatem; ſed quodnam ad illam conſequendam meritum contuliſti? & ſanè, quantumcunque illa nobilitas bonum exiſtat, Majorum tuorum eſt meritum. Laudat te propter divitias; ſed Deus noverit, quantæ in illis accumulandis commiſſæ ſint injuſtitiæ; & Deus quoque jam noverit, quàm longè difficiliorem hæ tibi cœli viam efficiant, quàm paupertas reddidiſſet. Laudibûs te effert propter pulchritudinem; ſed æquè ita laudare ob candorem poſſet acervum ſtercorum, nivibûs coopertum. Ante omnia autem conſidera, in quem paucos intra dies illa finem deſinat: *Cùm morietur homo; hæreditabit ſerpentes & beſtias, & vermes.* Eccli. 10. c. 13. Sepulchrum aperi, & rei hujus veritatem oculîs perſpicies.

Hac

Hac ratione honori larva detrahitur, qui, tametſi tot ex capitibus nihil ſit, tamen ſtultorum oculis ùt bonum ſummum apparet. Et hic quidem eſt minor titulus, qui ſuperbi hominis faſtum deprimat; atque ideo, poſtquam jam conſideravimus, quidnam ſit humana gloria; ad conſiderandum, quidnam ſit homo, qui eam deſiderat, te accinge. Si iſtud ex Propheta quæras, reſpondebit, omnem hominem, id eſt, non modò abjectum ruſticulum, qui ligone terram fodit, ſed quemvis ex maximis Regibus, qui mundo dominantur, ſi homo eſt, eſſe nihilum quoddam, veſtimentô contectum, ſeu, ut meliùs dicam, eſſe nihilum debilitate, & impotentia, ignorantia, & malitia veſtitum. *Univerſa vanitas, omnis homo vivens*. Pſal. 30. Et hæc eſt illa pompa, quacum quoad naturam tu quoque in Divinæ Majeſtatis conſpectu appares. Quodſi autem vivis in peccato mortali conſtitutus, nihilum es ipſo nihilo pejus; divini honoris latro es, proditor infinitæ illius Majeſtatis, condemnatus ad ignem inferni, & ad reddendam in tormentis ſempiternis, quam

quam ſupremo cœli Monarchæ denegâſti, ſubmiſſionem. Hæc eſt conditio, hic ſtatus, in quo te univerſa cœleſtis Aula conſiderat; & in hoc ſtatu multum à te peti videtur, ſi, ut ſis humilis, ut ſuperbam frontem demittas, totámque Deo ſuam gloriam relinquas, à te exigatur? tantúmne tibi erit animi, ut cum Immenſa illa Majeſtate te compares, & ad defendendam ſuperbiam tuam illa Dei verba uſurpes: *Gloriam meam alteri non dabo?* Iſa. 42. Gloriam aliquam, quæ verè tua ſit, monſtra, & poſtmodum tibi cauſam adjudicabo.

Poſtquam hac via intellectum errorem ſuum dedocuimus, ad curandam voluntatem tranſeamus, oportet, ab hoc quoque ſuperbiam diſpellendo. Et iſtud obtinebimus, ſi præter illa damna, quæ ſuperiùs tanquam è ſuperbia prognata retulimus, illi ob oculos ponamus damnorum omnium poſſibilium longè maximum, quod eſt æternùm damnari. Tollenda itaque eſt tandem aliquando iſthæc incantatio, quæ cor veſtrum malè faſcinatum retinet; intelligere tandem aliquando oportet, absque humilitate

Chri-

Chriſtiano ſpem ſalutis non eſſe: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18. Obſerva, quòd Chriſtus Dominus illîs ipsîs terminîs, quibûs neceſſitatem pœnitentiæ atque baptiſmi declarat, neceſſitatem quoque humilitatis declaret: *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.* Luc. 13. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Jo. 3. Quapropter, ſi una eadámque lingua Verbi Incarnati iîsdem prorſus loquendi formulîs neceſſitatem unam ſicut alteram, pœnitentiæ & baptiſmatis ex una, humilitatis ex parte altera nobis manifeſtat, dicamus neceſſum erit, æquè ad obtinendam æternam ſalutem Chriſtianam humilitatem requiri, atque baptiſmus ſimul & pœnitentia requiratur. Atque iſtud quidem usque adeò eſt indubitatum, ut ſuperbiam ſignum evidens reprobationis, humilitatem verò ſignum evidens prædeſtinationis, Sancti eſſe pronuntient. *Evidentiſſimum reproborum ſignum eſt ſuperbia,* inquit S. Gregorius, *& contrà humilitas Electorum. Lib.* 34. *Mor.c.*22. Atque

adeò

adeò infernus plenus eſſe ſuperbîs dici poteſt, quemadmodum Iſaias Propheta nobis teſtatur, qui, ubi dixerat, infernum fauces ſuas ſinè termino aperuiſſe: *Aperuit os ſuum absque ullo termino*, protinus ſubjungit: *& deſcendent fortes ejus, & ſublimes, gloriosique ejus ad eum. c.* 14. Certum igitur eſt, ſuperbiam vexillum eſſe Luciferi: *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*; & ideo, quemadmodum ille omnium reproborum eſt caput, ita hæc ſignum eſt, omnium maximè viſibile, æternæ reprobationis, ſimúlque impedimentum, quod omnium fortiſſimè noſtræ ſeſe ſaluti opponit.


S. Lidwina à Deo mundo propoſita eſt, tanquam miraculum patientiæ in lege gratiæ, quemadmodum olim propoſitus erat mundo Sanctus Job, tanquam patientiæ miraculum in lege naturæ. Per triginta & octo annos paupere in lectulo decumbebat, tantîs infirmitatibûs afflicta, ut viderentur ad eam excruciandam morbi omnes, maximè ſibi invicem contrarii, conſpirâſſe; Illa nihilominus tanta animi generoſitate, lætitiâ tantâ eos toleravit, ut undique ad iſtud prodigium viden-

dendum, & ſanctarum illius orationum auxilium obtinendum, homines concurrerent. Inter alios, qui ad hanc Virginem confluxerant, fuit ſacerdos aliquis Canonicus, qui magnîs precibûs Sanctam obteſtabatur, eam ſibi à Deo gratiam obtineret, ut maximum, quod in animo ſuo reperiretur, ſalutis æternæ impedimentum auferretur. Fecit Virgo, quod rogata erat, magna devotione: & ecce! repentè Canonicus profunda vocis raucedine laborare incipit, qui ad illud usque tempus voce utebatur adeò ſingulari, ut ipſe ſolus (ùt loqui ſolemus) chorum ſuo cantu dirigeret. Facilè ex hac metamorphoſi advertit; quòd, cùm in voce ſua adeò ſuavi nimiùm ſibi complaceret, vana hæc complacentia grande obtinendæ ſuæ ſaluti obſtaculum poneret. Ex hac hiſtoria ſalutaria documenta deprome, & conſidera, quòd, ſi vanitas, primo intuitu vix non innocens, adeò impeditam atque difficilem ſalutis viam huic ſacerdoti reddiderit; quantò magìs difficilem effecturus ſit faſtus mundanus, & diabolica illa ſuperbia, qua tantus mortalium numerus eò us-

usque progreditur, ut de peccatis etiam glorientur, non timere excommunicationes ſibi honori ducant, illósque, qui peccare pertimeſcunt, tanquam ſimplices contemnant, & probroſîs dicteriîs laceſſant? Adeoque, ſi ſapis, ad te ipſum mentis oculos reflecte, & interiora ſimul ac exteriora ſolertî oculô perluſtra, & ſi quoddam in iis ſuperbiæ veſtigium reperias, ſinè mora exinde penitus extermina. Noli contemnere quemquam; quis enim ſcit, annon ille, qui modò peccator eſt, paulò pòſt ſicut bonus latro ex hac vita ſanctus emigraturus ſit; tu verò, ſi nunc bonus ſis, tandem cum Juda exitu infelice vitam ſis finiturus. Cave, ne pauperes, atque etiam famulos duriùs habeas. Pauperes perſonam Chriſti repræſentant; famuli verò forſitan in noviſſimo die judices tui, aut in cœleſti gloria longè te ſuperiores futuri ſunt. Noli ſtolidè de tua tibi nobilitate, de ingenio, & multò minùs de bonis operibus complacere. Modicum illud, quod habes, tuum non eſt; & tametſi etiam tuum foret, adeò eſt exiguum, tótque malîs commixtum, ut propterea

criſtas attollere, idem foret, ac ſi nigerrimus Ethyops pro miraculo albedinis ſe venditaret, eò quòd albicantes poſt labia dentes reconderet. Noli te ipſum encomiis ornare; nec prima ubivis ſubſellia prenſare; noli nimiùm tuis viribus confidere; neque omnibus te gravioribus negotiis immiſce, quia, quod hominum oculis altum & ſublime apparet, abominabile eſt coram Deo: *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*.Luc. 16.v. 15. Uno verbo, omnem aliam culpam in animo tuo patientiùs tolerabit Deus, quàm ſuperbiam, utpote contra quam offenſivè & defenſivè, ut ita dicam, tota fortitudine potentiæ ſuæ præliatur: *Deus ſuperbis reſiſtit.* Jacob. 4. Et hoc quidem usque adeò, ut majorem timendi cauſam habeat juſtus ſuperbus, quàm peccator humilis: *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens*. Prov. 26. Et quoniam hæc primo intuitu peregrina tibi videbuntur, eandem ad coërcendam ſuperbiam methodum uſurpa, quam adhibendam eſſe ajunt, ut ferociens taurus manſueſcat, quem ideo longo tempo-

pore ficui alligatum retinent. Alliga cor tuum, adeò ſuperbum, Sanctiſſimæ CruciDomini Noſtri JESU Chriſti; lege, & diu multúmque, quæ Amabiliſſimus Servator ſua in Paſſione ſubiit, opprobria & humiliationes meditare, & hac ratione minùs difficile tibi erit, cervicem ſubmittere. Quodſi autem ſtatûs tui conditio exigat, ut nobiliore veſtitu incedas, aliásque excellentiæ prærogativas oſtendas in publico, hæc ipſa neceſſitas horrori tibi erit, faciétque, ut humiliorem conditionem aliis invideas, eo animi ſenſu, quo ſancta Regina Eſther proteſtabatur, quòd coronam, ſuo capiti impoſitam, cum averſione cordis, & ex mera neceſſitate portaret; unde ad Deum ajebat: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ.* Eſth. 14.



LECTIO V.

De Impedimento, quod Saluti affertur ab otio, & occupationibus superfluis.

DUo animalium genera olim in antiqua lege declarata fuerunt immunda: illa, quæ pedibûs carebant; & illa, quæ nimiùm multos habebant: quasi, ùt aliqui meditantur, insinuare nobis Deus voluisset, duo hominum genera sibi placere non posse, illos nempe, qui culpabilî otiô absque ulla honesta occupatione marcescunt; & illos, qui nimiùm laborare volentes, cor suum mille negotiîs implicant. Utrumque igitur, magnum est salutis consequendæ impedimentum, atque adeò de utroque necessarium est, ut hîc aliquid dicamus, ostendendo damnum, quod infert animæ, & methodum adhibendi remedium.

Quodnam majus multorum Christianorum est negotium, quàm otio indulgere? obambulare plateas, miscere sermones de inutilibus novis, prætereuntium mores & actiones, vestimenta & gres-

greſſus carpere; intrare templum, quia neſcitur, qua via alia tempus fallatur; illi ſe præ reliquis obligatum profiteri, qui magìs inutiliter diem tranſigendi modum ſuggeſſerit, quam tum lucratos ſe eſſe exiſtimant, quando eandem absque eo, quòd advertant, penitus deperdunt. E contrario videbis alios, qui tantô ſeſe occupationum cumulô onerant, ut iîsdem corporis vires atterant, ſpiritum opprimant, & quandoque vitam abbrevient, quin interea ſuæ animæ vel modicam quietem indulgeant. Jam, etiamſi utrumque hoc vitium adeò ſit frequens apud Chriſtianos, quotusquisque tamen eſt, qui damnum conſideret, quod noſtræ ſalutis negotium exinde patitur?

Damnum, quod afferunt animæ hæc duo impedimenta.

Si de otio loquamur, Spiritus Sanctus paucìs ſyllabîs totum exprimit: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Eccli. 33. v. 29. Vita otioſa ad omne genus malitiæ homines informavit; ita, ut vocabulum *multam* idem ſignificet, ac ſi dixiſſet,

omnem. Fingite proin, dæmonem in hoc mundo malitiæ ſcholam aperuiſſe, cúmque videret, tot lectionibus uno eodémque tempore in hac ſchola tradendis ſe non ſufficere, otium tanquam magiſtrum ſecundarium ſubſtituiſſe, quo adjuvante intentum perficeret. In hac igitur ſchola omnia flagitia docentur, & addiſcuntur ſinè labore, & addiſcuntur à quolibet; quò enim quis eſt ineptior, eò aptior hìc diſcipulus agnoſcitur ad faciendum profectum: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Hic diſcitur peccare cogitationibûs; deſiderare ſcilicet corde, quod mandari effectui opere non poteſt: *Deſideria occidunt pigrum: tota die concupiſcit & deſiderat.* Prov. 21. v. 25. Aliquando ſcelus factô non exequitur, eò quòd ad illius executionem quædam moleſtia requiratur; locô hujus autem plenas deſideriis ſuis habenas relaxat; ut ſinè ullo labore quaquaverſum per diem totum diſcurrant. Atque ideo, ſi ſolæ cogitationes vanæ tantô animam malô afficiant, ut Propheta propterea totus cohorreſcat: *Væ! qui cogitatis inutile!* Mich. 2. v. 1. judicate, quantum illatura

ſit

ſit malum integra pravorum deſiderio-
rum turma, quæ continuò otioſorum corda pererrat? Cogitationibus verba ſuccedunt & murmurationes; otioſus enim quò magìs eſt incurius in rebus propriis, eò curioſior eſt in perveſtigandis factis alienis; & quò majorem ſentit in operando difficultatem, eò majorem habet facilitatem in loquendo, utpote, quod absque labore abſolvitur; unde totum illius negotium eſt, aliorum famam arrodere, & cum hoc diem concludit: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi.* Pſalm. 108. Quodſi aliquando à murmurationibus ceſſent otioſi, ideo faciunt, ut ſermones obſcœnos interſerant, qui tandem Chriſtiani hominis linguam Dœmoni conſecrant, quæ tamen ex omnibus noſtris membris primum extitit, quod ſupremo Numini ſacri Baptismatis ſale dedicaretur, & quæ ſæpiſſime Divinæ Euchariſtiæ contactu honoratur. Nihilominus hanc tam malè otioſi impendunt. Neque tamen hoc multùm curant, quia has linguæ ſuæ ſpurcitias acutîs, æquivocísque loquendi formulîs cooperiunt, id eſt, audientibus venenum

in cratere melle oppleto offerunt, illúdque in ſui obtendere excuſationem contendunt, quo longè adhuc magìs reos ſe reddunt. Quisquis proinde inimicus eſt laboris, neceſſe eſt, ut ſit amans delîciarum, & quòd propterea non ſit contentus, niſi iîsdem indiſcriminatim, ſive licitæ ſint, ſive illicitæ, perfruatur; unde illud contingit juxta antiquum proverbium, quòd nempe nihil facere, ſecum trahat ómne malum facere: *Nihil agendo diſcunt homines malè facere*. Aqua, quæ ſtagnat, brevì computreſcit; aër, qui non movetur, brevì inficitur; otioſus exercitus brevì inteſtinas ad turbas concitatur: & quemadmodum otium quinque iniquis civitatibus, teſte Ezechiele Propheta, omnia flagitia ſuggesſit; ita eadem modò Chriſtianis ſuggerit, ſimúlque eos usque adeò effœminatos efficit, ut ad primam virtutis difficultatem deſpondeant animum, ad primam tentationem arma abjiciant, & Leones timeant non modò in ſylvis, ubi habitant, verùm etiam in plateis, ubi nunquam reperiuntur: *Leo eſt foris: in medio platearum occidendus ſum*. Prov. 22.

22. v. 13. Id eſt, timent ficta pericula, & inanes umbras horreſcunt. Si S. Mater Eccleſia jejunium imperat, absque mora ad impetrandam diſpenſationem feſtinant; ſi confeſſarius pœnitentiam injungit vel parùm auſteram, aut acceptare renuunt, aut peragere omittunt; uno verbo, eo in ſtatu ſuam animam collocant, quem unicè hoſtis infernalis deſiderat, ut ſtabilem in illa ſuam figere ſedem valeat: *Invenit vacantem, & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi.* Matth. 12.

Verùm ſi tot malorum ferax eſt otium, haud quaquam ſanè ſteriles, aut pauciorum feraces erunt occupationes ſuperfluæ. Hæ ſunt illæ ſpinæ, quæ, utì æterna Veritas teſtatur, divinarum inſpirationum ſementem ſuffocant, quia, ut ne aliquid boni fiat, aut omnino impediunt, aut ſaltem, ut malè fiat, efficiunt. Si adeunda eſt Congregatio, ſi audienda concio, ſi legendus liber ſpiritualis, ſi frequendanda Sacra Myſteria, nunquam ad iſta tempus ſuppetit; unum negotium alteri ſuccedit, nec ex uno ſeſe extricandi modus reperitur, quin ſimul

alteri quis implicetur; ſicuti funis plurimis nodis illigatus, explicari nullatenus poteſt. Et hac tandem arte diabolus ſua ſub tyrannide illos continet, qui quidem illius aliquando effugere manus optarent, nullam autem ex illis elabendi viam inveniunt; illud ipſum namque cum iſtis veterator ſtygius facit, quod olim Iſraëlitis, quando de ſuo, ut ſupremo Numini in deſerto ſacrificarent, ex Ægypto abitu tractabant, Rex Pharao fecerat, qui novîs eosdem, & majoribûs laboribûs ita oneravit, ut ne quidem bonum cogitandi, nedum opere ipſo perficiendi tempus haberent. Similem omnino in modum temporales ſolicitudines, negotia, & occupationes tot fiunt laquei, qui hos miſeros fortiſſimo nexu terræ alligant, illorúmque cor, ſicut hedera mille ramuſculîs arborem, complectentes omne exinde devotionis alimentum exſugunt, eóque tandem deducunt, ut fine tanquam mediô utantur, & mediîs tanquam fine fruantur; atque adeò veriſſimum fiat illud Magni Auguſtini effatum, quo dixit: *Utuntur Deô, fruuntur mundô. L. 11. c. 25. de Civit. Dei.*

Ubi

Ubi autem occupationes ſuperfluæ tot defectuum cauſa non exiſtunt, nec ita ſibi tempus omne vendicant, ut nihil omnino iſtius ad agendum bonum relinquant, tamen hoc ipſum bonum non aliter peragitur, quàm malè; venatores, etiam quando dormiunt, non quieſcere videntur, utpote qui aut feras diffugientes, aut alias appropiantes ſomniant, ita ut corpus quidem in lecto recumbat, phantaſia verò per ſylvarum avia, deviáque divagetur. Idem omnino ad tam varia diſtractis evenit: ſi Sacroſancto adſtant Miſſæ Sacrificio, ſi ſacræ Concioni interſunt, ſi quandam ſubinde orationem recitant, perpetuò vagatur animus diſtractus aut per hanc, quæ ad faciendum lucrum ſe offert, occaſionem, aut per illam, quæ elabitur; corpus equidem eſt in Eccleſia; animus verò per plateas ſpatiatur. Et creditis forſan, Deum vobis in hoc tumultu ſanctîs ſuîs inſpirationibûs locuturum? quando vos amicorum alicui felicem rei cujusdam ſucceſſum enarratis, niſi utraque vobis aure attendat, vel, ſi tum colloqui cum alio incipiat, non veſtram modò narrationem,

nem, ſed vel ipſa etiam verba abrumpitis: & exſpectare audetis, Deum vobis loqui ad cor perſeveraturum, ſi centum occupationibûs referti ad omnia potiùs alia, quàm ad ipſius vocem attendatis? *Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Eccli. 32.v. 3.

Remedium ad curandum utrumque hoc impedimentum.

Pro utroque hoc vitio otioſitatis & occupationum ſuperfluarum, remedium eſt, precibûs à Deo impetrare lumen, quo illuſtrante illum, ad quem conditus, atque in hoc mundo poſitus es, finem agnoſcas, qui non eſt alius, quàm cum conceſſa tibi à Deo gratia, quaſi in quibusdam nundinis, negotiari: *Negotiamini, dum venio.* Luc. 19.v.13. Quænam igitur iſtæ tandem ſunt tenebræ, credere, te ideo hunc in mundum veniſſe, vel ut absque labore, languido in otio, præſens tempus diſperdas, vel ut fortunam tuam ac familiam mille artibûs amplifices? Summè proinde neceſſarium eſt, ſupplicibûs votîs Deo te commendes,

des, ut cœlesti lumine illustratus finem tuum intelligas: *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Psalm. 38. Et beatum te, si Deus preces tuas exaudiat! & væ tibi, si easdem rejiciat! intra dies perpaucos, post brevem fallacis otii somnum, vacuîs manibûs evigilabis: *Cùm dormierit, aperiet oculos, & nihil inveniet.* Job. 27. v. 19. Si in alium finem, quàm ad animæ salutem multîs occupationibûs vires consumpseris, illi planè similis eris, qui in circulo ambulat; nam absolutô totius vitæ curriculô, ne unum quidem pro æternitate fecisse passum te videbis: *In circuitu impii ambulant.* Psalm. 11.

Alterum remedium est ad ponderandum temporis valorem seriò animum applicare: *Quis est, qui pretium temporis ponat?* dicebat Seneca, &, utpote gentilis, tam parùm intelligebat de natura, omnino nihil de gratia. Profectò, si conjuncta omnium, quotquot in mundo invenire est, oratorum facundia in eo desudaret, ut hujus thesauri, temporis nimirum, pretium explicaret, quid aliud possent, quàm cum infantibus balbutire? Imò etiam, si omnes Angelici Spi-

Spiritus linguas ſuas cœleſtes ad id negotii impenderent, ne iſti quidem dicere omnia valerent; cùm tempus, quod divina Bonitas nobis ad lucrandum cœlum concedit, tantùm valere dici posſit, quantùm valet ipſe Paradiſus. Quid ampliùs? Si Beati in bonorum ſuorum plenitudine aliquod nobis bonum posſent iuvidere, non aliud certè, quàm tempus inviderent; &, ſi dæmonibus ſtatim poſt patratum ſuum peccatum indultum fuiſſet illius vel momentum unicum, quo ſalutari dolore ſuam delere culpam potuiſſent, jam ne quidem unicum infernus dæmonem haberet. Jam verò, quem in finem credis, Deum tam magnam incomparabilis hujus theſauri, temporis nimirum, partem tibi conceſſiſſe, præcipuè poſtquam tot peccatîs eum ad juſtam iracundiam provocâſti? prima vice, qua Legi Divinæ rebellis contra Illius Majeſtatem impio auſu inſurrexiſti, meritus fuiſſes, ut in ipſo flagitio comprehenſum in momento, ùt olim rebellibus Angelis fecerat, in orci abyſſum te præcipitaret. Verùm enimverò *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.* Job.

Job. 24. v. 23. Divina Bonitas non per pauca ſolummodo momenta, ſed per longum complurium annorum decurſum continuatum pœnitentiæ ſpatium conceſſit. O! quàm inſigne hoc tandem donum extitit! at verò, quem in finem tibi conceſſum? certè non in alium, niſi ut de errore tuo agere pœnitentiam, eundem eluere lachrimîs, & bonîs reſarcire operibûs poſſis: *Dedit ei locum pœnitentiæ.* Ajunt Medici, illum, qui venenum biberit, à nulla re alia magìs, quàm à ſomno cavere ſibi debere: *Qui venena hauſerunt, ſomnô privandi. Galen. l. de antid.* Et tu, qui non ſolummodo ſtillas aliquot, ſed venenatum Babylonicæ meretricis poculum totum exhauſiſti, ſtertendo in otio, quod adeò ſaluti tuæ præjudicat, totum tempus tranſigis? Et ſi ſcelerum tuorum ſummam aliquando confeſſario aperuiſti, non major ampliùs animum tuum illorum cura remordet, quàm ſi nunquam à te commiſſa fuiſſent. Hoc profectò eſt in vanum accipere animam, ſeu vitam ſuam, ut inquit Propheta Pſal. 23. Hoc eſt eſſe inutilem ſuper terram

(Pſalm.

(Psalm. 13.) hoc est non tantummodo esse stultum, sed omnino stultissimum: *Qui sectatur otium, stultissimus est.* Prov. 12. Potéstne major reperiri dementia, quàm thesaurum, qui æstimari non potest, tam incuriô levíque animô abjicere? An forsan isthanc commoditatem semper duraturam existimas? *Paululùm dormies, paululùm dormitabis, & veniet tibi pauperies, quasi vir armatus.* Prov. 6. Pars una vitæ profundè in utramque aurem dormiendo, nempe malè vivendo pessumdatur; pars altera dormitando, nempe nihil boni faciendo negligitur; & ecce! subitò nil tale exspectanti, velut homo armîs invincibilibûs obarmatus, mors supervenit, & omni te tempore spoliatum eò usque paupertatis redigit, ut vel unicum illius momentum, instar pauperis eleemosynam petentis, mendicare debeas, & ne hoc quidem obtinebis. Legimus de nobili quodam viro, qui multîs annîs Francisco Primo Franciæ Regi fuerat à secretis, quòd ad mortis deductus confinia, præteritam vitam amarissimè planxerit, nihílque admittens solatii jam emor-

mortua pene voce identidem exclamârit: An poſſibile eſt, quòd tantum temporis invenerim, ut expediendo Regis mei nomine litteras centum papyri ſcapos conſumerem; & tantum otii non repererim, ut ſcribendo confeſſionem generalem vel medium folium implerem, quò animæ meæ ſalutem magìs in tuto reponerem! In ſimilia, & adhuc magìs probroſa lamenta ſub vitæ finem tibi quoque erumpendum erit, ſi tot annos nihil agendo tranſegeris, & ne quidem exiguam indulti temporis partem eum in finem impenderis, ut animam tuam ſecuro in ſtatu collocares. Agedum igitur, expergiſcere tandem ab hoc ſomno usque adeò noxio, & illud facito, quod facere viator aſſolet, qui, ubi è ſomno, cui ſub amœna cujusdam arboris umbra indulſerat, expergefactus, ſocios ſuos, magnum interea viæ ſpatium emenſos, multùm præceſſiſſe advertit; paſſus duplicat, eosdémque rurſum aſſequi toto anhelitu contendit. Tantum temporis jam perdidiſti; nunc illud recuperandi ſpatium & copia præſto eſt: *Non quaſi inſipientes, ſed ùt ſapientes,*

Tt *re-*

redimentes tempus; quoniam dies mali sunt. Ephes. 5.v. 16. Tempus, quod tibi supereſt, incertum eſt, & ſemper erit breve; unde, ſi ſapis, tam pretioſæ mercis reliquias veluti è naufragio ſtudiosè collige, & illud, quod tibi ſupererit, noli denuo adeò leviter in profundum projicere. Ut autem ad praxin veniamus, cum conſilio Patris Spiritualis tuas impoſterum occupationes, quas diebûs ſingulîs, ſingulîs ſeptimanîs, menſibûs, annîs ſingulîs perficias, diſponito. Statue e. g. quæ quotidie pia devotionis opera peragenda, e. g. recitare officium Sanctiſſimæ Virginis; adeſſe tremendo Miſſæ Sacrificio; legere librum quemdam ſpiritualem; dare aliquid eleemoſynæ; nunquam exire domo, quin Sanctiſſimum Sacramentum, aut Aram Divinæ Matris viſites; præſtare obſequium quoddam SS. Patronis, præcipuè verò Angelo tuo cuſtodi, & S. Joſepho pro felici mortis hora impetranda. Singulîs ſeptimanîs die feſto ſemper aliquid conſuetis tuis devotionibus adjungere, intereſſe concioni, recitare intra ſeptimanam Roſarium, in honorem Paſſionis

nis Dominicæ die Veneris, aut die Sabbati in honorem Preciosissimæ Matris ab aliquo cibo abstinere. Singulîs mensibûs saltem semel sacræ Mensæ accumbere; &, si fortè infelicissimo casu in grave peccatum prolapsus esses, etiam ante illud tempus ad Sacrum tribunal festinare; ex omnibus namque stultitiis, quibûs laborare peccator potest, summa est, credere infernum, & vel per momentum unicum in peccato vivere, hoc est, in extremo margine tam horrendi præcipitii. Denique consultissimum est, quolibet anno computatîs diligenter ab ultimò peracta ad præsens usque tempus commissis peccatis, confessione generali animam expiare, omniáque tum temporalia, tum spiritualia negotia ita exactè componere, ut mors, licèt etiam improvisò adveniat, paratum offendat. Beatum te! si cum Sancto Job dicere poteris: *Cunctîs diebûs, quibûs nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea: vocabis me, & ego respondebo tibi.* Job. 14. v. 14.

Hoc totum, quod hactenus expendimus, mederi quoque poterit illi vitio,

quo quis totus in ſuperfluas occupationes effunditur; inter otioſum enim, & nimiùm occupatum iſtud ſolum diſcrimen intercedit, quòd unus ſui temporis divitias ſtultè abjiciat; alter verò easdem in res nullius momenti, & ita loquendo ad ſtruendas aranearum telas expendat. *Occupationes puerorum vocantur nugæ, majorum nugæ vocantur negotia. Aug. l.* 1. *conf. c.* 9. Tu puerorum occupationes nugas vocas, Angeli cœleſtes etiam grandia tua negotia nugas appellant. Verùm, qui ſuperfluis immerſus negotiis vivit, præter iſtud remedium, tres inſuper exceſſus conſideret, oportet, quæ in illius occupationibus reperiri poſſunt, eosdémque ex animo tollat. Primus exceſſus eſt in harum ipſarum occupationum quantitate; ſecundus in qualitate; tertius in fine.

Primò igitur fieri poteſt, ut Propheta de tuis quoque negotiis dicere queat, quòd ſua multitudine numerum ſtellarum excedant: *Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſint cœli.* Nahum. 3. v. 16. Neceſſarium proinde eſt, tuas occupationes ut diminuas, ſi divinæ gra-

tiæ

tiæ parare locum, atque per illam illuminari desideras: *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet*. Eccli. 38. v. 25. Non dicit Spiritus Sanctus, ad hoc, ut vera sapientia, quæ in Dei, & bonorum juxta & malorum æternorum cognitione consistit, acquiratur, omne occupationum genus esse seponendum; sed dicit solummodo, quòd minuendæ sint: *qui minoratur actu.* Decipitur profectò, qui existimat, quòd status Nobilium, & Divitum à laborandi obligatione hominem eximat. Ipsum etiam cœlum Empyreum suum in res inferiores influxum præstat, quia decens non est, ut ulla in toto universo creatura penitus otiosa inveniatur; ex altera verò parte, quænam illa est aliquorum prudentia, qui ultrà, quàm ipsorum vires patiuntur, se negotiis onerant? qua demum ratione sic mente simul & corde levari ad cœlum possunt? Si fonti in varios rivulos diviso viam per plana aperias, quomodo desideras, ut in altum prosiliat, fiátque *fons aquæ, salientis in vitam æternam?* Si ipsæ etiam occupationes Sanctorum moderatè sunt assumendæ, ut ne forsan, qui custodire alte-

rum laborat, ſeipſum negligat: *poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodivi.* Cant. 1. v. 5. Judica, quanto cum moderamine aſſumere negotia temporalia oporteat. Si fortè Procuratorem tuum, de moleſta, quam in judicio habes, lite cum ipſo tractaturus, accedas, triſtaris, ſi aliîs litigantium partibûs ejusdem obſideri fores videas; quia nempe times, ne, cùm tot ſimul cauſis attendat, ventilandi tuam, eundem & facultas & tempus deſtituat. O! quantò majorem triſtandi cauſam habet anima tua, cùm mentem tuam, tot cogitationibûs, tot negotiîs occupatam conſiderat! ſi videt, à te devotionis opera ad reliquarum occupationum finem reſervari, nec ad eas, niſi perfunctoriè peragendas, tibi ſpatium ſuppetere? quantum itineris conficere navis poterit, tanto pondere onerata? Sed forſitan excuſare errorem tuum contendis, tuásque occupationes non esſe malas aſſeverabis? verùm iſtud non ſufficit, ſi ſunt nimiæ. Multæ ex noſtris infirmitatibus non ex corruptione, ſed abundantia ſanguinis oriuntur; hæc namque facit, ut debita illius per venas

ac membra circulatio, & neceſſarium cordis refrigerium impediatur. Obſerva proin, quænam ex occupationibus tuis ſint minùs neceſſariæ, & harum ipſarum partem, aut in cujusdam Socii, aut domeſtici, aut conſanguinei humeros transfer; ſequere conſilium, Moyſi, quamvis aliàs tam ſapienti & legislatori &Duci tam magni populi, ab Jethro ſuggeſtum: *Ultra vires tuas eſt hoc negotium; ſolus illud ſuſtinere non poteris: ſtulto labore conſumeris.* Exod. 18. neque hora tibi ſupereſt, quam quieti concedas; ſemper inter ſpinas hæſitas; araneæ inſtar temetipſum eviſceras, & ſicut illa, ad inanem telam pertexendam multos oculos aperis; prœmium unius laboris, eſt labor alius priore major; confecti unius laboris merces eſt timor, ne fortè quemdam alium non perficias: *ſtulto labore conſumeris.*

Multò igitur adhuc veſanior eſſet alter exceſſus in qualitate occupationum. Multa ſunt negotia, inquit S. Gregorius, quæ tractari absque peccato vix poſſunt: *Sunt pleraque negotia, quæ ſinè peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt.*

Hom. 22. *in Evang.* Atque ideo, quanta eſt ſtultitia, hujusmodi ſeſe negotiis implicare? pejus profectò hoc foret, quàm ſi, ad lucrandum pileum, ipſum caput diſcrimini objiceretur; præcipuè cùm implicare ſe rei, cum peccandi periculo connexæ, non raro ſit ſeſe implicare longæ catenæ multorum peccatorum. Qui negotium ſemel aggreſſus eſt, & veluti navim conſcendit, ad præfixum portum pervenire omnibûs modîs contendit, & ſi media licita ſufficientem efficaciam non habent, etiam illicita applicantur, & ſi viæ directæ ad deſideratum non perducunt, etiam obliquæ eliguntur; ſi ex lite reportari quæſita victoria non poteſt, eò usque protrahitur, donec adverſarius ob pecuniæ defectum eandem proſequi deſiſtat; ſi teſtimonia vera non ſuppetunt, falſa conquiruntur: ſi judex allatas rationes in favorem tuum non intelligat, donîs & muneribûs in partes tuas inflectitur; & quia uno oculo terra ſimul & cœlum eodem tempore aſpici non poſſunt, oculus terræ affigitur, & cœlum non conſideratur.

Deni-

Denique ultimus occupationum excessus est in fine. Vera negotia sunt illa, quæ sunt sanctificata Domino: *Et erunt negotiationes ejus sanctificatæ Domino.* Isa. 23. v. 13. Id, quod tunc contingit, ubi iisdem caritas & justitia tanquam scopus præfigitur. Quapropter, quemadmodum pictores omnia sua opera à capite incipiunt, atque ab hoc omnes totius imaginis mensuras, ac proportiones desumunt; ita tibi quoque faciendum: Ante omnia semper præ oculis anima & Deus versetur: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.* Matth. 6. Et bene semper tua negotia succedent; quia, si temporalia non obtinebis, æterna consequéris, meliúsque tibi eveniet, quàm Sauli, qui, cùm, ut voluntati Patris obediret, asinas quæreret, non asinas, sed regnum invenit. Cogita semper, quòd unum solummodo in hac vita negotium habeas, quod negotii nomen promeretur, quod est salvare animam. Huic te totum ita impendas, necessum est, ut reliqua omnia tanquam nihilum reputes, quemadmodum in emolumentum nostrum Apostolus nos obtestatur: *Rogamus vos, ut ope-*

ram detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis. 1. Theſſ. 4. Beatum te, ſi iſtud negotium feliciter ſuccedat! infeliciſſimum, ſi malè tractetur, etiamſi tuâ interim induſtriâ totius mundi dominium acquireres! *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Luc. 8.

LECTIO VI.

De impedimento, quod Saluti animæ affert inordinatus amor voluptatum.

EX illiciis ſuavioribus, ex violentiis amabilioribus, ex catenis gratioribus, quæ cor humanum abripiunt, ſunt illæ, quas blanda eidem voluptas injicit. Quanta igitur veritatis efficacia requiritur, ut noxium eſſe demonſtretur, quod tantopere placet? Et tamen ita eſt: ſi dæmon toxicum ſuum abſynthiô permixtum nobis offerret, utique, qui biberent, non reperiret; at verò, cùm ſub melle abſconditum porrigat, infinitus propemodum ſtultorum illorum eſt numerus, qui ad illius poculum concurrunt;

runt; paucísque illis, quæ veneno supernatant, dulcedinîs guttulîs illecti, mortem ridente ore imbibunt. Explicemus igitur, quantum animæ nocumentum afferat isthæc delicias procurandi aviditas, & eidem remedium præscribamus.

Non loquor jam de monstrosa illa voluptatum siti, quæ usque adeò mundum dementat, ut eas in sordidissimis etiam luxuriæ cloacis piscari non erubescat. Perversitas hæc est, quæ seipsam satìs manifestat, & nemo non videt, quòd, cùm peccatum luxuriæ sit illud, quod mentis nostræ oculos omnium maximè excæcat, nostrúmque cor omnium arctissimè rebus præsentibus alligat, illud quoque sit, quod omnium frequentissimè animæ nostræ salutem impedit: unde verissimum esse apparet illud, quod jam alibi audivisti, S. Remigii effatum, nimirum, exceptîs parvulîs, propter hoc vitium paucos ad paradisi gloriam pertingere. *Exceptîs parvulîs, propter carnis vitium ex adultis pauci salvantur.* Impedimentum, quod in præsenti lectione monstrandum tibi,

atque

atque à te removendum ſuſcepi, eſt tenor vitæ mundanorum, pro quibus lex illa adeò univerſalis non videtur eſſe promulgata: *Homo natus ad laborem.* Job. 5. v. 7. Poſtquam ſuper molliſſimas plumas dormiendo magnam diei partem conſumpſerunt, quod reliquum eſt, conviviis, converſationibus, viſitationibus, muſicæ, luſui, comœdiis, tripudiis tranſcribunt, ſolicitè ſemper, quidquid deliciarum varia anni tempora variè illis offerunt, conquirentes. Nihilominus hæc vita, tot deliciis, tanto luxu, tanta vanitate, tot novîs & ſemper ſtudioſiùs excogitatîs ſe recreandi inventionibûs intertexta, talis ipſis videtur, qua innocentior in mundo duci non poſſit, illúmque, qui hanc condemnat, tanquam hominem ſylveſtrem, & qui vellet, ſi poſſet, civitates in deſerta commutare, exſibilant. Sed enim, iſtorum verbis ſi veritas conſtet, Chriſtum Jeſum à vero aberâſſe, Spiritum S. hallucinatum fuiſſe neceſſe eſt, qui ſacris in Paginis nos omnino contrarium docet. Ita enim per os Huſſæi Principis Divina ad nos veritas loquitur: *Infantes eorum exultant*

lu-

lusibûs, tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt. Job. 11. v. 21. Recreant se lusibûs, exultant in concentibus musicis, perpetuas inter lætitias tempus prodigunt, & in ictu oculi in ignem æternum descendunt. Hunc ipsum in modum per Isaiam inquit: *Cythara & lyra, & tympanum & tibia, & vinum in conviviis vestris: propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* Isa. 4. Totum tempus solis animi relaxationibus tribuitur, à lecto ad mensam, à mensa ad conversationes, à conversationibus ad theatra transitur, inter lætitias ita concatenatas, ut veluti totidem annuli una alteri innectatur; & ideo infernus fauces suas, ad illos, qui tanto quotidie numero illuc decidunt, excipiendos absque termino dilatavit. Parî modô per os Prophetæ Amos infelicem illorum, qui divitiîs abundantes, nobilitate & honoribus insignes, aurô byssóque induti, superbis in lectis dormiunt, selectioribûs se deliciîs pascunt, suavissimo quovis genere musicæ se recreant,

creant, conditionem nobis insinuat, *Væ! qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domus Israël: qui dormitis in lectis eburneis: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem Psalterii, bibentes vinum in phialis, & optimô unguentô delibuti.* Amos. 6. Et longè adhuc clariùs Incarnata Sapientia: væ vobis! inquit O divites hujus mundi! qui in hac vita vestram consolationem habetis! væ vobis, qui omni voluptate vos satiatis! væ vobis, qui modò inter risus lætamini! væ vobis, qui magni estis in ore populi, & quorum splendidam sortem aliorum modò invidia insectatur! *Veruntamen væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram! væ vobis, qui saturati estis! væ vobis, qui ridetis nunc! væ, cùm benedixerint vobis homines!* Luc. 6. Dicunt illi quidem: quid denique mali est, lætitiîs mentem exhilarare, omnem sese oblectandi occasionem conquirere, pretioso vestium ornatu splendescere, vitam inter læta otia exigere? sufficit, quòd non aliud aut injustitiæ, aut luxuriæ peccatum

con-

confciſcamus. Et tamen Chriſtus Dominus apertiſſimè aſſeverat, hanc vivendi rationem diſponere ad damnationem æternam, quod terribilis illa & toties repetita particula *Væ! væ!* ſignificat; & in Lege Antiqua, quamvis multò imperfectiore, quàm ſit Lex Chriſtiana, Spiritus Sanctus ait, infernum ob ſimilem vitæ tenorem, os, ſinúmque ſuum aperuiſſe, ut locum concederet tot inſanientibus, qui unicô lætioris vitæ momentô æternitatem ſibi comparant tormentorum. Agedum autem, quem jam decipi credamus? an homines ejusmodi mundanos, an Deum? illos mille vitiîs excæcatos, an Incarnatam Sapientiam, quæ de cœlo deſcendit, ut viam ſalutis nos edoceret? Tu ſaltem, ô Lector, quemadmodum per viam incedens, ſi hujusmodi vox aures tuas perſtringit: *Siſte, ſiſte;* quid periculi immineat, cogniturus, inverſa facie retroſpicis; ad illud modò, quod audiſti, conſiderandum, atque ad ponderanda illa damna te paululùm converte, quæ, ex hactenus deſcripta vivendi methodo emergentia, magìs jam in ſpecie exponam.

Da-

Damnum, quòd affert Saluti ifthîc inter delicias vivendi modus.

Confidera, quòd Spiritus Sanctus per Jobum non dicat, quòd ille, qui mundanis deliciis inhiat, in momento ad orcum præcipitetur, fed, quòd illuc defcendat: *Ad inferna defcendunt*; pedetentim nempe, & quafi per gradus procedendo; illa namque molliter vivendi ratio difpofitio quædam eft ad omnis generis fcelera, & non parùm opponitur cùm Profeffioni hominis Chriftiani, tum fpei atque fiduciæ hominis prædeftinati. Altè hæc duo vocabula animo tuo imprime; in paucis enim fyllabis multa continent.

Imprimis homo Chriftianus vivere debet ex fide, juxta illud Apoftoli ad Rom. 1. *Juftus autem meus ex fide vivit.* Jam verò, quæ difpofitio excogitari queat fidei, quæ tota fpiritualis eft, magìs contraria, quàm vita, quærendæ in fenfibilibus hujus mundi bonis voluptati femper intenta? Obfervat Tertullianus, nullum ex antiquis Philofophis de fole ineptiùs locutum fuiffe, quàm Epicurum, cùm ma-

majorem non esse putaret, quàm aspicientium oculis apparet, amplissimúmque illud corpus, quod tot millenîs vicibûs totum terrarum globum magnitudine sua exsuperat, ac si currûs cujusdam rotam mensurandam præ manibus haberet, ad pedes mensuraret: *Epicurus Solis orbem pedalem deprehendit.* Id ipsum cum quadam proportione dici potest de istis terrenarum voluptatum idololatris, & Epicureis potiùs hominibus, quàm Christianis; tam vilem habent bonorum æternorum æstimationem, tam humilem de supremo numine, immensa ejusdem Potentia, infinita Bonitate ac Justitia ideam, ut miraculum videatur, si in hujusmodi infumato capite fides non vacillet. Quemadmodum Christianus ex fide vivit, ita vivit quoque ex spe & caritate; verùm qualem in his mortalibus spem invenies, qui tanta cupiditate in mundi delicias se totos effundunt? si perpetuò vita præsente perfrui ipsis concederetur, prompta voluntate cœlesti Paradiso renuntiarent; sicut fatuæ illæ tribus, quæ, ubi camporum, cis Jordanem sitorum, amœnitatem conspexerant,

ſua ſe protinus terræ promiſſæ portione abdicârunt. Id ipſum de caritate tenendum, quæ non niſi difficillimè in animo deliciis dedito ſuccenditur, ſicuti à ligno viridi difficulter concipitur flamma. Præterea Profeſſio hominis Chriſtiani profeſſio eſt militis; atque ideo, quænam alia diſpoſitio magis eidem contraria excogitari poſſit, quàm mundanæ deliciæ, quæ iſtud ſuum ſolemne tenent, quòd fortiſſimi cujusque animum enervent? Pluribûs opus eſt, quàm præcisè oleum affundere, ut juſta gladio durities inducatur. Ex Chriſtianis aliqui eò deveniunt, ut ad illos abſterrendos vel ſola difficultatis umbra ſufficiat. Ad primam, quæ poſt peractam exhomologeſin inſurgit, tentationem à bono ſuo propoſito recedunt; eorúmque propoſita cornibus limacum ſunt ſimillima, quæ teſte Ariſtotele armorum ne quidem nomen promerentur, utpote quæ ad quemvis tenuiſſimæ cujusvis herbæ attactum ſe retrahunt. Quid igitur prodeſt dicere: habere ſe opiparè, dormire molliter, hilarî animô lætis conſortiis, tripudiis atque conviviis intereſſe, non

eſt

eſt peccatum? Dabo, peccatum non ſit; certè tamen tale quiddam eſt, quod ad hoc abſque dubio diſponit, ut in graviſſimorum ſcelerum licentiam quis abeat, ut nulli ampliùs tentationi reſiſtat, ut nihil ampliùs de Deo, de rebus cœleſtibus palato ejus arrideat, ut pedetentim in malorum profundum proruat, quemadmodum ſapientiſſimo Regum Salomoni accidit, qui, cùm ab initio illîs, quibûs perfrui licitè poſſet, oblectare ſe deliciîs conſtituiſſet, eò poſtmodum progreſſus tandem eſt, ut in ſtolidiſſimam idololatriam laberetur. Igitur virilî animô deliciîs ſe Chriſtianus expediat, convenit, inquit Tertullianus; hæ namque virtutem noſtram effœminatam, ad ſupportandum crucis onus, ad repellendos tentatoris aſſultus inhabilem efficiunt: *Diſcutiendæ ſunt deliciæ, quarum mollitie fidei virtus effœminari poteſt. L. de cult. fœm.*

Hæc ipſa vitæ, adeò deliciarum ſtudioſæ, mollities æquè contraria eſt noſtræ prædeſtinationis ſpei, quàm Profesſioni hominis Chriſtiani. Ratio eſt manifeſta; tota namque prædeſtinationis

noſtræ ſpes ſimilitudini, quam cum Chriſto Jeſu, Prædeſtinatorum Capite, habemus, tanquam fundamento incumbit. Ita altiore afflatus ſpiritu credere nos docet Apoſtolus, cùm ad Romanos ſcribit: *Quos prædeſtinavit, conformes fieri Imaginis filii ſui.* c. 8. v. 29. Jam verò Chriſti vitam perpetuò tres iſti ſocii comitabantur, paupertas ſcilicet, dolor, contemptus; atque per hanc viam ille ad gloriam eluctatus eſt: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Quid igitur jam dicunt delicati iſti, qui vel ad ſolum pœnitentiæ ac mortificationis nomen totîs artubûs contremiſcunt? an forſan aliud ipſi Evangelium repererunt? num in illorum gratiam alius de cœlo Redemptor deſcendit, cui, coronando ſe rosîs, conformare ſe queant? an forſitan nova iisdem ad cœlum via aperta eſt? ita, ut, cùm omnes illi, qui ad præſens usque momentum in illud ingreſſi ſunt, per multas intrare tribulationes neceſſe habuerint: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Act. 14. ipſis per continuas deliciarum illecebras illuc pervenire concedatur;

tur? cúmque pro aliis hucusque via, quæ ad æternam patriam perducit, arcta extiterit: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam;* Matth. 7. ipsis spatiosior, quàm ampla quædam platea, patescat? Brevi reflexione ad hanc rationem animum adverte, & non dubito, quin illius efficaciâ intellectus tuus sit convincendus.

Expertus id est Vallisoleti, nobili Hispaniæ civitate, Toparcha quidam, genere non minùs quàm divitiis nobilis, & deliciarum istarum studiosissimus. Multa hic, & præclara narrari audîerat de insigni doctrina & sanctitate Patris Petri Fabri, quem inter primos, eósque dilectissimos socios, in fundanda sua Religione S. Ignatius numerabat. Impulsus proinde curiositate potiùs, rei veritatem è proprio experimento noscendi, quàm alio motivo, occasionem, qua solus cum solo colloqui posset, captavit, próque anima sua salubre ab illo documentum poposcit. Cui Vir sanctus, profundiùs, atque Nobilis credebat, ipsius animum introspiciens, hæc solummodo verba loquebatur: *Christus pauper, & ego dives: Christus jejunus, & ego plenè*

ſatiatus: Chriſtus nudus, & ego ſplendidè veſtitus: Chriſtus in tormentis, & ego in deliciis; & hoc dicto conticuit. Alter, quemadmodum veritates iſtas negare non poterat, ita easdem non niſi triviales reputavit, Fabríque famam verô eſſe majorem, intra ſemetipſum conclufit. Pauci interea dies abîerant, cùm eo ipſo tempore, quo pro more convivio accumbebat, verba, non ita pridem à Fabro audita, denuo in mentem revocavit, atque tunc tandem, nova luce cœlitus immiſſa animum colluſtrante, illorum ſenſum penetravit, támque clarè latiſſimam, quæ ſuam inter & Sanctiſſimi Redemptoris vitam intercederet, diſſimilitudinem, gravémque, quam ex hoc capite animæ ſuæ ſalus pateretur, difficultatem dignovit, ut, in copioſiſſimas repentè ſolutus lachrymas, de menſa ſurrexerit, in privato quodam cubiculo diutiùs ſeſe lachrymarum pane cibaturus, atque commodiùs conceptum ſuam vitam permutandi, debitámque deinceps pœnitentiam perſolvendi propoſitum firmaturus. (Bart. Ital. L. 1. c. 18.)

Si-

Similis divinæ collustrationis radius ad intelligendam rite, quam legis, veritatem tibi quoque necessarius foret, & tunc denique caperes, tantò te majorem, ùt inquit S. Gregorius, timendi causam habere, quantò feliciùs per tranquilla navigare tibi videris: *Admonemur, mundi prospera metuere, & contra omnem seculi felicitatem acriùs vigilare.* in Psalm. 50. Caperes, magnum esse supplicium, post tot commissa crimina nullo à Deo supplicio castigari; hoc namque est illud, quod Deus comminatur, ubi supremam in mortales iracundiam concepit: *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ.* Os. 4. Caperes, non flagellari in hac vita cum hominibus, esse manifesto se exponere periculo flagellationis æternæ, in inferno subeundæ cum dœmonibus: *Qui in labore hominum non sunt, in labore dœmonum erunt: & qui cum hominibus non flagellantur, cum dœmonibus flagellabuntur. S. Bern. serm.* 23. *in Cantic.* Caperes, recipere bonum in vita sua, esse socium se adjungere Epuloni in hoc mundo, cum evidenti discrimine, ne

quis eidem quoque ſocius adjungatur in igne æterno; qui enim iîsdem cum illo deliciîs paſcitur, non immeritò timere poteſt, ne, quod illi dictum fuit, audire quoque & ipſe debeat: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Luc. 16. Uno verbo, caperes, Regnum cœlorum haudquaquam inertî otiô, & deliciosè fallendi temporis ſtudiô, ſed generoſâ fortitudine, & magnanimâ violentiâ obtineri: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. omnes háſce veritates in momento intelligeres. At verò, cùm denſiſſimis carnalis ſapientiæ immerſus ſis tenebris, tantùm abeſt, ut hujusmodi res obtenebrato intellectu aſſequaris, ut, vel ſolùm audire íllas, tibi diſpliceat, illúmque in corde tuo condemnes, qui easdem in animæ tuæ emolumentum ob oculos tibi ponere laborat: *Verbum ſapiens audivit luxurioſus, & diſplicebit ei.* Eccli. 21. v. 18. Abſit proinde, mihi unquam ampliùs innocentia eſſe ejusmodi oblectamenta dicas; nam ſi immoderata ſint, ſive ratione temporis, quod illis impenditur, ſi nempe integra iis dies tri-

tribuatur; ſive ratione affectûs, quo iisdem animus affigitur, ſi nempe propterea pœnitentiæ illum oblivio ſubeat; ſummè profectò noxia ſunt, magnúmque jam in vita præſenti malum continent, & longè adhuc majus, imò omnium maximum minantur in futurum.

S. Thereſia in libro, cui ex obedientia vitæ ſuæ hiſtoriam intulit, capite trigeſimo ſecundo refert, quòd, cùm aliquando orationi vacaret, Diviniſſimus Sponſus locum ſibi quemdam in inferno oſtenderit, in quem certiſſimè præceps abîiſſet, ſi continuare quasdam converſationes & amicitias perrexiſſet, quæ quidem ex ſe malæ non erant (ab his enim Sancta à primo ſuæ vitæ exordio ad ultimum usque halitum toto corde conſtanter abhorruit) ſed vanæ, atque adeò periculoſæ, ne illius animum pervarterent, eóque ſenſim perducerent, ut à Deo deſereretur. Jam verò libentiſſimè ego reſcirem ex te, quisquis tam avidè delicias ſectaris, an tua oblectamenta, tua, quæ aliis defers, obſequia, tuæ converſationes, tuæ viſitationes tanta cum innocentia tranſigantur, atque

amicitiæ S. Thereſiæ, nondum quidem in excelſo perfectionis gradu conſtitutæ, nullo tamen etiam in illud usque momentum, graviori ſcelere depravatæ? & ſi quidem tantum tibi inſit audaciæ, ut tuas delicias cum illius oblectationibus comparare ſuſtineas, ſcire jam pervelim, ſi illius amicitiæ cum certo æternæ damnationis periculo conjunctæ fuerunt, quo fundamento tuas ab eodem eximias pronunties? Per ſalutem te tuam obteſtor, ne diutiùs te decipi patiaris à perfida hac Dalila, tua ſenſualitate. Si vitam vivere undequaque deliciîs affluentem, grande malum eſſe, jam nunc tibi non appareat, apparebit poſt tempus modicum: *Dum amantur vana, perpetrantur mala.* Qui illud omne amplectitur, quod ſimpliciter eſt licitum, in eo jam eſt, ut etiam illicita proximè exequatur: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. Non finitur recreatio, quæ in apertam non deſinat idololatriam. Quapropter firmiſſimum, multum de tuis commoditatibus reſecandi, atque pœnitentiæ, quæ Chriſtianæ profeſſioni adeò pro-

propria eſt, ut totam vitam noſtram deberet componere, non penitus obliviſcendi propoſitum concipe. Vita Chriſtiani, inquit ſancta Synodus Tridentina, eſt continuata pœnitentia. Non eſt prohibitum, fatigatum laboribus animum relaxare; ſed enim ſcire oportet, haud quaquam fas eſſe, ob oculos poſitam mellis portionem ex amplis patinis, aut exundante dexteræ vola, exſorbere; ſed extremos ſolummodo digitos intingere, & ejusdem exinde dulcedinem guttatim delibare. Oblectamenta Chriſtianorum debent eſſe eorundem ſtatui conſentanea; recreare ſe poſſunt, ſed in Domino; recreare ſe poſſunt, ſed ſuo tempore, non die tota; recreare ſe poſſunt, verùm ut majores ad ſui mortificationem vires recipiant; quemadmodum arcus remittitur, ut majore poſtmodum vigore ſagittam excutiat.

Denique Chriſtus Jeſus mortuus eſt, ut populum formaret, qui per bonorum operum, non verò deliciarum veſtigia ambularet: *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Tit. 2. v. 14.

Ne-

Neque ideo tantummodo in terram è cœlo descendit, ut noster Redemptor, verùm etiam, ut & verbîs & exemplîs noster quoque Magister existeret, apertè declarans, eum, qui se sua cum cruce sequi recuset, suorum fidelium nec nomen, nec præmium promereri: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. v. 38.

Remedium ad tollendum hoc impedimentum.

Verùm ad extirpandum humano ex animo affectum, qui tam profundas à primis pueritiæ annis in eo radices egit, non potest, nisi magna fortitudo sufficere; atque, quod inde sequitur, ad hanc obtinendam humilis & constans oratio requiritur. Suspira etiam tu sæpenumero cum Ecclesiastico ad Dominum Deum tuum: *Aufer à me ventris concupiscentias; & animæ irreverenti, & infrunitæ ne tradas me.* c. 23. v. 6. O Domine! tolle ex animo meo hanc insatiabilem mundanarum deliciarum cupiditatem, & noli me immani carnis meæ tyrannidi subjicere. Maxima, quam Divina

na tibi in hoc mundo infligere Justitia potest, pœna est, si tradat te in manus carnalis cupiditatis tuæ; quæ *irreverens* vocatur, quia, ut suum ipsa intentum consequatur, omnia jura Divina juxta atque humana súsque déque habet; vocatur *infrunita*, hoc est insatiabilis & absque frœno, quia id, quod illius desideria deberet satiare atque extinguere, eadem excitat magìs, atque inflammat. Crebrîs itaque suspiriîs te Patri Cælesti commenda, ut ab inimico tuo omnium maximo, qui tu ipse es, & propria tua voluntas, ac perversa isthæc ad delicias inclinatio, te liberet. Quod verò ad tuam cooperationem attinet, tria insuper remedia tibi suppeditabo, quorum ope, si ritè illa adhibueris, robur istud acquires.

Primum sit, mundanas delicias non à fronte, sed à tergo aspicere; volo dicere: non considerare, quidnam pro præsenti offerant, sed earundem finem, præcipuè pro mortis articulo: *Ne intuearis vinum, dum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ùt Coluber*. Prov. 23. v. 31.

31. Bella & jucunda jam apparet mundanorum vita ex eo; quia continuîs illecebrîs eorum ſenſibus blanditur; verùm quanto tempore duraturam exiſtimas? Ecce! poſt pauxillum temporis, ad extrema deductus, tremendas inter anguſtias jacebis, omníque jam dilapſa dulcedine, nihil nîſi acerbè pungentes aculei remanebunt, eò quòd inter veſanas ineptias, inter meras vanitates tempus perdideris, tantâ miſericordiâ tibi à Deo eum in finem conceſſum, ut felicitatem tibi comparares ſempiternam. Vita præſens, tunc dices, ideo mihi tantummodo data fuit, ut illâ benè utendo futuram lucrarer; & ego in quid eam impendi? Creatus ſum, ut omnipotenti Deo famularer, & mihi ſoli hactenus ſervivi. poſitus ſum in hoc mundo propter animam, & non propter corpus; & vixi hactenus, ac ſi immortalem non habuiſſem animam, quam ſalvare deberem; ac ſi tantummodo ad hoc natus fuiſſem, ut fœtido corpori deſervirem.

Moyſes, ut ſerpentem in Virgam, ſtupendum illud tot prodigiorum inſtrumentum, mutaret; aliud non egit, quàm

quòd

quòd illius extremitatem, utì Deus ipsi mandaverat, dexterâ prehenderit; *Extende manum tuam. & apprehende caudam ejus.* Exod. 4. v. 4. Hoc ipsum tu quoque fac; mundanarum deliciarum caudam prehende, & quæ modò, cùm tanquam finis à te amantur, venenatæ instar viperæ fatalî toxicô te inficiunt, generoso contemptu repudiatæ, ad acquirendum omne bonum tibi deservient. Præcipuè, si propinquæ mortis considerationi illud quoque adjungas, quod formidabilem ejusdem acerbitatem immensùm audaget; si nempe severissimam illam rationem, quam post perbrevem temporis lapsum coram Divino Tribunali districtissimo Judici redditurus es, animo tuo seriò proponas. Audi, quem in modum de grandi hoc negotio Rex Salomon nos admoneat, postquam propriô experimentô didicerat, quidnam prodesset tandem, in omnis generis delicias totum cor suum effundere: *Lætare juvenis, & in bono sit cor tuum: ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quòd pro omnibus his adducet te Dominus in judicium.* Eccle.

Eccle. 11. v. 9. O! quam amara ironia! perge litare genio, lætare & exulta; da ſenſibus, quidquid deſiderant; Concede omnem, te oblectandi gratiâ, oculis tuis libertatem; ſed ſcias oportet, paulò pòſt citandum te eſſe ad formidabile illud Tribunal, coram quo etiam inſigni Sanctimonia præfulgentes, veſtiti ciliciô, circumligati catenîs, jejuniô attriti, omnibûs artubûs contremiſcunt, atque exinde, quid te futurum ſit, dijudica, qui totus deliciîs circumfluis.

Secundum remedium erit Sanctorum vitas perlegere. Quis explicare jam queat, quàm magna ex iis emolumenta hauſtura ſit anima tua! ſaltem duplicem exinde hanc utilitatem recipies, nimirum ſalubri imprimis pudore ſuffundetur animus tuus, ſi illorum rigorem cum vitæ tuæ mollitie conferas. Deinde è ſua inſuper puſillanimitate erigetur, quo fiet, ut & ipſe ad audendum quidpiam, Chriſtiani, quod portas, nomine, atque illa, qua aliquando illorum in Paradiſo ſocium te fore confidis, ſpe dignum aſſurgat. Sumus filii Sanctorum, inquiebat olim bonus Senex Tobias, atque

etiam

etiam nos vitam illam ſempiternam expectamus, quam Deus ſuis fidelibus præparavit: *Filii ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. v. 18.* Quàm æquum proinde eſt, ut, ſi ad idem præmium aſpiremus, per eandem cum ipſis viam ambulemus? quemadmodum magìs imbellium cervorum vulgus facere aſſolet, qui mare timentes tranſnatare, ubi quemdam robuſtioris corporis inſilire in aquam, atque præire conſpiciunt, abſque difficultate eundem ſequuntur. Iſtud tam ſplendidum Sanctorum exemplum reliquis Chriſtianis magnum addere animum deberet; ſed enim ii explodunt illud, & heroica Sanctorum pietatis facinora fuiſſe exceſſus opponunt. Ego verò nihil ſacris in Paginis invenio, quod veſtræ huic aſſertioni patrocinetur. Inter alios S. Paulus expreſſè dicit, quòd corpus ſuum caſtigaverit, atque in ſervitutem redegerit, ut ne, cùm aliis ſalutem prædicaret, ipſe eâdem excideret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe*

reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. Numquid igitur magna cœcitas eſt, perſuadere ſibi, nihil eorum, quæ Sancti aut fecerunt, aut paſſi ſunt, ad conſequendam ſalutem nobis eſſe neceſſarium? Et, ſi Apoſtolo ad hoc, ut ad gloriam eligeretur, ſufficere non videbatur vita, inter perſecutiones, inter captivitates & naufragia tranſacta, niſi alias inſuper voluntarias pœnitentias adjungeret, quo fundamento, nobis ſufficere vitam mollem & effœminatam, atque inter omnis generis delicias exactam, exiſtimabimus?

Cum lectione vitarum Sanctorum conjungi debet lectio Paſſionis Dominicæ. Magna profectò Chriſtianorum inordinatio in eo eſt, quòd, cùm Verbum Incarnatum in ſe ſuſceperit omne genus malorum, quorum capax erat Deus, ut nobis procuraret omne genus bonorum, quorum capax erat homo, nihilominus tamen illi, tametſi hæc omnia firmiſſima fide profiteantur, ne tantum quidem otii inveniant, quo divinæ Paſſionis hiſtoriam oculis perluſtrent, cùm tamen ſatìs ſupérque temporis reperiant, quo inania nova perlegant, quæ per plateas circum-

circumferuntur. Alioquin, si sacratissimæ Passionis Lectioni frequenter temporis aliquid tribuerent, quomodo possibile foret, ut ob vitam professioni, qua Redemptorem suum sequi se profitentur, adeò contrariam non erubescerent? *Arca Dei, & Israël, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab super faciem terræ manet, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam? Non faciam rem hanc. 2. Reg.* 11. dicebat olim Urias, & absque dubio dicturus esset quilibet, si frequenter vitæ tenorem, & acerbissimæ Christi Domini mortis historiam suis oculis proponeret, qui tanta perpeti tormenta dignatus est, non modò, ut ab æterno nos interitu vindicaret, verùm etiam, sicut diximus, ut sanctissimô nos suô exemplô instrueret.

Tertium ex hoc vitæ genere, Christianæ mortificationi nimiùm repugnante, sese extricandi remedium est, incipere seipsum in rebus parvis vincere. Quid denique magni est, aliquoties conversationis cujusdam solatiô, quadam curiositate, delicatiori quodam ferculo se

re? S. Franciſcus Borgia, adhucdum Gandiæ Dux, cùm Imperatorem Carolum Quintum ad venationum delicias comitaretur, ad jucundiſſimum earundem ſpectaculum, quando nempe falcones in eo jam erant, ut præcipiti volatu in prædam irruerent, ſuos oculos claudebat, & generoſam hanc de ſe ipſo victoriam in ſacrificium ſupremo Numini immolabat. Simile Sacrificium cœlo offerebat Theodoſius Junior Imperator, quando, aſſiſtere ſpectaculis coactus, eadem in ſuæ virtutis triumphum convertebat, ſuos oculos ibi dejiciendo, ubi conferta populi multitudo ob mirabilem rei exhibitæ elegantiam ad faciendos majores applauſus voces elevabat. P. Vincentius Caraffa è Societate JEſu, ad convivium invitatus, ſuos quoque Patronos, utì ſolebat dicere, ſecum invitabat, & unicuique illorum ſuam portionem ſeponebat, atque in illorum honorem præcipuam, meliorémque appoſitorum ferculorum partem intactam relinquebat. Hæc & ſimilia exempla non in eremo tantummodo, ſed ſpectantibûs Imperatoriæ Aulæ Proceribûs, publicis-

blicísque in conviviis, & ab hominibus, non è trivio ſolùm atque ex infima plebe oriundis, ſed delicatis, & generis proſapiâ inſignibus exhibita, eò te pertrahant, ut à minimis incipiens ulteriores ſemper in virtute progreſſus facias. Experientiâ Magiſtrâ diſces, quòd, ſicuti canes venatici, etiamnum teneri, ab initio apri occiſi pellem pertimeſcunt, poſtmodum verò, ubi adoleverint, inter ſylvarum deſerta etiam vivum provocant, audacibúsque in eundem dentibûs inſiliunt, ita & tu, ubi primùm viam ſpiritûs ingreſſus fueris, in demittendis oculis difficultatem ſis habiturus, poſtquam verò majora virtus tua incrementa acceperit, quò majores vita Chriſtiana difficultates oppoſuerit, eò generoſiore animo iis obviam ſis proceſſurus, ut glorioſum de iisdem triumphum referas. At verò ſinè his principiis nunquam ſolidum in virtute progreſſum facies: S*apientia non invenitur in terra ſuaviter viventium. Job.* 38. *v.* 13. virtus inter delicias non reperitur; ſicuti herbæ odoriferæ in ſolo nimiùm pingui non creſcunt. Imò non modò virtutem non acquires, ſed ne

quidem tentationibus & peccatis resistes: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccli.* 18. *v.* 31. Si illud continuò respicere, & fixissimè contemplari volueris, quod sensibus tuis blanditur; si illud tanquam operandi regulam assumpseris, quod carni tuæ arridet, non multum temporis abibit, cùm inimici tui tuo in interitu exultabunt, & ubi corpus tuum delicatè habueris, illius locô, quòd rationi subjectum & obsequens visurus sis, recalcitrare, & molestiores identidem excitare turbas sentties: *Qui delicatè nutrit servum suum, sentiet eum contumacem. Prov.* 29. *v.* 22. Uno verbo, quemadmodum canis nullibi majus, quàm inter flores, fugientium ferarum vestigia amittendi periculum subit; ita anima tua nullibi præsentius, quàm in mediis mundanarum delicarum illecebris, à fine suo aberrandi discrimen incurrit. Crede tantùm firmissimè, quòd, cùm in Evangelio Incarnati Verbi Sapientia, omnibus fidelibus ad acquirendam cœlestem gloriam necessarium esse, quotidie suis humeris crucem imponere, tam apertè

apertè declaraverit: *Dicebat ad omnes: ſi quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam quotidie;* omnino pro indubitato tenendum ſit, non aliam tibi, animam tuam ſalvandi, viam ſupereſſe, quàm viam mortificationis; ſecus profectò eandem nobis oſtendere Amabiliſſimus Servator nullatenus omiſiſſet, qui tanto cum amore ſe nobis præbere Ducem dignatus eſt.

LECTIO VII.

Impedimentum, quod affert ſaluti inordinatus amor divitiarum.

DUas avaritiæ ſpecies diſtinguit S. Thomas, unam contrariam juſtitiæ, & eſt, alteri auferre ſuum; aliam contrariam liberalitati, & eſt, nimis tenaciter retinere proprium. Jam nemo ignorat, primam avaritiæ ſpeciem ſaluti eſſe oppoſitam: *Fures regnum Dei non poſſidebunt.* 1. *Cor.* 6. *v.* 10. At verò, quantum ad alteram attinet, pauci hoc ſciunt, & multò minùs intelligere volunt, tametſi id ipſis apertè demonſtretur. Et

tamen, quidnam manifeſtius in S. Evangelio? Nihil magìs in Phariſæis reprehendebat Chriſtus Dominus, quàm ſuperbiam, & avaritiam; ſed quamnam ille avaritiam ſuis in ſermonibus reprehendebat? certè non illam, quæ ad alienum injuſtas manus extendit, ſed illam, quæ ſuum cum nimia tenacitate poſſidet, illud nimis ardenter deſiderat, & nimia ſolicitudine conquirit. Ob id ipſum, omnes fideles ſuis in Apoſtolis inſtructurus, ad eosdem ajebat: *Videte & cavete ab omni avaritia. Luc. 12.* v. 15. Attendite diligenter, & cum ſingulari ſolicitudine vigilate, ut ab omni avaritiæ genere vos defendatis, id eſt, non ab illa tantùm, quæ cum injuſtitia conjuncta eſt, ſed ab illa quoque, quæ nimiùm tenaciter bonis propriis animum affigit: *ab omni avaritia.* Denique à quo alio vitio Dulciſſimus Redemptor occaſionem ſumpſit admirandi, nobisque detegendi vim illam longè maximam, quam ad præcludendam nobis Paradiſi januam habent bona temporalia, niſi ab immoderato affectu, quo juvenis ille, cæterà tam innocens, ſuas in poſſeſſiones ferebatur?

tur? *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt! Marc.* 10. *v.* 23. quàm difficile eſt, ut illi, qui & multas fortunas poſſident, & viciſſim à fortunis multùm poſſidentur, vitam ſempiternam conſequantur! Jam verò, etiamſi hæc ſola Medici noſtri Cœleſtis verba abundantiſſimè ſufficiant, ut ex iis hujus mali gravitatem dignoſcere, meritóque nobis eſſe ſuſpecti poſſemus, an non nos quoque morbô tam periculoſô laboremus, nihilominus nihil abs re facturum me puto, ſi hoc ipſum magis minutim explicavero.

Damnum, quod affert ſaluti noſtræ hoc impedimentum.

Duæ propoſitiones, ex praxi manifeſtæ, ad explicandum grande hoc damnum mihi viam facient; una eſt, quòd raro ſecunda hæc ſpecies avaritiæ absque prima inveniatur; altera eſt, quòd adhuc rariùs ſecunda hæc avaritiæ ſpecies cum aliis vitiis non ſit conjuncta; ſeu clarioribûs terminîs: quòd immoderatus bonorum temporalium amor facillimè ad committendas multas injuſtitias

impellat; & siquidem istud non eveniat, certò tamen in omnis generis scelera facilè vos præcipitabit.

Has veritates ut intelligamus, primò justam de hujus passionis violentia, & immani, quam in cor hominis semel possessum exercet, tyrannide ideam animô concipiamus. Docet S. Thomas, hoc vitium inter vitia merè spiritualia, & vitia merè carnalia esse medium; adeoque hujus affectûs, & diabolici, & carnalis malitiam participat, similísque est globo è tormento bellico excusso, qui suam ad inferendas strages vim ac fortitudinem ab igne simul, & suo pondere accipit. Deinde occasiones exercendi actus hujus vitii sunt multò frequentiores, quàm sint occasiones exercendi actus aliarum passionum, atque adeò habitum longè robustiorem efformant. Nónne videmus, quòd multi sint, quemadmodum eos Propheta vocat, *Involuti argentô? Soph. 1. v. 11.* Perpetua ipsorum occupatio est, cum pecuniis negotiari, aut vendendo, aut emendo, aut dando illas ad usuram, aut accumulando? atque hoc ita quidem, ut, cùm reliqui

reliqui inordinati affectus deficiente ætate & ipsi deficiant, hic paria cum ætate incrementa suscipiat; unde contingit, ut ille, cujus animum fatalis isthæc tenacitas semel occupaverit, similis evadat pyramidibus, quæ, quò altiùs in aëra assurgunt, eò acutiora in acumina desinunt. Accedit, quòd alia vitia homini bonum tantummodo particulare promittant, avaritia verò omne genus bonorum polliceatur; unde ingenerat amorem divitiarum, tanquam boni cujusdam universalis, quod omnia reliqua virtualiter in se contineat, viréſque habeat ad eadem procuranda sufficientissimas; atque adeò pronum est, ut quis in easdem correspondente affectu, & qui omnes alias cupiditates excedat, afficiatur. Denique, quod ultimum malo complementum adjicit, est illud, quòd nimirum istud vitium ordinariè humano in animo occultè delitescat, atque sub larva prudentiæ, quæ docet removere discrimina incurrendi paupertatem; sub schemate caritatis, quæ exigit, ut Filiis, Domui, atque Familiæ in futurum provideatur; sub prætextu necessitatis sui gradûs conservandi

sese

ſeſe abſcondat; unde, quemadmodum ſerpentes, qui quoad colorem terræ ſunt ſimiliores, difficiliùs pro ſerpentibus agnoſcuntur; ita hæc paſſio, tanto non levium in ſpeciem rationum apparatu veſtita, difficiliùs pro paſſione habetur. Ex quibus omnibus planè manifeſtum efficitur, amorem divitiarum, acquirendi, retinendi, non perdendi, famem plùs quàm caninam eſſe, atque adeò, quis facilè tam effræni hujusmodi appetitui temperantiæ fines queat præfigere, ita, ut alicubi juſtitiæ limites non transgrediatur? ita enim æternæ Veritatis Oraculum: *Qui aurum diligit, non juſtificabitur. Eccli. 31. v. 5.* Et profectò, quis perſuadere ſibi poſſit, rem facilem eſſe, vivere ſub affectûs usque adeò violenti tyrannide, ſuísque bonîs eſſe contentum, quin tamen quis hinc inde in juſtitiæ leges impingat, atque alios impia fraude circumveniat? quin tamen certîs quibûsdam vehementer allicientibûs utatur opportunitatibûs, in quibus non valeat homo injuſtitiæ convinci? quomodo poſſibile ſit, ut animus inſatiabili divitias colligendi cupidine exæſtuet, & nihi-

nihilominus in ſuis negotiis præſcriptam à juſtitiæ legibus menſuram obſervet? ut velit, non modò copioſis, ſed intra exigui quoque temporis decurſum; affluere divitiîs, & tamen non per viam aliam, niſi directam, quæ naturaliter loquendo ſemper eſt longior, incedat? Miracula ſunt iſthæc, atque ideo rarò inter homines reperiuntur: *Qui poſt aurum non abîit, fecit mirabilia in vita ſua. Eccli. 31. v.* 8. Nihil magni eſt, rivulum exiguum ſuos intra terminos ita continere, ne eosdem ſupergreſſus vicina camporum jugera devaſtet; at verò, quænam ars, quænam vires rapidiſſimo torrenti, littoribûs coërcendo ſufficient, qui ex alto rupis vertice deſcendens, tumidô, minacíque alveô per plana decurrit? *Qui feſtinat ditari, non erit innocens.* Prov. 28. v. 20.

Nihilominus verum eſſe concedamus, reperiri magnum pecuniarum amorem, quem injuſtitia non comitetur; demus, ſanctum Hieronymum per auxeſin dixiſſe: *Omnis dives iniquus, aut iniqui hæres*; ita, ut invenire ſit quendam, qui aut multa corradat ipſe, aut multa cor-

raſâ

rasa ab aliis suis in ædibus reperiat, quin aliquid exinde iniquitatis contraxerit; qua ratione animus, qui bonorum terrenorum aviditate abripitur, ab aliis sese vitiis defendet? si hoc ita facile foret, haudquaquam certè Apostolus cupiditatem malorum omnium radicem appellâsset: *Radix omnium malorum est cupiditas.* 1. *Tim.* 6. Sanctissimum, quo mundi Servator nobis præluxit, exemplum, & gratia, quam amarissima sua morte nobis promeruit, tota ad hoc solum ordinatur, ut vivere nos doceat in humili pietate erga Deum, in amore justitiæ erga proximum, in sobrietate erga nos ipsos: *Erudiens nos, ut sobriè, justè, & piè vivamus in hoc seculo. Tit.* 2. *v.* 12. Atque benevola hæc Verbi Incarnati intentio, suum ut finem consequeretur, bonorum temporalium contemptum tanquam fundamentum illi supposuit; & ideo ex omnibus ejus documentis primum, in concionum suarum omnium prima, fuit hoc: *Beati pauperes.* Luc. 6. v. 20. primáque comminatio, quam in S. Evangelio legere est, fuit illa, quam hujus mundi divitibus intentavit: *Verumtamen væ vobis*

vobis divitibus! nempe, ut nos edoceret, quòd, quemadmodum divitiarum contemptus solidissimum sit Evangelicæ doctrinæ fundamentum; ita immodica earundem cupiditas aries existat, qui excelsam hanc fabricam è fundamentis eruere, suóque impetu subrutam, solo penitus adæquare possit. Quapropter, ecce id, quod dici cum veritate potest: immoderatus bonorum terrenorum amor maximus est Christianæ professionis inimicus, &, si fideles ab Apostolo filii lucis nominantur, avaritiæ scelere laborantes, ad hanc ipsam oppositionem denotandam, à Regio Psalte tenebrosi hujus terræ nuncupantur: *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ. Psalm.* 73. Prima Christiani hominis cogitatio debet esse de animæ salute, quemadmodum suavissimus Redemptor nos admonet: *Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus. Matt.* 6. *v.* 33. at verò, ubi avaritia animum subit, prima cogitatio ad accumulandas fortunas convertitur; occurrentia per annum festa nihil pensi habentur, aut solummodo, ùt occasiones majoris lucri considerantur propter nundinas,

nas, & quia diebûs feſtîs à pauperibus faciliùs obtinent, ut ſibi absque mercede laborent; ita, ut diebûs iſtîs ſolemnioribûs, quas S. Mater Eccleſia à ſuis fidelibus, conſiderandis beneficiis divinis, reddendis Divino Numini gratiis, frequentandis ſacris Myſteriis conſecrari deſiderat, iſtud hominum genus longiùs, quàm unquam aliàs abſit à bonorum operum exercitio, copioſioribûs, quàm unquam aliàs, mundanîs negotiîs occupetur. Age, de rei iſtius veritate experientiam conſule, & vide, an negare eam poſſis, imò ipſam etiam fidem interroga. Credisne, Chriſtum Dominum unquam falſum dixiſſe? Jam verò ille ipſe clariſſimîs terminîs aſſeveravit, neminem poſſe uno eodémque tempore duobus hiſce Dominis ſervire, & Deo, & amori pecuniarum: *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Matt. 6. v.* 24. An autem affirmare jam ſuſtinebis, & te ſolum illud effecturum exiſtimas, quod, ut à mortalium quopiam fiat, impoſſibile eſſe, æterna Veritas pronuntiavit? Et quid pluribûs opus? in antiqua jam Lege, in qua tamen in præmium

mium promiſſæ erant divitiæ, tantum nihilominus Regum ſapientiſſimo Salomoni timorem illæ incuſſerunt, ut Divinam Majeſtatem hîſce precibûs ſupplex obteſtaretur: Abſit, O! Domine! ſuperfluas mihi divítias largiaris; ne animus meus iiſdem repletus, ad negandam tibi obedientiam inducatur, audeátque dicere: non agnoſco alium dominum, niſi meipſum: *Divitias ne dederis mihi, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus? Prov. 30. v. 9.*

Neque minus roboris habet avaritia iſthæc ad avertendum nos à noſtris proximis, quàm habeat ad hoc, ut à Deo nos ſeparet. Volunt aliqui, divitias in Lingua Latina ſuum nomen à dividendo traxiſſe: *Divitiæ à dividendo*; nulla enim eſt ex omnibus humani animi paſſionibus, quæ tantarum in orbe ruinarum cauſa exiſtat, tantáque concitet diſſidia, atque maledicta hæc augendarum opum cupiditas, utpote ratione cujus omnia litibûs implentur, & non modò cum extraneis, ſed aliquando cum illis etiam, quos arctiſſimo ſanguinis nexu, tanquam

fratres, natura nobis conjunxit, acerrimè juxta & ſcandaloſè diſceptatur. Atque adeò non pauci, poſtquam in uno eodémque unius ejusdémque Parentis ſinu formati ſunt, poſtquam unum idémque lac ex eodem materno pectore ſuxerunt, poſtquam diuturno tempore in una eadémque domo conjunctîs animîs habitârunt, tandem, ubi ad dividendam hæreditatem devenitur, ipſorum quoque ſæpenumero animi dividuntur, & in eum usque diem continuata voluntatum conjunctio in odium & inimicitiam commutatur. Spiritus Chriſtianorum totus eſt ſpiritus benevolentiæ & caritatis; exigit, ut omnibus, quantum quidem per vires noſtras licet, benefaciamus; exigit, ut omnes ſincero amore diligamus, ſicuti nos ipſos, & eo affectu proſequamur, quo Chriſtus Dominus nos eſt amplexatus; at verò ſpiritus avaritiæ eò nos impellit, ut omnia mentis noſtræ cogitata in nos ſolos convertamus, id unicè curantes, ut nos lucrum reportemus, quidquid ſit, an alii ad extremam pauperiem devolvantur. Qui mercator eſt, vellet, omnia ſimul nego-

tia ſuas manus tranſirent; qui generis nobilitate eminet, optaret, pauperculi fame emorerentur, quò altiorî pretiô ſuos ipſe reditus poſſet divendere; atque, ut menſâ ſuâ delicioſo ferculorum apparatu turgeſcat, ut domeſtici parietes operta pretiosîs aulæîs cubicula exhibeant, ut ipſe omni bonorum abundantia circumfluat; in ultimis curis reponit expungere contracta debita, ſatisfacere piis legatis, numerare mercedem operariis, minimè ſolicitus, ſi interea pauperes ſuper terram ſua in indigentia, defunctorum manes in horrendis luſtrici carceris flammis patiantur. Væ! famulo illi, qui poculum diffregerit! haud quaquam ſe ampliùs capit animus, dum lingua, plùs quàm infernalis, centum blasphemias uno halitu evomit. Quodſi autem filii in omnem profligatæ vitæ licentiam ſe effundant, ſi famuli injuſtîs praxibûs utantur, dummodo Pater, aut Paterfamilias indemnis ſervetur, nihil mali reputatur. Si die tota de anima ne quidem unica habeatur cogitatio; ſi tempus ad audiendum Sacrum non ſuppetat; ſi ne quidem ſpatium ad recitandas quas-

dam precatiunculas ſub veſperum ſuperſit, nulla exinde cura mentis quietem turbat. Verùm ſi vicinus quatuor digitorum particulam de illius confinibus ſuo adjicere fundo attentet, enimvero hoc tantum eſt, ut ſupportari non oporteat; confeſtim intentantur lites, & armîs etiam, ſi opus fuerit, inimica defenſio præparatur. Juſtô longior exiſteret, qui fatales avaritiæ effectus omnes pro merito vellet deſcribere; omnia ferè hujus mundi peccata recenſere neceſſarium foret, utpote quæ omnia illam, tanquam ſuam parentem aut nutricem, reſpiciunt; unde ſi ab Huſſæo Principe rationem quandam univerſalem petatis, cur peccatores in terra reperiantur: *Quare impii vivunt?* ſinè mora reſpondebit, iſtud ex eo provenire, quia divitiæ ſunt in mundo: *Sublevati ſunt, confortatique divitiîs. Job.* 21. *v.* 7. commoditates, quas divitiæ ſubminiſtrant, latiſſimam ipſis ad quævis ſcelera viam aperiunt. Conclude proinde, immodicum hunc affectum maximam eſſe totius mundi Chriſtiani inordinationem, quam omnia vitiorum genera aut parturiunt, aut

aut comitantur; ita, ut ſi illa aliquando hominis animum ſubintret, omnis ex eo ſalutem animæ procurandi cura excludatur. Hoc ipſiſſimum eſt, quod Spiritus ſanctus clariſſimìs terminìs per os Sapientis enuntiat: *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam ſuam venalem habet. Eccli.* 10. *v.* 10. Pecuniarum namque cupiditas in homine amorem erga animam ſuam usque adeò extinguit, ut pro nihilo eandem divendere dœmoni non dubitet. Alii peccatores animam ſuam diabolo oppignorant, atque adeò facilius eſt, ut aliquando iterum illius eandem è manibus vindicent; avari autem eam ipſam nundinatori ſtygio divendunt penitus, & ſæpiſſime contingit, ut per totam ſuam vitam nunquam ampliùs eandem redimant. Si illorum quiſpiam iniquum contractum ineat, quis unquam ampliùs de reſtitutione cogitat? tamdiu confeſſarii mutantur, donec ex illis reperiatur quiſpiam, qui illorum ad guſtum ſententiam proferat, hícque ſolus tanquam verax & ſincerus dilaudatur, reliqui autem omnes tanquam ſcrupuloſi

contemnuntur. Quodsi tamen negari obligatio non potest, pollicentur quidem, restituere debitum, sed nunquam restituunt, totúmque restitutionis negotium hæredibus relinquunt; aut, si ipsimet aliquando suæ obligationi faciant satìs, eo ferè modo, quod debent, restituunt, quo mare, quod, postquam insignis magnitudinis navim absorpsit, nihil littori, præter paucas tabulas semilaceras restituit. Hoc solo & unico: *Non possum*, omnes simul & semel obligationes extinguuntur, quin interim advertatur, quòd, cùm frequentiùs injustè possessa restituant pauperes, quàm divites, restitutio sæpius ob avarititiam, quàm ob impotentiam omittatur.

Remedium ad tollendum hoc impedimentum.

Primum contra hoc vitium adeô pertinax remedium in eò consistit, ut instanter Divinæ bonitati te commendes, & profunda animi demissione tu quoque cum Rege Davide ad cœlum suspires: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in avaritiam. Psalm.* 118. O! Domine

Domine Deus meus! mutare digneris affectum meum, eúmque, qui ad præsens usque momentum ad pecunias, ad divitias vitiosè propendebat, ad sanctissimæ Legis tuæ amorem inclinare. Quando hic coronatus Propheta Divinorum mandatorum observantiam avaritiæ opponit, non modò significare nobis intendit, ab avaritia non raró totius legis transgressionem suam trahere originem, sed insuper monitos nos cupit, quòd, quantùm nostrâ interest illam plenè observare, tantùm nostrâ intersit, ardentibûs votîs Deum obtestari, ut à maligna hac cupiditate liberos nos præstet. Tam tenaciter suo scopulo adhæret spongia marina, ut, nisi in partes disrumpatur, ab eodem separari non possit; quodsi autem pauxillum olei ipsi affundatur, sua sponte se solvit; & separat. Si divitiarum amor Christiani hominis animum aliquando plenè possedit, sua à possessione non nisi solius mortis immissa falce dejici ampliùs potest: at verò si Divinæ Clementiæ complaceat, hujusmodi animo parùm aliquid efficacioris gratiæ inspergere, tum ecce! tota repentè rerum

facies mutatur, & illud haberi pro lucro incipitur, quod ab initio detrimentum videbatur.

Alterum remedium eſt, divitias contemnere, ita, ut nihil unquam invidiæ admittamus erga illos, qui opibûs abundant, ſed benevolô potiùs iisdem animô compatiamur; ut nullatenus eorum felicitatem extollentes, juxta ignorantis mundi conſuetudinem, beatos appellemus: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Pſalm.* 14. verùm ut eosdem tanquam in propinquiore amittendæ ſalutis diſcrimine verſantes intueamur, cùm non immeritò timeri queat, ne exiguum illud boni, quod faciunt, temporali hac proſperitate Divina iis Liberalitas compenſet, atque adeò quondam coram ſupremo Tribunali audire neceſſe habeant horrendum illud: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Luc.* 16. Magnanimus iſthic bonorum terrenorum contemptus fuit primum illud lac, quo ab Apoſtolis ab initio recèns nata Eccleſia nutriebatur; unde primi fideles non modò nihil tanquam proprium poſſidebant, verùm etiam venditorum bonorum

rum pretium ante Apoſtolorum pedes deponebant, ut hac ratione indicarent, à veris Chriſtianis pecunias & opes generoſîs proculcari pedibûs, non verò, quemadmodum filii tenebrarum & cœcutientes mundi aſſeclæ ſolent, tanquam ſummum bonum adorari debere: *Afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Act.* 3. *v.* 5. Itaque totum malum, quod divitiæ in ſe continent, non in earum poſſeſſione ſolùm, ſed in amore poſitum eſt; multi enim ex intimis Dei amicis multas opes poſſederunt, nemo autem illorum aut æſtimavit unquam, aut amore dignas judicavit. Aliud eſt, venenum aſſervare in ciſta, aliud, illud in corde recondere: omnes pharmacopolæ ſuis in officinis habent rerum venenatarum ſpecies, quas eum in finem aſſervant, ut diverſa poſtmodum ex iis remedia conficiant; verùm væ illis! ſi vel uncia, immixta ſanguini eorundem, per venas circuiret. Neceſſarium proinde eſt, ex his duobus alterutrum eligere, aut relinquere divitias, ut Deo ſervias, quod eſt optimum; aut, ſiqui-

dem illas retinere volueris, easdem tam parvi æſtimare, ut nunquam ſive propter earum augmentum, ſive jacturam, etſi mundum lucrari univerſum valeres, ad offendendum Deum tuum te induci patiaris. Qui hoc modo dives eſt, illum haudquaquam tangit Divina maledictio; quemadmodum enim non omnes pauperes, ſed tantummodo pauperes ſpiritu beati pronuntiantur; hoc eſt illi, qui ex amore Dei pro nihilo æſtimant, bona temporalia poſſidere; ita terrifica illa Redemptoris noſtri maledictio haudquaquam ad omnes divites in genere pertinet, ſed ad illos ſolummodo, qui illius locô, quòd divitias in animæ ſuæ emolumentum uſurpent, eandem divitiarum mancipium efficiunt. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* 1. *Joan.* 2. *v.* 15. Hoc eſt mandatum, quod à Domino accepimus, nimirum, ut inordinatum ad bona temporalia affectum exuamus; non verò, ut nihil eorum poſſideamus. Verum eſt, haudquaquam ita facile eſſe, ut prima fronte videtur, inter iſtos ſeſe terminos continere; atque infauſtus illius juvenis, cu-

jus

jus ſupra meminimus, exitus jure merito non mediocri perſtringere timore deberet illos, qui multîs divitiîs affluunt, etiamſi ſinè culpa illas poſſideant; obſervârat ille in eam usque diem, rarô pietatis exemplô, integre Dei Legem, utì ex eo colligere licet, quòd Chriſtus Dominus eum oculo, amorem tam tenerum ſpirante, reſpexerit: *JEſus autem intuitus eum, dilexit eum. Marc.* 10. & tamen S. Chryſoſtomus damnatum eſſe exiſtimat, eò quòd divinæ vocationi, quæ ad omnia amore Dei relinquenda eum dirigebat, non correſponderit. Iſtud ſaltem indubitatum eſt, divitiarum, quas etiam ſinè peccato poſſidebat, multitudinem Salvatori noſtro motivum extitiſſe pronuntiandi terribilem illam ſententiam: *Facilius eſt, camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei. ib. v.* 25.

Verùm quid factu opus erit, inquies, ut generoſo contemptu bona præſentia abiiciamus, quæ mundus pene univerſus tantopere deſiderat, & æſtimat? optimus, meô quidem judiciô, eò pertingendi modus eſt, aliud, illúdque pretioſius

oſius bonum animo proponere. Quandoquidem, ſicuti homines, ubi ſemel frumentum invenerunt, facillimè glandes, quibûs, tanquam cibô electô, in eam usque diem ſe nutriverant, reliquerunt; ita pariter hominis animus, oblato bono meliore, facilî negotiô bona minora contemnit. Jam verò bona maxima & omnium pretioſiſſima ſunt bona gratiæ & gloriæ. Tota ſphæra perfectionum naturæ, nimirum ſcientiæ, pulchritudinis, divitiarum, ſanitatis, etiamſi in immenſum dilataretur, nihil aliud foret, quàm punctum unicum, ſi cum minima perfectione gratiæ conferretur. Interroga ex Matheſeos peritis quempiam, an ſuperficies in infinitum multiplicata ad efformandum corpus ſufficiat? reſpondebit protinus, quòd non. Ita omnino, ſi pretium omne poſſibile, quod in natura humana ſimul atque Angelica ſagaciſſimus quisque intellectus deprehenderit, in infinitum multiplicetur, ne unius quidem gradûs gratiæ divinæ pretium poterit adæquare. Gratia eſt donum, quo majus Deus elargiri mortalibus non poteſt; eſt repercuſſus Lucis Increatæ, quæ

Deus

Deus eſt, radius; eſt vera hominem inter, & Divinam Majeſtatem amicitia; eſt participatio quædam Divinitatis, vì cujus id, quod in Deo eſt per eſſentiam, tanquam accidens, noſtram animam exornat. Quodſi autem tanta eſt excellentia gratiæ, quæ tamen bonum tantummpdo eſt vitæ hujus mortalis; de excellentia gloriæ quid dicendum erit, quæ eſt bonum ſummum & infinitum vitæ immortalis? hoc ſolum dicamus, quandoquidem illa omnes noſtras cogitationes immensùm tranſcendit: Gloria Paradiſi tantum bonum eſt, quantum eſt ipſe Deus, qui contemplando ſeipſum ab æterno & infinitè Beatus extitit; &, ubi revelata facie ad illius aſpectum admiſſa fuerit anima, hanc ipſam pariter in æternum & infinitè beatam efficiet. Hujusmodi ſunt bona illa, quæ Chriſtiana fides nobis aperit, & promittit; & nihilominùs bonis temporalibus toto affectu inhiamus, quæ tamen viliſſimam tantùm bonorum creatorum partem conficiunt; illorum in gratiam jurgiîs & litibûs contendimus; illorum cauſâ inſana ſolicitudine animi juxta & corporis viros enerva-

enervamus; ex illorum cupidine æternam animæ noſtræ ſalutem in dubio collocamus. Imperatorum Japoniæ Primogeniti ita educantur, ut crebra ipſis admonitione inculcetur, ne ſuîs unquam pedibûs terram contingant, ſi mens eis ſit in illius imperii throno, tanta majeſtate præfulgente, quondam reſidere; & Chriſtiani, qui in Dei filios aſſumpti educantur, cum ſpe obtinendi ſedem perpetuam in Throno Divino, atque regnandi cum Deo in æternum inter omnes poſſibiles felicitates in Paradiſo; non modò affectuum ſuorum pedibûs terram contingunt, ſed oculorum tenus in eandem ſeſe immergunt; & bonorum ſuorum temporalium cœco amore abrepti, toti in terram abeunt! *Si terram amas, terra es*, ut Magnum inquit Africanæ Eccleſiæ Lumen, S. Augnſtinus: Imò eò deveniunt, ut non unâ duntaxat, ſed tribûs omnino vicibûs terra efficiantur, quemadmodum eos Jeremias Propheta appellat, cùm dicit: *Terra, terra, terra! audi ſermonem Domini. c. 22. v. 29.* & hoc quidem propter inſatiabilem cupiditatem, vî cujus hoc ferè

ferè ſolum curant in vita ſua, ut miſerabiles hujus mundi divitias acquirant, & poſſideant, earúmque jacturam non incurrant. Erige igitur, & de novo inflamma & fidem & ſpem tuam, atque ubi virtutum iſtarum ductu mundus alius, adeò divitiîs abundans, & tanta refertus beatitudine, tibi monſtratus fuerit, difficile non erit, totum illud, quod vides, totúmque illud, quod poſſidere in hac lacrymarum valle potes, inſtar ſtercoris contemnere: *Inenarrabile, quod credimus; immenſum eſt, quod ſperamus; non debet ergo vulgare eſſe, quod vivimus.* (*Sixtus* 3. *in Biblioth. P. P.*) Relinquamus rerum iſtarum æſtimationem infidelibus, quorum infelix, & denſiſſimîs errorum tenebrîs oppreſſus ad agnoſcenda majora erigere ſeſe animus non poteſt; nos verò, Chriſtianæ fidei lumine illuſtrati, diſcamus tandem aliquando, terram, utì promeretur, pedibûs proculcare: *Intra in lutum, & calca. Nah.* 3. *v.* 14.

Ultimum contra avaritiam remedium eſt, ut, poſtquam divitias generoſo pióque contemptu deſpeximus, eaſdem no-

bis

bis in perpetuum conservare studeamus, efficiendo nimirum, ut ad augendi supremi Numinis gloriam deserviant. Hoc est illud, quod Christus Dominus expressè suo in Evangelio nos docet, in quo, ubi dixerat, ut ne terrenis opibus cor apponeremus, utpote quæ ex seipsis defectuosæ sint, multísque pereundi discriminibus subjectæ, &, si non ab alio, certè ab universali illo latrone, nimirum morte, auferendæ: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur; & ubi fures effodiunt, & furantur. Matt. 9. v. 19.* statim subjungit, ut easdem in cœlo deponere studeamus, ubi in omnem æternitatem indemnes conservantur; modum insuper addit, quo istud dare effectui valeamus, si nempe pauperum manibus consignemus: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in cœlis. Luc. 12. v. 33.* Unum ex maximis beneficiis, quæ æterni Patris Filius, è cœlo in terram descendens, nobis contulit, fuit hoc, quòd infamem illum, quem vitium his ipsis bonis terrenis inusserat,

ferat, characterem eradicârit, cùm secretum quoddam nobis aperuerit, ita præsentes divitias usurpandi, ut ex veneno fiat remedium, & ex acerrimis salutis nostræ hostibus efficacissima evadant nostræ prædestinationis instrumenta; quando scilicet eas expendimus in Dei cultum mediante virtute religionis, vel in subsidium pauperum mediante eleemosyna. Et loquendo de hac posteriore, quæ divitibus debet esse familiarissima, considera, rem nullam existere, quam tanto cum rigore Deus à divitibus exigat, atque caritatem erga egenos; & similiter nihil esse, quod iisdem Deus cum majore liberalitate remuneretur, quàm hanc ipsam caritatem. Et quantum quidem ad primum attinet, non invenietis in toto Evangelio, quòd Christus Dominus in ulla alia materia significantiùs suam mentem aperuerit, velle se huic ipsi liberalitatis, atque justitiæ suæ effectus commensurare; misericordibus promittendo misericordiam; crudelibus verò severitatem intentando. *Quid potuit nobis majus Christus edicere? quomodo magis potuit misericordiæ nostræ opera provocare?*

vocare? inquit S.Cyprianus Lib. de Oper. & Eleem. Non ſolùm apertè ſe declarat Benigniſſimus Servator, quòd illud, quod in pauperes elargimur, tanquam perſonæ ſuæ propriæ oblatum velit acceptare, conſtituens illos tanquam Legatos, repræſentantes ſuam Majeſtatem, & tanquam creditores omnium obligationum, quibûs ei obſtringimur, ſed eò inſuper progreditur, ut totum genus humanum propter delictum iſtud fundamentale, crudelitatem ſcilicet erga indigentes, vocet in judicium; ut ita, cùm in hoc ipſo judicio nullam de blasphemiis, nullam de perjuriis, nullam de homicidiis, nullam de adulteriis & furtis faciat mentionem, ſed de eo ſolummodo, quòd ſuis in diſtribuenda eleemoſyna partibus defuerint, clarè intelligerent Chriſtiani, iſthunc defectum non minorem eſſe coram oculis Dei errorem, quàm omnia reliqua ſcelera, exe-crabilem. Et profectò ſi ſententiæ, contra divitem epulonem pronuntiatæ, motiva attentô animô conſiderares, videres, vel unicam, vel ſaltem primariam fuiſſe ipſius damnationis cauſam, quòd

ſeipſum

ſeipſum omnis generis deliciîs ſaginârit, è contrario autem in pauperculum crudelitatem exercuerit. Certè, ſi ſancto Evangelio negare fidem non velimus, fateamur oportet, quòd multi absque numero ad æterna ſupplicia abeant præcipites, quia debita in egenos caritate non utuntur; cùm ex ipſius ſupremi Judicis ore ſciamus, quòd iſtud delictum in tremendo illo extremi Judicii die reproborum multitudini palàm exprobaturus ſit, atque in eosdem ob hanc potiùs, quàm ullam aliam culpam æternæ damnationis ſententiam fulminaturus. Quapropter, ſi non omne in te extinctum eſt rationis lumen, ſi non plùs amare divitias, quàm æternam animæ tuæ ſalutem velis, ſolicitè tibi quoad hanc partem provide. Attende diligenter, ad quam ſummam aſcendant eleemoſynæ tuæ ad anni initium; præcipuè verò illîs annîs, quibûs ob ſterilitatem terræ majore pauperes penuria premuntur; & vide, an illud, quod in indigos diſtribuis, & horum neceſſitati, & redituum tuorum temporalium, quos Divina tibi Liberalitas conceſſit, multi-

tudini ſit proportionatum. Conſilium quoque boni confeſſarii exquire, ut eò certior exiſtas, te bene & perfectè hoc præceptum adimplere, cujus obſervatio tanti tuâ intereſt, quanti intereſt benignam olim coram Divino Tribunali ſententiam obtinere. Imò, ſatage etiam, ut obligationum tuarum terminos excedas, ut fortunatiſſimum Eleemoſynariorum referri in numerum merearis, quibus genus omne bonorum eſt promiſſum.

Profectò Deus extremo cum rigore à divitibus exigit, ut piô ſubſidiô pauperi ſubveniant, ſed tanta quoque cum liberalitate ſe illud, quod in eorum gratiam expenderint, iisdem redditurum promittit, ut determinare ſit planè difficile, cuinam ex utriſque, an ſcilicet huic liberalitati, an verò illi rigori primæ debeantur. Tota ſacra Scriptura hujusmodi promſsis plena eſt, cùm identidem in ea Dominus Deus omnipotentî Verbô ſuô certos eſſe jubeat, quòd benignos & liberales in egenos ab omni malo liberaturus, & omnibûs viciſſim bonîs ſit repleturus. Imprimis enim eosdem liberos fore à pau-

pertate pollicetur: *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit. Psalm.* 36. Filii illorum, qui continuò cum rerum penuria colluctantibus misericordiâ ducti compatiuntur, eorúmque indigentiam oblata stipe sublevant, copiosa benedictione à Rege cœlorum replebuntur. Præsens semper in persecutionibus, quibûs fortè exagitabuntur, auxilium spondet: *Eleemosyna super scutum Potentis, & super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit. Eccli.* 29. *v.* 16. Promittit insuper, quòd eos velit liberare à morte: *Eleemosyna à morte liberat. Tob.* 4. Et, postquam mortui fuerint, liberaturum se illos in divino judicio pollicetur: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Psal.* 40. Atque ut omnia paucìs complectar, nulla est miseria sive in hac vita, sive in futura, contra quam eleemosyna non sit remedium longè potentissimum: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eccli.* 29. *v.* 15. Simili prorsus ratione eleemosynam facientibus promittit omne

bonum; & primò quidem illis spondet bona temporalia, gravissimis verbis contestans, eum, qui pauperum necessitatem sublevet, nunquam eò deventurum, ut sublevari ab aliis necesse habeat, sicuti vicissim ille, qui pauperes contemnit, auxilium ipsius implorantes, eò redigetur, ut ad aliorum recurrere misericordiam, illorúmque adjuvari auxiliô compellatur: *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despiciet deprecantem, sustinebit penuriam. Prov.* 28. *v.* 27. Promittit quoque bona spiritualia gratiæ: *Qui sequitur misericordiam, inveniet vitam, justitiam & gloriam. Prov.* 21. *v.* 21. Et quod adhuc plus est, horum ipsorum bonorum etiam perseverantiam pollicetur, quæ est gratia omnium gratiarum maxima, beneficium maximum omnium beneficiorum: *Eleemosyna gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Eccli.* 17. *v.* 10. Promittit præteritorum peccatorum veniam, & præservationem à futuris: *Eleemosyna ab omni peccato liberat. Tob.* 4. Promittit denique in fine vitam æternam in Paradiso: *Eleemosyna est, quæ facit invenire misericordiam,*

&

& vitam æternam. Tob. 4. Cogita itaque, obſecro, an in terra reperire ſit ſtultitiam, quæ ſimilis exiſtat illi, qua avari divites inſaniunt, qui, cùm pauxillô pecuniæ omne genus bonorum temporalium juxta & æternorum poſſent ſibi comparare, eligunt potiùs, eſſe crudeles in ſemetipſos, ut ne miſericordes in pauperes exiſtant. Dicunt, aſſervare ſe ſuas divitias pro ſuis neceſſitatibus; ſed enim, quænam major neceſſitas, quàm ab omnibus tum hujus, tum alterius mundi malis ſe liberare, atque æternum in cœlo prœmium lucrari? Nobilis quidam, eò quòd S. Thereſiæ domum quandam ad fundandum Monaſterium donâſſet, moriens deinde poſt duos menſes, cùm confiteri non poſſet, perfectam à Deo contritionem, & quidem, ſi ipſius vita, quam eò usque vixerat, ſpectetur, planè prodigioſam, in prœmium & compenſationem accepit, atque ad gloriam emigravit ſempiternam. (*L. Fundationum c.* 15.) Militum aliquis, eò quòd S. Franciſco eleemoſynam dediſſet, admonitus ab eodem fuit, ut ſinè mora conſcientiæ arbitrum quæreret, at-

que peracta exhomologesi ad iter æternitatis se præpararet, quod, post brevem temporis lapsum repentina morte sublatus, esset ingressurus, uti revera etiam juxta S. Bonaventuræ testimonium evenit. Edic jam, ad quamnam necessitatem majorem his aliísque, quos afferre in medium possem, servire ipsorum divitiæ potuissent? hac profectò ratione pretiosum efficiebant illud, quod antea ne quidem hilum valuerat, simúlque in thesaurum perpetuum in cœlo permutârunt illud, quo paucos intra dies eos in hac terra haud dubiè mors spoliâsset. Agedum, paulò altiùs hæc omnia mentis tuæ oculîs considera, & non dubito, quin manifesta eorundem veritate convictus salubriora tandem statuas: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora invenies illum. Eccle.* 11. *v.* 1. Non multum temporis prætteribit, cùm tu quoque confiteberis, illud solummodo & fuisse, & esse tuum, quod in subsidium pauperum expendisti: *Hæc habeo, quæcunque dedi*, & totum illud, quod adhuc reliquum est, amissum à te esse in æternum.

LEC-

LECTIO VIII.

De impedimento, quod affert saluti durè cum proximo agendi ratio.

INter omnes Legislatores humanos ne quidem unicus reperitur, qui amorem proximi præceperit. Solus Deus extitit, qui amabilissimam hanc legem diligendi omnes homines homini præscripsit, & hoc quidem tanta cum energia, ut hanc dilectionem ipsi Sacrificio prætulerit: *Diligere proximum, sicut seipsum, majus est omnibûs holocautomatibûs & sacrificiîs. Marc.* 12. *v.* 33. Et ratio hujus erat; quia homo, corruptæ suæ naturæ pondere ad seipsum inclinatus, tantummodo seipsum diligit, parùm interea solicitus, an etiam alii diligantur; cùm tamen Deus, qui, pro suæ Bonitatis excessu, summo homines, tanquam suas creaturas, affectu prosequitur, in iis amandis non velit esse solus; sed exigat insuper, ut quilibet tanquam frater diligatur ab omnibus, atque ut totus mundus secum in eo conspiret, quòd unicui-

unicuique bene velit. Hæc lex amoris, lex ignis, sed cœlestis: *Ignea Lex. Deuter.* 33. *v.* 2. primis Christianis tanto erat in pretio, ut per hanc solam ab infidelibus sese distinguerent; unde omnes simul cor unum esse videbantur: *Cor unum. Act.* 4. *v.* 32. cui minutissima quævis divisio lethalis accidit. Nos autem ea vivimus tempora, de quibus lamentari cum Propheta debemus: quomodo obscuratum est hoc aurum caritatis! & quomodo suum splendorem mutavit communitas fidelium! *Quomodo obscuratum est aurum; mutatus est color optimus! Thren.* 4. *v.* 1. Proximus, tanquam extraneus, non verò ùt frater, respicitur; & ubi commodum proprium, atque naturalis propensio sua cum face non præcedit, omnium corda tum erga seipsa, tum erga alios intolerabili duritie congelata remanent, atque impietatis indicium manifestum ostendunt, quemadmodum Spiritus sanctus nos admonet: *Viscera impiorum crudelia. Prov.* 12. *v.* 10. Haudquaquam proinde facturum me abs re existimo, si vindicare vos ab hoc errore adeò funesto alla-

allaborem, oſtendendo vobis & illius damna, & remedia.

Tres Leges inſtituit Deus, & in quolibet ex his tribus mandavit, ut proximum diligamus, & hujus ipſius amoris ſemper ampliorem menſuram aſſignavit. Prima Lex, fuit lex naturæ, omnium cordibus inſcripta, & in hac pro caritatis menſura ſtatuebatur, ut ita tractemus proximum, utì tractari ab aliis nos ipſi deſideramus: *Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matt. 7. v.* 12. Secunda Lex, fuit ſcripta Lex Moyſis; & in iſta poſitum erat pro menſura caritatis, diligere proximum, ſicut ſeipſum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matt.* 22. *v.* 40. Tertia Lex eſt Lex gratiæ à Chriſto Domino promulgata, & in hac lege accrevit menſura caritatis absque menſura; cùm Verbum Incarnatum illi pro regula ipſúmmet ſuum amorem propoſuerit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut & ego dilexi vos. Joan.* 13. *v.* 34. Quamobrem, ſi usque adeò cordi eſt Deo amor proximi; ſi ſemper magis hujus

jus amoris fines dilatavit, & ſi in novo teſtamento ad ultimum usque terminum, atque ad usque *Nonplus ultra* eosdem extenderit, quantô, creditis, odiô tam communem inter Chriſtianos duritiem abominabitur? Iſtud profectò non eſt, habere in ſe ſpiritum JEſu Chriſti, qui totus ſuavitas eſt, & dulcedo: *Spiritus meus ſuper mel dulcis. Prov.* 24. *v.* 27. ſed eſt habere ſpiritum infidelium: *Spiritus Ægypti in viſceribus ejus. Iſa* 29. *v.* 3.

Atque ut magìs ad ſingularia veniamus, ergà trìa potiſſimùm, ùt ego quidem exiſtimo, hominum genera Chriſtiani ſuam hanc duritiem apertiùs oſtendunt; nimirum erga inferiores; erga pauperes; erga illos, à quibus offenduntur.

Primò itaque duri ſunt erga inferiores, & præcipuè quidem erga famulos ſuos; atque neceſſarium eſt, ut divinum illud Sapientis monitum ipſis in mentem revocetur, ne ſcilicet tanquam Leo, furore percitus, ſuis in ædibus commorentur: *Noli eſſe in domo tua quaſi Leo, evertens domeſticos tuos. Eccli.* 4. *v.* 35. Age jam, circa hoc punctum temetipſum examina

examina paululùm, tuámque, quam in tractandis famulis tuis tenes, methodum observa. S. Martinus adhucdum Catechumenus servum suum, ùt fratrem, humanissimè habuit. S. Carolus Borromæus, quando suam Diœcesin visitabat, ut famuli sui quietiùs dormirent, ad illos sub auroram excitandos ipsus se offerebat; & si fortè contingeret, ut eorum stationes ante tempus transiret, laneo suspensóque pede ambulabat, ne facto tumultu quietem interturbaret. Imò etiam famuli Naamani Idololatræ eundem suum Patrem appellabant, eò quòd ab eo,non ùt servi, sed ùt filii haberentur: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* 4. *Reg.* 5. *v.* 13. Atque ideo, quàm turpe, quàm indecens jam foret, si tu, qui Christiano nomine gloriaris, nobilitatis tuæ gloriam in eo positam esse putares, quòd & verbîs & factîs operarios tuos, famulórumque tuorum greges torqueas, in eosdémque majore, quàm in canes, aut equos, rabie desævias? Equis, si cursu fatigatos vides, quiescendi tempus designas, eorundem sanitati adhibi-

tîs

tîs opportunè remediîs, emiſſo è venis noxio, aut ſuperabundante ſanguine, ſolerter invigilas, ut conquiſitîs herbîs refrigerentur, & non niſi moderato labore onerentur, ſolicitè præcaves. O! quot famuli viverent contentiſſimi, ſi pari lenitate, ſi cum ſimili compaſſione à ſuis Dominis tractarentur! Centurio ille, de quo S. Evangelium meminit, tanto amore ſervum ſuum ægrotantem complectebatur, ut in perſona propria Redemptorem adîerit, & ſubmiſſiſſimîs precibûs, venire, & reddere illum ſanitati dignaretur, rogaverit, & ait ſacer Textus, quòd tanti eundem, atque pretioſum theſaurum æſtimârit: *Erat illi pretioſus. Luc. 7. v. 2.* Jam verò hodierno tempore inverſa eſt alea, & ex Dominis non pauci confeſtim illos ſuo è famulitio dimittunt, quos aliqua tentari ægritudine advertunt; & ubi antiqui Chriſtiani ægrotos etiam extraneos conquirebant, ut ſuas eosdem in ædes introducerent, iísque Chriſtiana caritate inſervirent; hodierni Chriſtiani etiam domeſticos ejiciunt. Ubi eſt caritas? ubi compaſſio? opprobria, injuriæ, dura

caſti-

caſtigatio; &, cùm Dominus Deus in antiqua Lege durè haberi vel ipſa mancipia prohibuerit: *Ne affligas eum per potentiam; mei enim ſervi ſunt. Lev. 25.* túne malè tractare Chriſtianum audebis, quem facilè in ultimo judicii die te ſuperiorem conſpicies, & mutatâ ſcenâ, aſſumptíſque veſtimentîs propriîs tu inferior, ille verò & Princeps & Rex exiſtet.

Major adhuc eſt crudelitas, quæ in pauperes exercetur, ſive compaſſionem animi, ſive manûs parcitatem attendamus. Et profectò, hic eſt ſpiritus mundi proprius, nemini, præterquam ſibi ſoli, compati, nihil niſi intereſſe proprium cordi habere. Ita divites illi, tam acerbè à Propheta reprehenſi, ad iſtud tantummodo curas convertebant, ut ſuperbîs conviviîs, mollibûs lectîs, vinîs pretiosîs, omníque unguentorum deliciarúmque genere ſuum corpus delicatè mollitérque haberetur; & propterea nullatenus unquam pauperculo compatiebantur: *Ingredientes pompaticè domum Iſraël, qui dormitis in lectis eburneis, & bibitis vinum in phyalis, affluentes deliciîs,*

ciis; & nihil patiebantur super contritione Joseph. Amos 6. v. 6. Quodsi videant, audiántve alienæ paupertatis miserias, impia illa, quæ olim fratricida Cainus effutîerat, verba illorum quoque ex ore sonant: *Numquid custos fratris mei ego sum? Gen. 4. v. 9.* si nihil habent; nihil habeant, per me licet; si rerum penuriam patiuntur, patiantur, per me licet; quis me ad ferendum ipsis auxilium obliget? numquid panem domesticis subtraham, ut extraneos sustentem? *Tollam panes meos*, ajebat quondam crudissimus Nabal: *tollam panes meos, & carnes, & pecora, & dabo viris, quos nescio, unde sint? 1. Reg. 25. 11.* Ita hodiedum non pauci non modò superbô superciliô, verùm etiam cum indignatione miseros aspiciunt, ac si diversi generis homines existerent, alióque forent, quàm ipsi, ex limo concreti: *Sicut abominatio est superbo humilitas; sic execratio divitis pauper. Eccli. 13. c. 24.* Leo, cæterà ferocissimum animal, oblatô pabulô satiatus, rabiem deponit, pacatúsque incedit; isti verò, quantò copiosiùs bonîs temporalibûs infarti sunt,

eò

eò truculentiùs ferociunt, nempe, quò remotiores à periculo in has miſerias labendi ſeſe exiſtimant, tantò minùs ad illis compatiendum inducunt animum, quos in easdem jam recidiſſe conſpiciunt.

Quodſi proinde tam durus eſt animus, quomodo poſſibile ſit, ut non manus quoque ſit tenaciſſima? Dicit Ariſtoteles, pinguiores minùs eſſe fœcundos, eò quòd omnem cibum in alimentum proprium convertant; id ipſum frequenter hîc quoque contingit, ut ditiores minus eleemoſynæ in pauperes diſtribuant, quàm illi, qui mediocris ſunt fortunæ; quia omnia in proprium augmentum convertunt, ac ſi ſoli propriè hanc terram incolerent; quemadmodum ipſis Propheta in faciem exprobrat: *Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? Iſa. 5. v. 4.* An mundum in veſtri tantummodo gratiam conditum eſſe arbitramini? Atque ideo, quis ſufficienter jam queat comprehendere, quantùm iſthæc durities Chriſtianæ Profeſſionis fundamento contrarietur? Et tamen in hâc ſola tota temporum noſtrorum perverſitas

ſitas non terminatur, in quibus, qui adeò durus, immitiſque eſt in pauperes, à quibus nihil unquam mali ſuſtinuit; quàm durus erga illos exiſtet, à quibus qualicunque demum injuria fuerit laceſſitus?

Si Chriſtianam communitatem luſtrare oculô volueritis, ejusmodi delicatîs hominibûs plenam deprehendetis, qui minimam quamvis injuriam graviſſimè ſentiunt, conceptámque iracundiam quàm diutiſſimè conſervant, & ob leviſſimum quodvis damnum ſuperabundantem ſatisfactionem depoſcunt. Memoriæ proditum eſt de infantulo quodam, quem natum fuiſſe ſinè oſſibus ajunt, & adeò tenerum, ut butyri inſtar mollis exiſteret; unde continuò, ne moreretur, in cubiculo, ubi continuus calor, retineri debebat; quamquam adhibitîs etiam hîsce induſtriîs vitam haberet florum, qui naſcuntur ſub auroram, ſub veſperum autem rurſum denaſcuntur. Ita prorſus ſe habent multi è Chriſtianis, qui, licèt hæredes ſint & nominis, & exemplorum Sanctorum illorum Martyrum, qui crudelitatem tormento-

mentorum & immanem carnificum ſuorum ferociam virili patientia fatigârunt, nihilominus ab illorum factis omnino degeneres, propter unicum verbulum, propter levem etiam jocum, propter unicum, qui fortè fortuitò proximi ore excidit, non nihil pungentem terminum, repentè injurioſa erga offendentem erumpunt in dicteria, atque confeſtim vindictam meditantur. Non loquimur hîc de illo hominum genere, qui præſtare obedientiam mundo, & negare eandem Evangelio ſibi gloriæ ducunt; ſed de illis jam loquimur, qui veros ſe eſſe Chriſtianos profitentur; atque inter hos etiam quàm paucos invenire eſt, qui, poſtquam nihil ſe velle reddere mali offendentibus affirmârunt, non licere ſibi arbitrentur, ſemper oblata quavis occaſione pro libitu eosdem reprehendere, gaudere eorundem infortuniîs, atque ad iſtorum aſpectum ſemetipſos conſolari dicendo, quòd ſui locô juſtam Divina Nemeſis ab illis vindictam popoſcerit? Et verò, dummodo illa iracundiæ flamma, quæ tam ſubitò faciléque illorum in cordibus exardeſcit, brevì ite-

rum & ardere, & emittere fumum desisteret! sed enim, non rarò evenire contrarium videmus; cùm tempus, quod eorum mederi indignationi deberet, eandem magìs exasperet, iráque vertatur in odium, quod ira quædam est inveterata. Divina Clementia vestrum animum custodiat, ut ne unquam simili passione arrodatur, eò quòd, sicuti ille, cui unquam crocodilus suos dentes infixit, fortè nunquam sanitatem recuperabit: *Quod dentibûs laceravit, nunquam sanatur.* (*Plin.*) isthæc aversio semper cum iis vivet, & non morietur, ne quidem, quando ipsi mortui fuerint; quia eandem filiis suis & consanguineis pro hæreditate relinquent; ita, ut etiam ipsi cum indurato corde in alterum mundum sint migraturi: *Descenderunt in profundum quasi lapis. Exod.* 15.

Damnum, quod affert Saluti isthæc durities.

Damnum istud manifestè apparebit, si irrefragabilem quandam Evangelii veritatem exponamus; quæ non est alia, quàm quòd mensura nostræ misericor-

diæ erga proximum, futura ſit menſura miſericordiæ Dèi erga nos ipſos. In omnibus aliis virtutibus ſe nobis Deus tanquam ideam proponit, & graviſſimîs verbîs nobis inculcat: *Eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum. Levit.* 19. *v.* 2. Et Incarnata Sapientia magno quoque verborum pondere nos adhortatur *Matt.* 11. *v.* 19. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* At verò ubi de miſericordia agitur, invertitur hic ordo, ùt ait S. Petrus Chryſologus, nósque ipſos Deus vult eſſe quaſi prototypon, noſtræque miſericordiæ ſuam conformare: *Ordo invertitur, ut Deus facta noſtra imitetur.* Quapropter, mi Chriſtiane, pergit dicere Vir ſanctus, tu ipse tibi menſura poſitus es Divinæ in te miſericordiæ: *Homo, tu tibi Miſericordiæ factus es menſura;* & quantam deſideras, ut in te Deus miſericordiam operetur, tanta tu modò pietate in proximos utere, & eſto ſecurus: *Quantum quæris Miſericordiæ, fac tantum; ineſt iudulgentiæ jus; tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus.* Dubitas forſitan, an non, per nimiam hæc dicta eſſe auxeſin, credere quis poſſit? ſed

mentem adverte, & facilè ſacri Evangelii Codex omne tibi dubium eximet: *Dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis; eâdem quippe menſurâ, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Luc. 6. v. 38.* Quibûsnam terminîs magìs ſignificantibûs verba ſua Divina roborare amabiliſſimus Redemptor potuiſſet? quibûsnam vocibûs magìs expreſsîs iſtam nobis manifeſtare veritatem valuiſſet? Jgnoſcite, inquit Divinus Magiſter, veniam date perſequentibus vos; & viciſſim ego veſtra vobis debita condonabo; extendite manus ad ſublevandam proximi miſeriam, atque ad avertendam veſtram ego meas extendam, & certi eſtote, Divinam meam Providentiam firmiſſimè ſtatuiſſe in gubernandis hominibus eum in modum procedere, quem illi inter ſemetipſos obſervârint. Quapropter quid facere Deum exiſtimatis, quando permittit, ut aliquâ vos quispiam injuriâ laceſſat? Summum vobis beneficium confert; quia ſuæ gratiæ clavim veſtris manibus offert, & dicit: accipe tantum de meo, quantum dare vis de tuo; & remiſſio debiti à te conceſſa

tuo

tuo proximo, ſit remiſſio debitorum tibi facta à tuo Domino. Et tu interea in lamenta erumpis, in iras & furores exſurgis, & acceptæ injuriæ gravitatem exaggeras, illius locô, quòd ad tuam ignorantiam animum reflectas, dicásque: *Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Pſalm.* 48. Cur mœſtus ingredior propter injurias, quibus affectus ſum, aut adhucdum afficior ab adverſario meo? ſi bono pacatóque animo condonavero, numquid ſecurus ſum, quòd mea mihi peccata Deus ſit dimiſſurus? Ita planè eſt; & tamen illius locô, quòd optatiſſimam hanc occaſionem arripias, atque Divinæ Miſericordiæ ærarium ingrediaris, precioſiſſimóſque exinde theſauros depromas, inſana phreneſi, clavem, quæ ad hos tibi januam aperiret, abjicis. Verùm ne hîc quidem tuæ dementiæ finis; ſed inſuper, dum Divinæ tibímet pietatis portam obſeras, alteram illam diſtrictæ juſtitiæ aperis, & provocato exinde ſcelerum tuorum Judice, illorum debitorum memoriam renovas, quæ haud dubiè, ſi tua inſania abſuiſſet, perpetuò in oblivionis

profundo jacuissent. Jam verò, an inimicorum aliquis tibi majus inferre damnum valeret, cùm totus infernus, tuam in perniciem emissus, tam magnô te afficere malô non posset? Quid juvat, si tuas plagas obliges dicendo, nihil te mali tuo adversário optare, sed ei tantummodo loqui non velle? Bene habet: ecce! Deus tibi paria rependit, non loqui vult ampliùs ad cor tuum, nec tuis precibus respondere: *Deus constituit tibi regulam in debitore tuo; quod facies, ipse faciet*: ponderosè ait S. Augustinus, *Serm.* 15. *de Verbis Domini.* Sed enim, ingratus est mihi, reponis, infamis, & haudquaquam talis, qui veniam plenam mereatur; verùm & tu quoque à Deo ingratus dicéris, indignúsque, cui plenam debitorum remissionem largiatur. Si ignosco illi, si amicîs eundem oculîs intuear, perget ille inimicos nutrire spiritus, & impactâ de novo injuriâ vulnus vulneri superaddet. Ita pariter dicet Dominus: si veniam ei concedo, si beneficia confero, mea bonitate, meis beneficiis, tanquam mali incentivo, ad relapsum abutetur. Est intolerabilis,

non

non possum ampliùs, non possum. Id ipsum Deus quoque dicet, & jure quidem longè æquiore, atque ob rationes infinities graviores: *Non poterat ultrà portare Dominus.* Jnterim commendabis te Deo tuo, & ille suas aures occludet, ut tua suspiria non audiat; confiteberis, sed confessio tua ad confirmanda tua peccata, non verò abolenda deserviet; absolvéris à sacerdote, qui cordis tui arcana non introspicit; haudquaquam autem supremus te pariter Judex absolvet: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccatum illius servans servabit. Eccli. 28. v. 11.* Ut quid igitur tot replicas? ùt quid tot rationes? ùt quid tot difficultates? vultísne Dei misericordiam? si non velitis, exaudiemini. Quodsi autem anhelô eandem animô suspiretis, proximo vestro cordis penetralia panditote, matrísque instar cum illo agite, quæ filiorum suorum defectus abscondit, excusat, iisdémque animum addit, factas molestias obliviscitur, bonum pro malo rependit: *Te judicem facit Deus in condonatione tuorum criminum; si præter veniam da-*

tam etiam eum pro amico habebis, eodem modo Deus erga te afficietur : Ita vobis, sacrosanctâ Evangelii doctrinâ subnixus, S. Joannes Chrysostomus promittit.

Postquam hanc Divinæ Misericordiæ regulam applicâstis vestræ misericordiæ erga illos, qui vos offendunt, eandem jam applicate vestræ misericordiæ erga egenos, quandoquidem Deus eandem utriusque habet rationem : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ut nec avertatur à te facies Domini. Tob. 4. v. 7.* Spiritus sanctus est, qui hîc loquitur : non præcipit, ut omni pauperi eleemosynam porrigatis ; fieri namque potest, ut vestra vobis fortuna non permittat, ut toties manum vestram aperiatis ; sed jubet, ut eorum miseriis benevolo affectu compatiamini, ut benignô eosdem oculô aspiciatis, ut saltem verbîs, promptum ad ferendas suppetias animum spirantibûs, eis solatium aspergatis, & Deus hanc vobis caritatem compensabit, sed cum fœnore, ipsius immensæ liberalitati conveniente ; cùm ibi esse avaritia non queat, ubi egestas esse

non

non poteſt : *Qui miſeretur pauperis, beatus erit. Prov. 4. v. 21.*

Denique hanc ipſam regulam cuilibet proximo applicate, quem ſi benignè habueritis, benignè vos quoque benigniſſimum Numen habebit: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Luc. 6. v.* 36. apertè vobis dicit Judex veſter Divinus. Sicuti è contrario, ſi erga proximum veſtrum rigore utemini, nihil quoque ab ipſo hoc Judice, niſi rigorem, exſpectate; ab æterno quippe Decretorum Divinorum adamanti inciſum eſt, illum absque miſericordia judicatum iri, qui miſericors in proximos non extiterit: *Judicium ſinè miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam. Jac. 2. v. 13.*

Remedium ad tollendam hanc duritiem.

Primum hîc remèdium, ſicuti alibi, eſt devota Oratio, qua ſupplices ad Deum recurratis, ut cor veſtrum emolliat, debitámque erga proximos caritatem ei inſtillet. Nullum eſt tam clarum æternæ prædeſtinationis ſignum, quàm iſthæc

hæc teneritudo caritatis. Omnes prædeſtinati à propheta filii olei nuncupantur: *Filii olei. Zach.* 4. *v.* 14. nempe propter illam compaſſionem, propter illam benevolentiam, propter illam benignitatem, quam in ſeipſis conſervant, & ſuo tempore erga aliorum miſerias commonſtrant. E contrario illa cordis durities tum in verbis, tum in vultu oſtenſa, & mundi aſſeclis adeò propria, character quidam eſt oppidò manifeſtus æternæ reprobationis: *Cor durum habebit malè in noviſſimo. Eccli.* 3. *c.*27. Vos proinde, ſi in votis vobis eſt, veſtram ſalutem in tuto reponere, inſtanter ad Divinam Clementiam ſuſpirate, ut amoto corde ſaxeo, cor vobis carneum largiatur, illáque teneritudine veſtra miteſcere viſcera faciat, quæ ipſius Electos à reprobis diſtinguit: *Induite vos, ſicuti electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam; ſupportantes invicem & donantes vobismet ipſis, ſi quis adverſùs aliquem habet querelam. Col.* 3. *v.* 12.

Secundum remedium eſt, proximi inſiſtere pedibus, ùt ſolemus dicere: *Intellige,*

*lige, quæ ſunt proximi tui, ex te ipſo. Eccli.*31.*v.*18. Conſidera itaque, quòd, ſicuti tu modò Dominus es, & illi famuli; tu dives, & illi pauperculi; ita viciſſim fieri potuiſſet, ut illi divitiîs abundarent, te interim cum paupertate luctante; ut illi hunc ipſum, quem tu modò tenes, dignitatis gradum occuparent, te interim ad abjectam famulorum conditionem depreſsô; & ſiquidem ita contigiſſet, qua ratione, obſecrò, tractari ab aliis deſiderares? an elatô ſuperciliô, & reprehenſionibûs, an dira tyrannide ac repulſa; an verò omni genere beneficentiæ & caritatis? Quam igitur ob rationem non tu quoque exinde cum proximo agendi methodum arripis, quam non modò Chriſtiana fides, ſed vel ipſa etiam natura te docet?

Tertium remedium erit, quod ſequitur. Omnibus nobis in ſacro Baptiſmate donum omnino inſigne Divina Bonitas largitur, cùm animæ noſtræ habitus trium virtutum Theologicarum infundit, fidei, ſpei, caritatis, vî quorum facilè has ipſas virtutes Divinas valeamus exercere: verùm potior Chriſtianornum

pars

pars hæc talenta otiosa retinet, & quandoque sub tanto vitiorum cumulo sepelit, ut in medio tam grandis thesauri paupertate marcescat: *Thesaurus invisus, quæ utilitas? Eccli.* 41. *v.* 17. Assuesce jam tam grande hoc capitale rite impendere, & præcipuè quidem in finem illum, quem in præsentiarum intentô digitô monstramus, quíque non est alius, quàm bene tractare proximum; quod ut fiat, primò fidem applica. Fides te docebit in proximis tuis, & quidem in pauperibus longè vivacissimè Christum JEsum intueri. Duo hominum genera amabilissimus Redemptor reliquit, qui suam in mundo personam repræsentarent, superiores nimirum, & pauperes. De superioribus dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Luc.* 10. *v.* 16. Similî modô de pauperibus suam mentem aperuit, atque edixit, tam bonum illud, quàm malum, quo egeni afficiuntur, haudquaquam in istis subsistere, sed in propriam suam personam redundare: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth.* 25. *v.* 40. Jam, ut Deum in superioribus agnoscamus,

mus, sufficit fides communis; at verò, ut Deum in pauperibus intueamur, fides selecta requiritur, quæ è transverso illos centones penetret, quibûs involuti ingrediuntur, atq; sub iisdem latentem Numinis Majestatem exhibeat: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem. Psal.* 40. Hæc fides effecit, ut Robertus Franciæ Rex, quocunque sive equo, sive curru vectus proficisceretur, mille semper pauperibûs stipatus, eosdem suam custodiam appellaret. Hæc fides in causa fuit, quòd Joannes, Alexandriæ Patriarcha, medicos, suos Dominos, nuncupârit. Hæc fides eò deduxit S. Margaritam, & S. Hedvvigem, hanc Poloniæ, illam Scotiæ Reginam, ut prostratæ in genua illis inservirent, pedum sordes abluerent, & putidis eorundem vulneribus heroicum osculum infigerent. Hæc fides S. Paulinum, S. Serapionem, S. Petrum Telonarium eò permovit, ut seipsos in mancipia divenderent, quò per se totos, & modô omnî possibilî proximorum necessitatibus succurrerent: & hæc fides, quia usque adeò defecit nostrîs temporibûs, ideó plerúm-

plerumque pauperes sinè subsidio, sinè solatio destituuntur.

Secundò applica spem. Aut renuntiemus S. Baptismo, necessum est, & fidem divinis promissionibus denegemus, aut extremam nostram dementiam fateamur, oportet, quòd, cùm proximis misericordiam exhibendo adeò facilî negotiô æternam consequi salutem possemus, hoc ipsum tamèn exequi negligamus, nostri potiùs, quàm aliorum inimici. Finge parumper animô, Divinam Bonitatem nitidam, & cui nihil adhucdum inscriptum sit, chartam de cœlo tibi porrigere, ac dicere: scribe, & nota in hoc folio, quidquid à me boni desideras, sive deinde animam illud, sive corpus concernat; & fidem meam divinam oppignoro, quòd concessurus sim certissimè, quantumcunque in illa petîeris, dummodo animæ tuæ saluti non adversetur. Quid boni, amabo, cœlesti huic foliò inscripturus esses? Ecce autem! nullósne pauperes & nudos tua in regione agnoscis? nullos famelicos, infirmos, captivos, ignorantes, ingratos præ oculis habes? omnes isti sunt quædam charta,

charta, cui inſcribere debes bonum illud, quod impetrare à Deo deſideras, ſublevando indigentiam, compatiendo eorundem miſeriis; illos viſitando atque inſtruendo, tuam pro ipſis fidem oppignorando, greſſus, verba, & quidquid ex opibus ſuperfluum eſt, in illorum emolumenta convertendo: & tu, fatali ſopore ligatus, noxias hîc moras nectis, atque occaſionem ad colligendos tibi theſauros perpetuos adeò opportunam tranſire absque fructu permittis? Putásne, te quidquam damni paſſurum, aut redigendum ad incitas, ſi pauxillum terræ expendas, ut totum cœlum acquiras? nimiúmne tibi videtur, pauculos nummos erogare, ut regnum tibi ſempiternum compares? an non ſatis compenſatum eſſe arbitraris panis tui fruſtulum poſſeſſione bonorum omnium, quæ vel ipſe Deus poſſidet? num te magni quidpiam præſtare pauperi exiſtimas, cùm dare eidem eleemoſynam propriè nihil ſit aliud, quàm dare illam tibimetipſi? Audi conſilium S. Petri Chryſologi planè divinum, qui ita dicit: *Da pauperi terram, ut accipias cœlum?*

lum? da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi. Serm. 8. Agedum igitur, ambabûs, ùt dicere solemus, manibûs tam salubre consilium prehende; omnî studiô satage, ut tantum benevolentiæ atque auxilii proximo tuo exhibeas, quantum tui tibi conditio statûs permittit; assiste iis, atque eorundem operam tuô subsidiô suffulci, qui proximorum tuorum promovere commoda per Missiones sacras, aut alia pietatis exercitia contendunt; & si aliter non potes, saltem è longinquo tuîs orationibûs illos adjuva, quibus ferre auxilium præsentibus non potes, & si aliquando supremum ad Tribunal vocatus fueris, Divináque Justitia debitorum tuorum solutionem expoposcerit, illa exhibe, quæ pauperibus distribuisti, & salvus eris: *Esto misericors, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm Mater. Eccle. 4. v. 11.* Nisi Scriptura Divina intereat, tua perire causa non potest.

Ultimò tandem caritatem applica. Ex omnibus tuis propositis ad salvandam

dam animam primum ſit, oportet, amare Deum ſuper omnia bona, æſtimare ſuper omnia bona Divinam ipſius amicitiam; ſummóque ſtudiô ſanctiſſimam ipſius Legem obſervare, ut ipſi placeas. Ex omnibus mandatis Divinis hoc eſt primum, vita & meritum omnium reliquorum, & ſi huic quispiam obedientiam non præſtet, melius foret, ſi non eſſet, & nunquam fuiſſet in hoc mundo: *Maximum ac primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum &c.* Si firma igitur tibi voluntas ineſt Deum amandi; hoc ipſo etiam fixum ratúmque ſit, amare proximum; duo namque iſthæc præcepta ſeparari ſe nunquam patiuntur; duo rami ſunt, ſed qui ex una eadémque radice aſſurgunt; ſunt duo rivi, ſed qui ex uno eodémque fonte deſcendunt; duo ſunt actus, ſed qui procedunt ex uno eodémque habitu, ex uno eodémque motivo caritatis, quæ amat Deum propter ſeipſum, & amat proximum ex amore Dei. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* 1. *Joan.* 4. Fidelis ſponſa non ſuum tantummodo ſponſum diligit,

git, ſed pariter illud diligit, quod ad ipſum pertinet; amat ipſius famulos, amat ipſius bona, & vel ad ſolum imaginis ipſius aſpectum amore langueſcit. Ita omnino anima, ſi fidelis eſt in amando Deo ſuo, amat cum ipſo omnia, quæ ipſius ſunt, & ſpeciali affectûs teneritudine in proximum afficitur, quia eum conſiderat, non ſolùm tanquam opus Divinarum ipſius manuum, ſed inſuper etiam tanquam expreſſam ſui Creatoris imaginem, tanquam inſignem glorioſi ſui Redemptoris prædam, tanquam ſpeculum animatum, ex quo Divinæ Majeſtati gloria per omnia ſecula duratura ſuccreſcet.

Quare, ut totum id, quod hactenus in hoc ultimo remedio diximus, ad praxin deducamus: quandocunque tibi juvandi proximum tuum occaſio offertur, apprehende illam tanquam theſaurum, atque in fratrem tuum intuens, ecce! dic tibimetipſi, ecce! Vicarium Chriſti Domini, Locum tenentem Ipſius Majeſtatis, Ejusdem Actorem, Perſonam, cui ceſſit Deus omnes obligationes, quibûs me obſtrictum ſibi habet Divina Juſtitia pro-

propter mea peccata; & omnes obligationes, quibûs obſtringor Divinæ Miſericordiæ propter infinita beneficia, quæ aut hucusque jam præſtitit, aut præſtanda mihi in perpetuum deſignavit. Deinde, ut altiùs adhuc ſuccenſi ardoris flamma exardeſcat, in mentem revoca magnifica Dei promiſſa ad illum ſpectantia, qui fratres ſuos dilexerit; ſiquidem bonum non eſt, nec in terra, nec in cœlo, nec in tempore, nec in æternitate, quod Deus miſericordibus non promiſerit. Præ omnibus autem operationes tuas, in commodum aliorum ponendas, Divini amoris exercitiô anima; gaude ex animo, quòd Deo tuo ſerviendi in proximo, placendi tuo Creatori, ipſius in miſericordiam propenſiſſimo genio opere miſericordiæ obviandi, Divinúmque ejusdem guſtum oblectandi nactus ſis occaſionem; hac ratione nihil parvum, nihil vile in actionibus tuis apparebit, cùm iisdem pretium additurus ſis immenſum hîs tribûs virtutibûs, fide ſcilicet, ſpe, & caritate, quæ uniunt nos Deo, ſanctam efficiunt animam noſtram, atque in hac terra ad vitam illam longè

fortunatissimam nos disponunt, quæ nunquam mortem videbit in cœlo, ubi omnes nos invicem amaturi sumus sinè fine, ubi omnes erimus cor unum & anima una in omnia secula.

LECTIO IX.

De Impedimento, quod affert saluti exiguus DEI timor.

NAvis onere simul, & velo instructa sit, necessum est; hôc quidem, ut eò promptiùs suo in itinere promoveatur; illo verò, ne, ventorum impetu subversa, aquarum procellîs hauriatur. Ita omnino se res habet cum anima nostra: spe opus habet, ut progrediatur; spes namque initium est fortitudinis, ad Christianè vivendum adeò necessariæ; at non minùs timore instructa sit, oportet; utpote qui solus tantis in discriminibus reddere securam possit: *Qui cavet laqueos, securus erit. Prov.* 11. *v.* 15. Quàm igitur præposteram dicam illorum navigandi artem, qui peccatis immersi cùm sint, soli spei anchoræ confisi emersuros se

ſe confidunt, nulla timoris Domini habita ratione ? Ignorant profectò, quod Sancti omnes adeò probè intellexerunt, mali nimirum hòc eſſe inventum dœmonis, qui venatorum fraudes imitatur, tutáque illis omnia tam diu promittit, dum, veluti feras, ſubdolè circumventos in mortem inducat: *Immittit ſecuritatem, ut immittat perditionem.* Quid mirum igitur, tam multos naufragari quotidie, nunc quidem incurrendo culpam; paulò pòſt autem, niſi timere Dominum didicerint, pœnam ſempiternam ? Atque ideo, ſi impedimenti hujus, nimiæ inquam præfidentiæ, mala detegamus, quò aptîs in tempore remediîs ei occurramus, operæ nos pretium facturos exiſtimo.

Duæ autem hîc timoris ſpecies diſtingui poſſunt. Alius enim timor eſt, qui ex ſpe naſcitur, dum culpa ex metu pœnæ devitatur; alius, quem caritas generat, cùm culpa propter ſeipſam, & pœna, non niſi culpæ intuitu, odio habetur. Primus timor incipientium, ſecundus perfectorum eſt proprius. Mihi hîc propoſitum non eſt de hoc ſecundo,

ſed de primo illo, imò de eo potiùs timore loqui, qui mixtus quodammodo ex utroque, magìs tamen ad primum accedit, & initialis appellatur.

Hoc jam poſito, qui orbis, qualis hodie eſt, Chriſtianì faciem penitius nonnihil mentis ſuæ oculîs intuetur, ſecúmque perpendit, quàm exiguum & pene nullum reperire ſit timorem Domini, quî fieri poterit, ut, niſi ratione omni, aut fide ſit deſtitutus, toto animo non cohorreſcat, cùm tantam ubique liberrimè peccandi licentiam videat, ac ſi Deo ad punienda crimina nec facultas, nec brachium ſuppeteret? numquid iìs ſe vivere temporibûs ſibi videbitur, quæ jam dudum deteſtatus eſt Huſſæus Princeps, dum ita conqueritur: *Quaſi nihil poſſet facere Omnipotens, æſtimabant eum. Job. 22. v. 17.* Probrum! heu! Regi Scenico quantò plus honoris exhibetur, quàm cœli terræque Domino Immortali! & quantò minore libertate viliſſimum quemvis ſervulum offendere ſuſtineret quiſpiam, quàm qua hodie Deus Dominantium Dominus impetitur! Hoc ſaltem certiſſimum eſt, ſi viliſſimus quis-

quispiam in hoc orbe homuncio offendatur, non eo illum ex capite offendi, quia bonus eſt; ſolus Deus tam præfractâ audaciâ offenditur, quia ex infinita ſua Bonitate veniam largitur; & ideo tantum eorum invenire eſt numerum, qui modîs eundem adeò indignîs tractare non ſubverentur, quia Optimum, & ſi injuriîs afficitur, ad dandam veniam promptiſſimum ſibi imaginantur. Quid curat pars major mortalium, etiam Chriſtianorum, faventémne ſibi ſuis in negotiis Deum habeant, an adverſantem? & quæ tandem in plerisque magni timoris indicia notantur, ſi graviſſimîs Deum injuriîs ad juſtam iracundiam provocârint? ridetur, ùt priùs; pacatè, quietéque ſomnus capitur, ut priùs; & nihil, quàm antea, minùs genio indulgetur. Crudeles illos Joſephi Ægyptiaci fratres imitantur homines hujusmodi, qui (ut Gen. 37. legere eſt) inſtigante invidia demiſsô in puteum, ut inibi fame periret, innocentî fraterculô, ad eundem puteum conſedêre, &, quaſi nihil mali feciſſent, jucundîs ſeſe epulîs refecerunt. Aſſero ego, falſam iſthanc ſecuritatem, temera-

riam hanc jucuditatem causam, si non unicam, certè esse præcipuam, ob quam tanta Christianorum multitudo inferorum flammis adjudicetur: id quod pluribûs, clariúsque demonstratum eo.

Damnum, quod oritur ex tali timoris Domini defectu.

Damna, quibûs pessima hæc securitas animas afficit, ad duo præcipuè capita reducuntur: Qui peccator est, nisi timorem Domini didicerit, peccata non deseret. Qui justus est, absque timore sua in justitia non perseverabit. An plura dici valeant, & quæ fortiùs ad hujus vitii detestationem te permoveant, quàm si dicatur, illud æternæ tuæ salutis & principio, & progressui, & complemento è diametro opponi?

Igitur incauta hæc securitas salutis principio adversatur; quippe, qui peccator est, sinè isthoc timore peccator esse non desinet, Spiritu S. apertè pronuntiante: *Qui sinè timore est, non poterit justificari. Eccli.* 1. *v.* 28. id, quod & ratio manifesta confirmat; agite enim, quo ex fonte hunc scaturire timoris defectum ex-

existimatis? Si S. Thomæ credimus (2.2. Q. 126. a. 1.) ex superbia simul, & stultitia nascitur. Prima enim malè securos, nihílque sibi metuentes usque adeò excœcat, ut infernum haudquaquam pro se esse paratum existiment; æstimant semetipsos in corde suo, tanquam rem nescio, cujus tandem pretii, atque adeò persuadere sibi nullatenus possunt, Deum ad personæ suæ dignitatem nihil attendere, &, tametsi intentata severitate in alios utatur, in se quoque admissos excessus æquali rigore vindicare: quisque felicissimum illum se fore autumat, cui soli ex profligata acie superstiti recurrere domum, & nuntiare stragem licebit: *Tanquam qui evaserit in die belli. Eccli.* 40. Et etiamsi jam quasi penitus in stygii illius Leonis faucibus hæreant, quietè inibi, & absque ullo timoris motu morantur, quasi certi existerent, inde se absque ullo damno evasuros: *Quomodo si eruat Pastor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ. Amos* 3.*v.*12. Jam verò, quænam dispositio reperiri queat, gratiæ divinæ magìs contraria, sinè qua tamen impossibile

ſibile eſt ſalutis noſtræ opus inchoare? *Qui præſumit*, inquit Tertullianus, *ſuperbit: præſumptio inverecundiæ portio eſt.* (*de cultu fœm.*) Et hi montes, ſuperbè capita attollentes, fœcundandos ſe credant à cœleſti liquore illius gratiæ, quæ non niſi humiles ſeſe demittentium valles irrigare conſuevit? Non ſunt, mihi credite, non ſunt iſti, quos benevolô Deus oculô reſpicit; audite enim: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & trementem ſermones meos? Iſa. 66. v. 2.*

Sed dementia quoque impedit, quò minùs ad converſionem diſpoſiti ſint hujusmodi peccatores adeò temerarii. Stupidi ſunt illorum populorum inſtar, de quibus ait Ariſtoteles (3. Eth. 7.) quòd propter ſuam ſtultitiam nihil, ne quidem cadentia de cœlo fulmina, pertimeſcant: *Propter ſtultitiam nihil timent.* Ita iſti imperterritô animô omnibus Divinæ Juſtitiæ fulminibus temerè obviàm procedunt; Divina illa, quæ abyſſus ſunt inſcrutabilis, judicia non metuunt; ad terrifica, quæ indies Divinam Juſtitiam expoſcere à peccatoribus conſpiciunt, ſupplicia immoti penitus, ac

ac si innocentissimi forent, subsistunt; atque hæc omnia ob defectum sensus & considerationis: *Sunt impii*, ait Dominus per os Regis sapientissimi: *sunt impii, quia ita securi sunt, quasi justorum facta habeant, sed & hoc vanissimum esse judico. Eccle. 8. v. 14.* Qua igitur ratione à via sua mala converti ad Dominum poterunt insensati hujusmodi, cùm Divina Clementia ad convertendos peccatores alio communiter medio uti non soleat, quàm ut salubri horrore illorum corda concutiat, propinquæ mortis horam terribilem, rigorem Divini Judicii, pœnarum infernalium æternitatem, aliásque hujusmodi veritates ob oculos ponendô, quæ solæ hactenus induratos antea pœnitentium omnium animos ad saniora consilia, ad salutis semitam reduxerunt? *Timore vocamur*, ait S. Bernardus, *amore justificamur.* Vidistíne aliquando, quid fieri soleat, si Princeps aliquis solemni cum pompa quoddam templum ingreditur? priusquam ille ex Aula sua moveat, præcurrit, qui illo ipso in templo pretiosum subsellium præparet; atque hoc indicium est, ex quo brevì

ven-

venturum Principem omnes concludunt; ſecus ſi accidat, ſi priùs ejusmodi famulus templum non ſubeat, nemo quisquam è populo invenitur, qui venturum Principem ſibi perſuadeat. Ecce! hoc ipſum in caſu noſtro contingit, timor præcedit amorem juſtitiæ, ùt Dominum ſervus: *Timor præcedit, ſequitur juſtificatio*; verba ſunt Doctoris Melliflui. Pro indubitato proinde habeto, haud quaquam priùs cordi peccatoris ſolem oriturum juſtitiæ, quàm timoris aurora præceſſerit. Ita S. Auguſtinus in iis obſervat, qui ſuo tempore abjuratâ idololatriâ ad fidem Chriſtianam tranſierunt, rariſſimè, imò nunquam contigiſſe, ut alio motivo, quàm Dei timore moverentur: *Rariſſimè accidit, imò verò numquam, ut quisquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* (*Tr.* 9. *in. Joan.*) ut adeò jure meritiſſimo timor & gratia duo gemelli queant appellari: *Timor Domini cum fidelibus in vulva concreatus eſt. prov.* 28. Quodſi tamen credere præſumpſeris, incipere absque timore te poſſe æternæ tuæ ſalutis opus; quo

tandem

tandem fundamento persuadere tibi poteris, te perseverantem futurum, atque illud ipsum salutis opus, timore destitutum, ad perfectionem deducturum? plurimùm certè & fides repugnat & ratio. Quodsi enim timor Domini fundamentum est totius spiritualis ædificii: *Initium Sapientiæ timor Domini. Eccl.* 1. *v.* 16. manifestum profectò est, sinè illo excelsæ hujus fabricæ non solùm prima poni fundamenta, sed promoveri quoque, & necessaria ad perseverantiam solidari firmitudine non posse. Atque inde est, quòd, postquam sapiens timorem initium sapientiæ vocavit, eundem paulò pòst coronam appellet: *Corona sapientiæ timor Domini. Eccli.* 22. Timor quippe ad omnia utilis est, dat principium virtutibus, iisdem perseverantiam & perfectionem contribuit. Unde meritò dixit Doctor Mellifluus: *In veritate didici, nihil æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si in omni tempore inveniaris coram Deo, non altùm sapere, sed timere.* (*Serm.* 54. *in Cant.*) Manifesta hîc insuper est ratio; siquidem, qui timet, periculis

culis se subtrahit: *Qui timet, cavet, ne iterumpeccet.* (*Aug. tr. 9. in Epist. Joan.*) Et è contrario, qui vacuum hoc timore animum circumfert, im medio discriminum ambulat, & in omne genus peccatorum prolabendi periculo se exponit: *Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcavet, plùs periclitatur.* (*Tertul. de cultu fœm. c. 2.*) Videtis hoc clarè in quadam civitate, quando terræ motu quassatur, & quando terra priùs commota rursum quiescit. Quamdiu horrendum inter mugitum fluctuans terra mœnibus juxta & hominibus interitum comminatur, nihil nisi orantium gemitus, nihil nisi supplicum vota, nihil nisi pœnitentium singultus & suspiria audiuntur; damnantur visitationes, cessant convivia & lusus, vitatur suspecta conversatio, otiosa ambulatio in studium pietatis mutatur; quamprimum verò horrifica terræ fluctuatio subsidet, quamprimum terroris plena periculi facies evanescit ex oculis, mutatô repentè animô, abjectîs pietatis officiîs, ad priores perversæ naturæ delicias denuo reditur. Simili prorsus ratione res se habet in anima,

ma, dum ſancto quopiam amittendæ ſuæ ſalutis metu percellitur, abſtracta ſubitò à mundanis deliciis, tota in eo eſt, ut ad bonorum operum exercitia incumbat, & toto affectu ad Deum confugiat, juxta exemplum S. illius Regis, qui pro ſui timoris menſura toto corde ſe Deo commendavit: *Joſaphat autem, timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum. 2. Paral.* 20. Mirandum igitur non eſt, tantô inimicum infernalem ſtudiô allaborare, ut ſalutarem hunc timorem ex peccatorum cordibus expellat; quod & feliciter nimiùm ei ſucceſſit, cùm primam noſtram Parentem primò in Paradiſo tentaret; protinus enim, ùt ſuprà dictum eſt, timorem pœnæ, ipſi à ſuo Creatore intentatæ, ex animo ſuſtulit: *Nequaquam moriemini;* verum non eſt; Deus ſummè bonus eſt; ob rem tantillam haudquaquam vos damnabit; atque ita, ſubtractô fundamentô, facilî eam negotiô proſtravit. Hæc igitur præcipua ars eſt, qua ille adhibita Chriſtianos ad lapſum inclinat, ab ipſorum cordibus timorem evellit, eadémque ad nimiam præſidentiam

tiam accendit : *Nequaquam moriemini.* Quis unquam Paradisi gloriam ingrediatur, si Christiani eo non pertingant? plenus misericordiarum est Deus, si ad peccata hominum vellet respicere, jam diu mundus non ampliùs existeret; aut omnes salvabuntur, aut nullus. Et has, similésque ineptias, quas insani peccatores tanquam subtilissimæ scientiæ arcana suspiciunt, iisdem persuadet Alastor stygius, ut credant, salutem consequi opus esse nullius laboris, nullius solicitudinis, utpote quæ suo tempore ipsa sit ultro obventura. At verò, quod malum nimiùm quantùm adauget, istud est, quòd, quantùm hostis infernalis sanctum in illis timorem imminuit, tantò majora timori mundano augmenta adjiciat, illi, inquam, timori, qui solam bonorum carnalium, & mundanarum voluptatum jacturam, tanquam suum objectum, respicit; atque adeò ejusmodi hominum quispiam multò plùs metuit, ne suæ, quæ in judicio ventilatur, causæ, quàm ne animæ suæ jacturam patiatur; plùs timet; si Nobilis est, ne punctum honoris, quàm ne Paradisi gloriam

am amittat; plùs timet, si juvenis est, obtutum illius, quam sibi delegit, minùs benevolum, quàm tremendas Dei Omnipotentis minas, peccatoribus intentatas, pavescat; quod ipsissimum olim in Paradiso Protoparentem nostrum fecisse, in comperto est, qui patrato crimine factus Dei inimicus & totius humani generis parricida, non ob aliud timebat magìs, quàm quòd se nudum videret.

Remedium ad tollendum istud Impedimentum.

Primum remedium est illud universale contra mala nostra omnia, nimirum humilì, constantíque animô, mediante oratione, ad Dei Bonitatem confugere, atque ad S. Davidis exemplum salutarem hunc timorem instantissimìs votìs flagitare: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis enim tuis timui. Psal.* 118. Geminas in verbis hísce pulcherrimis contentas veritates nota, quas cœca peccatorum insania tam parùm considerat. Prima est, quòd piissimus David, quò faciliùs Deum in sua vota inflectat,

tanquam motivum suum timorem adducat: *A mandatis tuis timui*; nempe, ut intelligant omnes, timorem Domini rem non esse nullius momenti, nullius considerationis; multò minùs passionem existere (ut ita dicam) muliebrem, viróque indignam; sed potiùs donum Divinissimi illius Spiritûs, quod mille benedictionibûs animam replet, eámque ad gratiæ Divinæ, cœlestiúmque inspirationum influxus aptiorem efficit. Decet proinde, ut quisque meliore; quo fieri potest, modo ad tam grande donum recipiendum se præparet, ita, ut ipse timor, timoris à Deo augmentum promereatur. Altera veritas est, quòd oporteat nullo unquam hujus timoris gradu nos esse contentos, sed conari continuò, ut nova identidem incrementa accipiat, atque indies purior perfectiórque evadat: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis timui.* Non igitur tantummodo ad incipientes pertinet, timere Dominum, cùm ipsimet etiam Sancti, quò clariorem rerum æternarum cognitionem acquirunt, eò majore circa felicem rerum suarum successum

ceſſum ſolicitudine angantur: *Homo ſapiens in omnibus metuet. Eccli.* 18 *v.*27. Homo ſapiens nihil non timet, neque unquam in tuto verſari ſe credit, donec in Paradiſi limine pedem poſuerit. Atque hæc ipſa etiam eſt ratio, ob quam Amabiliſſimus Redemptor noſter ſuos inſtruens diſcipulos, iteratò ipſis Juſtitiæ Divinæ timorem inculcavit: *Timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Luc.* 12. *v.* 5. ac ſi nunquam ea, qua par eſt, ratione timeri valeret.

Secundum remedium hîc quoque eſt, utì in omnibus aliis, id agere præprimis, ut mali radix innoteſcat. Fatalis iſthæc peccatorum temeritas duplici plerumque ex ignorantia oritur, qua fit, ut inſani iſti, quidnam revera ſit Dei miſericordia, quídve juſtitia, ignorent. Primam ignorantiam jam olim acriter Apoſtolus ipſis exprobravit, ubi dixit: *Ignoras, quoniam Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ad Rom.* 24. Alteram ipſémet Servator Noſter in ultimo ſuo ſermone poſt cœnam clarioribûs adhuc

terminîs expressit, dicens: *Pater juste, mundus te non cognovit. Joan. 17. v. 25.* Utramque jam istam ignorantiam hîc accuratiùs exenteremus, oportet, quò faciliùs necessarium ad utriusque correctionem remedium inveniamus.

Prima igitur peccatorum ignorantia versatur circa Dei misericordiam, circa quam imprimis non sciunt, quidnam propriè sit misericordia Divina; deinde & numerum effectuum ipsius, & denique finem, propter quem operari consuevit, ignorant.

Illi, quorum lingua semper Dei misericordiam prædicat, quippe qui ex illius consideratione amplam sibi eandem liberiùs offendendi fingunt licentiam, planè, quid rei sit Divina misericordia, ignorant. Quippe ita eandem mente concipiunt, ut ad quamvis scelerum enormitatem penitus immobilis appareat; atque adeò, sicuti parùm moveri credunt, si infernalis monstri, peccati scilicet, malitia impetatur; ita parùm quoque illam urgere existimant, ut statuta eidem pœna infligatur. Hi sunt præposteri malevolorum hominum conceptus, longiùs à Dei cogi-

cogitationibus, quàm cœlum à terra diſtantes. Profectò tametſi Deus in omnibus ſuis perfectionibus ſit ſummè admirabilis, in nulla tamen ex omnibus magis videtur admirandus, quam in ſua patientia. Propter hanc videtur quaſi ſemetipſum obſtupeſcere, cùm dicit: *Ego Dominus & non mutor: & vos non eſtis conſumpti? Malach.* 1. *v.* 6. An poſſibile ſit, ut Dominus exiſtam Majeſtatis, & debitîs ſuppliciîs necdum veſtra ſcelera caſtigârim? Alios ornare beneficiîs, ſublevare miſerorum calamitates, Magnatum gloria eſt, & excelſæ illorum conditionis effectus reputatur; at verò pacatô animô illius ſufferre inſolentiam, qui eorundem voluntati nefariè reluctatur, virtus eſſe videtur, quæ cum ſublimi adeò dignitatis faſtigio componi vix poſſit. Miratur etiamnum hodie mundus univerſus, dum cogitat, Philippum Secundum Hiſpaniæ Regem, poſtquam mediam noctis partem inſomnis exegiſſet, prolixiſſimîs ad Summum Pontificem propria manu exarandis litterîs occupatus, ipsíſque his litteris Secretarius ex incuria, ſcriptorii pulveris locô, atramentum

mentum infudiſſet, ne minimô quidem commoti animi indiciô oſtensô, aliud nihil dixiſſe, quàm ut novum folium porrigeret, quod ad ſcribendas de novo litteras deſerviret. Judica jam, quantò adhuc majore admiratione dignum hoc factum exiſteret, ſi hoc ipſum ex inſtituto & datâ operâ, ſi frequentiùs, & quidem probè gnarus, exinde Majeſtatem Regiam ſummopere offenſum iri, famulus feciſſet; & tamen omnes iſtæ circumſtantiæ, tametſi in infinitum augerentur, ne quidem umbra forent illius injuriæ, quæ ſupremæ Majeſtati per peccatum irrogatur; & ſtupendæ illius patientiæ, qua hoc ipſum peccatum à Deo toleratur. Omnia ſanè attributa Divina ad vindicandam illatam injuriam videntur inſurgere, ut adeò neceſſarium omnino ſit, ut miſericordia ne tandem cedere cogatur, quaſi omnibûs, juxta Prophetæ teſtimonium, viribûs obnitatur: *Corroboravit miſericordiam ſuam. Pſal.* 112. atque non modò mirabilis patientiæ, ſed excelſæ etiam fortitudinis præbeat exemplum: patientiæ quidem erga nos, qui impio auſu in ipſius Majeſtatis Thronum

num involamus; fortitudinis verò erga ſeipſum, qua noſtros exceſſus absque ultione ſupportat: *Dominus patiens, & magnus fortitudine. Nah.* 13. Patiens profectò, & ultrà, quàm credi poteſt, fortis, cùm offenſam vel unicam absque vindicta patrari permittit; quantam igitur illam futuram eſſe patientiam atque fortitudinem credamus, qua peccata ferè innumera, à viliſſimis ingratiſſimiſque terræ vermiculis in ipſius conſpectu impudentia intolerabili toties repetita, ſinè vindicta ſupportat, & eo quidem ipſo tempore, quo vel unico nutu inſolentem peccantium audaciam atrociſſimîs quibûslibet pœnîs poſſet reprimere. Judicare proinde te velim, an altiùs etiamnum peccantium ignorantia queat aſcendere, qui pro nihilo reputant veniam ſuis ſceleribus impertitam; pro nihilo miſerationem, qua, profunda eosdem è miſeriarum abyſſo ereptos, in felicitatis æternæ ſtatum Dei Clementia reponit.

Creſcit deinde hæc ignorantia ex eo, quia, quot denique vicibûs Deus ipſis ſit veniam conceſſurus, ignorant. Equidem infinita eſt Bonitas illa, qua Deus ad im-

pertiendam veniam movetur, hanc tamen non nisi finitîs concedere vicibûs decrevit: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Sap.* 11. *v.* 21. Supremus ille cœli terræque Dominus, qui viæ ventorum ponit mensuram, immensúmque pelagus suîs terminîs circumscribit, pravis quoque concupiscentiæ nostræ motibus, nostræ peccandi licentiæ suos terminos figit; nam ad nos quoque illud pertinet: *Hucusque venies, non procedes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos. Job,* 38. Indubitatum hoc est, ait S. Augustinus, & satis manifestô S. Scripturæ testimoniô comprobatum: *Certum esse peccatorum modum atque mensuram, Dei ipsius testimoniô comprobatur.* (1. *de vita Chr.*) Cogita itaque, an vel micam adhuc habeant sanæ rationis illi Christiani, qui novîs indies peccata peccatîs accumulant, unicè huic spei innitentes, quòd Dei misericordia sit absque termino. Equidem verissimum est: Misericordia Domini finem non habet; finem tamen habent ejusdem miserationes; & cui tandem revelatum est de cœlo, quantum adhucdum

super-

ſuperſit, dum illarum numerus compleatur? quo impleto ille ipſe Deus, qui tantâ hucuſque patientiâ tuam impudentiam ſuſtinuit, tolerare illam ampliùs non volet, ùt aliàs ipſémet teſtatur: *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum. Amos* 1. *v.* 3. Interea veſani peccatores absque ulla ſolicitudine pergunt in fruſta diſcindere pretioſiſſimam innocentiæ ſtolam, tametſi JEſû Chriſti ſanguine lotam, ſpe freti certiſſima, protinus ſe aliam, quandocunque libuerit, novámque habituros. Novìs identidem novìsque maculìs ſuam animam conſpurcant, eò quòd ope ſacramentorum nullo easdem ſe poſſe eluere negotio confidant. In aſſurgentes tumultuantis pelagi procellas lætabundi inſiliunt, quia offerendam ſibi tabulam credunt, qua apprehenſa, queant incolumes ſecûra ad littora enatare. Verùm enimverò, ſi ſuæ interea malitiæ menſura impleatur, quid ipſis futurum tum putas? Vide, ut tacitè, lentéque horologium procedat, atque pacatè, dum horæ elapſæ terminum attingat, ſuas rotas circumagat. Aſt ubi ultimum

timum labentis horæ punctum deſignat, tota repentè machina præcipiti in motu eſt, omnésque rotæ,pendente retinaculo,celerrimo impetu volvuntur. Ita ſuo tempore facturus eſt Dominus: *Tacui*, inquit per Iſaiam, *ſemper ſilui*, *patiens fui; ùt parturiens loquar. Iſa.* 42. *v.* 14. Id ipſum de gratiis quoque Divinis, ad tuam converſionem adeò neceſſariis, teneto. Veriſſimum omnino eſt, quòd illæ ſuo in fonte, Dei nimirum bonitate, & JEſu Chriſti meritis, absque termino ſint, ac infinitæ; ſed ubi in rivos ſeſe diffundunt, finitæ ſunt, pondus habent, & numerum. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti.* Quemadmodum avaritia, ita quoque prodigalitas cadere in Deum non poteſt. Atque adeò dona illa ſua adeò pretioſa, quæ largiri nobis intendit, exactiſſimè numerat; & quia cœcus non eſt, ſed ipſa Sapientia infinita, illa ipſa munera accuratè ponderat; & quia denique inconſideratus non eſt, ſed ſummè attentus in omnibus, eadem quoque non niſi menſurata diſtribuit; atque iſtorum omnium tandem ignorantia cœcos peccatores in

omnia

omnia ſcelera, & ipſam quoque damnationem æternam præcipitat.

Demum ultima circa Dei miſericordiam ignorantia, circa ipſius finem verſatur, ex quo ad dandam nobis veniam, & deſtruendum peccatum movetur: *Ignoras, quia Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Peccatum unicus eſt, & ſupremus Dei inimicus; neque aliam rem ullam Bonitas Dei odiô perſequitur, niſi peccatum; & quidem peccatum præcipuè, tum etiam eum qui illius reum ſe fecit. Fixum propterea, ratúmque habet ſuprema illa Majeſtas, aut peccatum delere in peccatore, aut peccatorem in peccato; unde in omnem, quo ſanctiſſimum hoc ſuum Decretum exequatur, occaſionem ſolerter invigilat. Quippe, ſi ad deſtruendum peccatum in peccatore de cœlo deſcendit tanquam Redemptor; ad deſtruendos in peccato peccatores poſtmodum deſcendet, ùt Judex; & ſicuti ſummè admirandum ſe exhibuit in conferendis nobis beneficiis; ità quoque in nobis caſtigandis ſe ſtupendum demonſtrabit. Finis itaque, propter quem te Deus exſpectat, nequa-

nequaquam eſt iſte, ut peccati unius terminus ſit initium alterius, verùm ut continuatam hucusque perfidiam, tantò majore poſthac fidelitate compenſes. Ita tertia vice, an ſe amaret, Petrum interrogavit: *Petre, amas me?* quia tertia ab illo vice paulò ante fuerat negatus, ut hac ratione tam ipſi Petro, quàm aliis peccatoribus omnibus fieret manifeſtum, hoc ſuâ ſe patientiâ, ſua longanimitate intendiſſe, ut admiſſum peccatum digno fervore, eóque altiore caritate compenſarent. Quare, cùm bonus eſt Deus, ut eum timere addiſcas, deſiderat; Deus enim bonus non foret, niſi odiô malos inſectaretur; Bonus cùm ſit, intelligere te cupit, tantò graviorem tuam culpam extitiſſe, cùm pro favoribus non niſi peccata perfidus reddidiſti; Bonus cùm ſit, iſtud præcipuè cures, deſiderat, ut ſua in Bonitate, ſuo in odio ipſum imiteris, quo iniquitatum genus omne abominatur; unde ex hoc quoque capite eum timeas, oportet, quia ſupportat, quia veniam concedit. Atque hic feliciſſimus ille fructus eſt, quem exinde Sancti in cœlo hauriunt; unde, ùt S. Jo-

nes audivit, plenô chorô conclamant: *Quis non timebit te, Domine, quia solus pius es? Apoc.* 15.*v*.4. Quis profundissima submissione tuam Majestatem non revereatur, O Domine! quis scelcratô te impetere opprobriô non formidabit, quia tam bonus es? Hic fructus est, quem Sancti in hoc quoque mundo inde recipiunt: *Quia Dominus patiens est*, ajebat Judith, *in hoc ipso pœniteamus. Judith.* 8. Quòd tantâ patientiâ in præsens usque momentum nos sustinuerit, motivo nobis sit, quo fortiter ad eum tenerrimè amandum, & multò adhuc magis ad timendum impellamur, ne novîs excessibûs ipsius longanimitatem exacerbemus, eúmque, mutatâ in furorem patientiâ, dudum promerita incutere supplicia cogamus; tradere siquidem veniam impertientem, plus est, quàm tradere.

Primæ huic peccatorum ignorantiæ circa Dei misericordiam, altera illa circa ejusdem justitiam respondet. Nesciunt, quid sit Divina Justitia; hujus effectus ignorant; finem, quem suis sibi in operationibus præfixit, non intelligunt.

Ita-

Itaque, quid rei ſit Divina Juſtitia, mundus ignorat: *Pater juſte, mundus te non cognovit;* Unde peccatores in tremenda illa judicii hora, ab immenſa hujus Juſtitiæ multitudine hucusque tamdiu abſconditæ ſuperfuſi, ſummo horrore concutientur: *Revelabitur quaſi aqua judicium, & Juſtitia, quaſi torrens fortis. Amos. 5. v. 14.* Nunc equidem juſtitia, ùt odium creaturæ, concipitur, atque adeò componi vix poſſe cum Bonitate Divina putatur. Omnia reliqua Dei attributa ùt amabilia apprehenduntur, & amaturi Deum peccatores videntur, qui ſe meritîs afficere ſuppliciîs aut non poſſet, aut ſi etiam poſſet, non vellet. Iſtæ ſunt tenebræ, in quibus ſepulti jacent peccatores miſeri, & maximum pietatis eſt opus, eosdem in lucem educere. Divinus ille Rigor, odium non eſt creaturarum; ſed amor eſt boni, & omnis honeſtatis; ferè ſicut in muſico ille impetus, quo chordam diſſonam, poſtquam aliquoties fruſtra remiſit, atque intendit, in partes diſrumpit, amor eſt harmoniæ, qui iracundiæ motus videtur. Repugnat infinitæ Dei ſan-

ſanctitati, non ſummô odiô perſequi iniquitatem, repugnat ipſius Sapientiæ ſummam peccati inordinationem permittere, quin intentatô ſuppliciô ad ordinem creaturam exorbitantem reducat; atque ideo, cùm peccator, minîs contemptîs, inſuper habitîs beneficiîs, in culpa perſeveret, approperat, ùt dictum eſt, Dominus deſtructurus in peccato peccatorem, quandoquidem in ſeipſo peccator nolit deſtrui peccatum. Summo igitur æquè, ac reliquæ perfectiones, amore digniſſima eſt Dei Juſtitia, quæ, ſi ipſi Lucifero, quanquam extremô eandem ſuis in cruciatibus odiô execretur, videnda, utì in ſe eſt, exhiberetur, majori repentè in eandem, quàm ſemetipſum amore ardeſceret, graviſſimáſque etiam, quas ab ea ſibi paratas perpetitur, pænas promptiſſimè approbaret. Verum proinde eſt, eandem Juſtitiam, non equidem nobis, ſed tamen Deo eſſe utiliſſimam, quippe quæ ſuam ei gloriam procurat, ablatum à peccatoribus, honorem reſtituit, résque Creatoris rebûs creaturarum omnibûs infinitîs gradibûs magìs æſtimabiles, potentiſſimè

tissimè defendit. Quin imò & hoc certissimum, eandem nobis quoque prodesse plurimùm, si non per viam scelerum abeuntibus, saltem studia pietatis sectantibus; ita enim Lactantius: *Bonorum salutem custodit, qui malos punit. L. de ira Dei c.* 17. Væ peccatoribus! si nunquam illos Deus ostenso suæ justitiæ rigore perculleret! qua enim ratione aliàs suos errores agnoscerent, & emendarent? *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Prov.* 12. *v.* 25. Quænam igitur insania est, fingere Deum ex parte duntaxat bonum existere; bonum scilicet solùm bene faciendo, non verò bonum mala puniendo? genus istud bonitatis in Rege apicularum vix tolerandum videtur, quem solum esse absque aculeo affirmant; Supremum autem Regum omnium Regem, potentissimum exercituum Dominum, inermem incedere, aut juvenum quorundam in morem, gladium ornamenti solummodo gratiâ ex latere suspensum gestare, quantùm dedeceret, nemo est, qui non dispiciat.

Porrò ex eo etiam capite peccatorum

rum ignorantia augetur, quia, licèt Divinæ ſeveritatis effectus agnoſcant, iisdem tamen pœnas ſpirituales, quæ tamen ſunt illius effectus præcipui, non acceſent. Si Deus quandam civitatem peſtifera lue inficit, communis omnium gemitus inſonat: *Deus nos caſtigat*; quodſi autem juſtô ſuô judiciô permittat, ut integra Provincia infami illa Luxuriæ peſte corripiatur, ne unum quidem reperies, qui morbum hunc animæ, illo, qui corpus proſternit, infinities peſtilentiorem, aliter apprehendat, quàm ùt malum levis momenti, ùt paſſionem juvenilem, quàm ùt exceſſum, ad vitam præſentem vivendam tantùm non neceſſarium. Et tamen, cùm peccatum actuale maximum ex omnibus, quod nobis accidere poteſt, malum exiſtat, quodnam denique gravius excogitari ſupplicium queat, quàm ſi Divina juſtitia permittat, ut hoc ipſum peccatum in dies ſingulos regni ſui confinia latiùs extendat? Interim Deus ad iracundiam provocatus, juſtô judiciô gratiarum ſuarum influxum retrahit, ab animo tot ſceleribus conſpurcato longiſſimè diſcedit, un-

de remanet in ſpiſſiſſimis tenebris veluti terra, ob ſolis abſentiam denſiſſima nocte obtenebrata, conſtricta glacie, ob hyemis ſævitiem infœcunda; aſſurgunt novo cum robore pravi habitus, intepeſcit fidei ardor; & tamen ex tam grandi iſthac ruina, quia ſenſu externo non percipitur, ne minimus quidem formidinis motus ſentitur; *Nolite* (exclamare hîc convenit cum S. Auguſtino) *nolite habere oculos paganorum: Chriſtianos oculos habete. in Pſal.* 56. Attollite pauliſper oculos, aut ut meliùs loquar, eruite è frontibus oculos gentium infidelium, quæ omnia ſenſibus metiuntur; atque illorum locô Chriſtiano homine dignos ſubſtituite, qui omnia fide metitur: & mox luce vobis clariùs pateſcet, univerſum terrarum orbem, ùt divinâ plenus eſt miſericordiâ, ita Divinâ quoque Juſtitiâ plenum exiſtere. Imò videbitis, hujus ipſius Juſtitiæ effectus, ſi majores non ſint effectibûs miſericordiæ, eſſe ſaltem magìs univerſales, utpote qui ad plures ſe homines extendant. Peccatorum permiſſio, utì diximus, & animarum condemnatio primarii ſunt

Divinæ

Divinæ iracundiæ effectus ; è contrario autem liberatio à peccato, & perpetua animarum ſalus præcipui Miſericordiæ Divinæ effectus exiſtunt. Jam verò, quàm longè major peccatorum, quàm juſtorum eſt numerus ! quantùm reproborum numerus, numerum electorum excedit ! Quis proinde non videt, opera juſtitiæ multò ſe extendere latiùs, quàm illa, quæ à Miſericordia procedunt ? Equidem extra omne dubium eſt, hoc totum peccantium culpâ accidere, nec in ullum ſe unquam Dei iracundiam effundere, in quem non priùs pro infinita ſua Bonitate mille beneficia conferendô ſe infuderit Miſericordia ; ſed & illud quoque certiſſimum, æternum reproborum interitum, eorúmque præcedentibus peccatis reſpondens ſupplicium, cum ſubſequentium permiſſione conjunctum, tanti ponderis mala exiſtere, ut bonis omnibus, quæ priùs à Miſericordia receperunt, in infelicium iſtorum animabus ùt plurimùm prævaleant. Quî igitur fieri poterit, ut talem tantúmque Deum, qui vel omnino nihil agendô, vel ſuos tantummodo favores

tam malè de ſe meritis negando, vel gratiæ ſuæ ſolùm auxilia ſubtrahendo, infinities plus mali nobis poteſt inferre, quàm ſi penitus ad nihilum nos redigeret; quî, inquam, fieri poterit, ut talem tantúmque Deum non timeamus? *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Hier.* 5. *v.* 22. Quomodo poſſibile ſit, ut homo, qui pauxillum eſt pulveris, quem propriæ ſuæ lacrymæ coagulant, præ timore non moriatur, ubi conſiderat, tam ſtrictam ſibi Deo Judici reddendam eſſe rationem de innumerabilibus injuriis, quibûs infinitam affecit ipſius Majeſtatem, qui & Sanctitatis eſt immenſæ, ut ab illis abhorreat, & Potentiæ immenſæ, ut illa juſtîs ſuppliciîs proſequatur?

Denique motiva neſcit peccator, finémque non intelligit, quem ſibi Deus præfigit, Juſtitiæ rigorem adhibendô; compenſare nimirum illata ab impiis, cùm conceſſa ſibi libertate tam malè utuntur, gloriæ ſuæ damna intendit. Quando in peccatum conſentit homo, voluntatem propriam præfert, Divinam poſtponit; erga ſe ipſum ita ſe gerit, ac

ſi ipſe

ſi ipſe Deus exiſteret, ſe ſolum ſuæ voluntatis centrum conſtituendo; è contrario Deum ita tractat, ac ſi ille creatura exiſteret, volendo, ut quaſi deſerviat perverſis ſuis deſideriis. Quæ confuſio magis horribilis? quæ perverſitas monſtroſa magis? Quapropter niſi peccator ipſe hanc confuſionem opportunè componat pœnitendo, ſuperveniens Dei juſtitia illam componet puniendo: *Reformabit peccati dedecus dedecore vindictæ*, ait S. Auguſtinus. Quid rei, amabo, infernum eſſe putatis? ſi in ordine ad damnatos conſideretur, eſt *Terra miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Job.* 10. *v.* 13. At ſi in ordine ad Deum ſpectetur, Theatrum eſt magnificum, pro iſtius gloria excitatum; & quotquot in eo cujuscunque demum ſtatûs, conditionis, ſexúsque infelices mortales continentur, tot ſuô, quo puniuntur, ſuppliciô immenſam extollunt Divini Numinis Sanctitatem, prædicant Bonitatem, Sapientiam dilaudant, eidémque ſuum honorem, quem priùs peccando nefariè abſtulerant, glorioſiſſima reſtitu-

ſtitutione refundunt. Peregrinum vobis videtur, quòd perpetuis vos Deus ignibus adjudicet; & quid ita? Mirúmne vobis apparet, quòd majorem Deus ſui, quàm veſtri honoris rationem habeat? plùs ſua præcepta, quàm veſtra delicta attendat? & poſtquam vos apertîs oculîs malô omnium malorum longè peſſimô vosmetipſos affeciſtis, peccatum perpetrandô; ille, quod malè ac præpoſterè factum eſt, corrigendum, & reducendum in ordinem ſuſcipiat, promeritas pœnas immittendô? Haudquaquam hoc mirum Angelis accidit, nec Sanctis Paradiſi incolis, qui non tenebras ignorantiæ, quæ vos circumſtant, ſed pleniſſimam lucem inhabitant. Magna illi cum voluptate iſthæc de cœlo ſpectacula intuentur, & mirificè honore oblectantur, reſultante ex iis in ſupremam Majeſtatem, quam junctîs laudibûs extollunt, uno ore ſinè fine cantantes: *Alleluja: ſalus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, qui judicavit de meretrice magna, & iterum dixerunt: Alleluja. Apoc.* 19.

Hîs igitur æternæ Veritatis cognitionibûs tuum animum imple; juſtam Divinæ

vinæ Majeſtatis ideam concipe. Nunc (dicebat Vir quidam, Sanctitate eximius, morti vicinus, & ſancto Divinorum judiciorum horrore quaſſatus) nunc Deum ſub rudi imagine pro modulo noſtro nobis imaginamur, ſed pauca poſt momenta, O! quàm diverſum intuebimur! Nunc igitur dignâ pœnitentiâ præterita delicta expia, & mala, quæ patrâſti, totidem operibûs bonîs compenſa; quippe ſi debitum apud Deum contraxiſti, expungendum illud eſt, aut in hoc mundo verâ pœnitentiâ, aut in altero paulò pòſt in flamma; medium non datur. *Manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. Mach.* 6. Verum eſt, timor ſolus eſſe non debet, ſed eundem cum ſpe conjungamus, oportet; hæc enim eſt voluntas Domini, qui ait per prophetam Regium: *Beneplacitum eſſe Domino ſuper timentes eum, & in his, qui ſperant ſuper Miſericordia ejus. Pſalm.* 147. Sed facite, quod Sanctus ille facturum ſe dixerat, nimirum, ſi dœmon in ſcalæ ſummitate conſideret, ſe ad ima deſcenſurum, ſi autem ad gradum infimum dœmon

mon desiliret, se ad supremum esse evolaturum. Nempe dicere volebat, quòd, si Alastor stygius se ad nimiam elevare præsidentiam niteretur, timoris Dei, hujúsque Judiciorum clavô, veteratoris sit conatum repulsurus. Si autem è contrario in desperationis profundum conaretur agere præcipitem, spei se Divinæque misericordiæ præsidiô sit muniturus. Inter principia conversionis etiam est, in partem timoris inclinare; quia, quemadmodum febres, quæ cum frigore incipiunt, intermittunt, finiuntúrque citiùs, quàm illæ, quæ initiô sunt calidæ; ita prorsus se res habet cum febribus, quæ è pravis passionibus enatæ animam infestant; nisi timori locum concedant, medium, quo illas corrigas, non reperies. Quòdsi justam hujus timoris nôsse mensuram tibi est animus; accipe: Tantum time, quantum ad cavenda peccata, ad exhibendam Deo in templis reverentiam, ad te eidem sæpiùs commendandum, ad concipiendum erga sanctissimam Virginem, ad quam crebrò & devotè invocatam, ùt infantulus pavidus ad matrem solet,

ſolet, magnâ fiduciâ confugias, tenerum affectum requiritur; & ſufficit. Ejusmodi inſuper libros ſpirituales frequenter perlege, qui Divini illius rigoris exempla ob oculos ponunt, ùt facit Carthuſianus de noviſſimis, P. Nierenbergius in ſua trutina temporis & æternitatis, ac hujusmodi; atque pro indubitato habeto, ſignum certum eſſe tuæ ſalutis, ſi crebrîs ejusmodi cogitationibûs cor tuum occupaveris; id quod ipſa Veritas æterna ſuô calculô confirmat: *Cogitationes Juſtorum judicia. Prov.* 12. Et viciſſim magnum æternæ tuæ reprobationis indicium, pœnámque magnam reputa, ſi timorem amiſeris: *Magna eſt Pœna peccati, timorem perdidiſſe judicii. Aug. ſerm.* 30. *de temp.* Secùs profectò fiducia illa, quam ſpem appellas, manifeſta temeritas eſt; quia cum timore non conjuncta id promittit, quod numquam pollicitús eſt Deus, videlicet, ob tua delicta nihil te ſupplicii paſſurum. Veræ ſpei, & Chriſtianæ fiduciæ hoc proprium, ut, quemadmodum balſamum corpora à putredine, ita illa animam à peccato præſervet. *Qui*

habet

habet hanc ſpem, ſanctificat ſe. 1. *Joan.* 3.

LECTIO
Ultima.
De Bono,
Quod facere debet Chriſtianus, poſtquam ſalutis impedimenta removit.

MAndavit Deus Jeremiæ Prophetæ, ut deſtructô in populis, eradicatóque malô, in iis ipſis bonum plantaret: *Conſtitui te ſuper gentes, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Jerem.* 1. *v.* 10. Simile quid divina tibi Majeſtas imperat, quod in teipſo exequaris; atque ideo, poſtquam memorata in præcedentibus Lectionibus, quæ præcipuè noſtræ ſaluti ſe opponunt, impedimenta ſuſtulimus, æquum eſt, ut ad illud bonum convertamur, quod facere nos oportet, ut vitam æternam conſequamur. Mihi illorum ſententia præplacet, qui totam Chri-

Chriſtiani hominis vitam ad tria capita reducunt, tribûs hísce verbîs expreſſa : *Suſtine*, *abſtine*, *age* : explicemus ſenſum cujusvis particulæ.

Suſtine. Abſit, ut credatis, Chriſtiani hominis virtutem mollem eſſe, atque effœminatam ; totámque noſtram pacem denique in eo poſitam eſſe, quòd non habeamus, quocum depugnemus. Multò adhuc abſit longiùs, ut tibi perſuadeas, quòd, cùm in propoſitis hucusque Lectionibus poſitas ab hoſtibus tuis ſaluti tuæ inſidias detexiſti, hoc ipſo omnes hi tui inimici aut penitus confecti jam ſint, aut ſaltem arma ſimul, & te etiamnum expugnandi ſpem amiſerint. Aliud longè Divini Spiritûs monitum nobis inculcat: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccli.* 2. *v.* 1. Tantùm arma præpara, atque ad ſubeunda prælia te accinge, dimicaturus cum hoſtibus tuis, qui majore, quàm unquam aliàs in te furore exæſtuant, eò quòd ipſorum jam effugere manus decreviſti ; Regem nimirum Pharaonem imitantur, qui quamprimum Iſra-

Iſraëlitas ſua è ſervitute elapſos eſſe reſcivit: *Tulit, quidquid in Ægypto curruum fuit, & Duces totius exercitûs, & perſecutus eſt filios Iſraël. Exod.* 14. Adeoque utiliſſimum erit, ſi primò tuos inimicos atque eorundem arma dignoſcas, & deinde eos debellandi methodum addiſcas.

Primus tuus inimicus, ùt nôſti, eſt mundus, & illius præcipua arma ſunt mala exempla, quibûs præit, ut omnes ad amorem bonorum præſentium, & ad futurorum contemptum alliciat. Secundus inimicus eſt propria tua caro, quæ eſt inimicus domeſticus, atque adeò magìs metuendus, quia interiùs te oppugnat; & ipſius arma ſunt voluptatum fallaciæ; ac horror difficultatum, quæ in virtutum exercitio occurrunt. Ultimus inimicus eſt diabolus, qui ſe cum omnibus aliis conjungit, ſuámque fortitudinem ab illorum robore mutuat; ipſius arma ſunt violentia & inſidiæ; unde frequentiſſimè aut draco, aut ſerpens nuncupatur; Draco propter fortitudinem, ſerpens propter aſtutiam, qua animæ noſtræ

ſalutem

ſalutem oppugnat. Verùm magìs ad ſingularia deſcendamus. Violentia & fortitudo dœmonis, non conſiſtit in eo, quòd vim inferat voluntati, utpote quæ ſemper libera eſt, nec à toto ſimul inferno cogi poteſt; ſed in eo poſita eſt, quòd phantaſiam turpibûs imaginibûs accendat, & horrendìs infidelitatis, atque blasphemiæ tentationibûs perturbet, in quibus, cùm ii, qui experientiam non habent, ſenſum inter & conſenſum diſtinguere non poſſint, perditos ſe atque à Deo reprobatos exiſtimant. Verùm non permiſſum eſt dœmoni à Deo, adeò frequenter iſthoc armorum genere nos impugnare, tantæque fortitudinis draconem induere; illud, quod ei frequentiùs eſt conceſſum, eſt, ſerpentem inſidiîs imitari, uno ex ſeptem his modis, qui ſequuntur.

Primus modus eſt, ceſſare per aliquod tempus ab omni tentatione, ut homo ſe penitus ſecurum exiſtimet, ſempérque magìs ſuì ipſius ſolicitudinem ſeponat; ſiquidem nimia ſecuritas, ùt alibi diximus, parens eſt negligentiæ. Venator quandoque nihil ſtrepitûs excitat, ſed tacitus

tacitus quietúsque ſubſiſtit, donec fera, cui inſidiatur, conſideat; hoc ubi factum eſt, tunc primùm eandem exoneratô ſclopô proſternit. Id ipſum non raró facit tentator ſtygius: tacitus expectat, quin ulla unquam ſuggeſtione mala te perturbet, donec illi amicitiæ, aliíque illi periculo hæreas implicitus; quamprimum autem tuum te oppignorâſſe affectum advertit, tunc primùm fatalem ſuam ſagittam intorquet.

Secundus eſt, majore impetu, & majore frequentia tentare illum, qui mutando vitam, ipſius ſe unguibûs expedivit, quàm tunc fecerat, cùm adhucdum per priorem depravatæ vitæ licentiam incederet. Neque mirandum hoc eſt: illius civitatis munimenta machinîs non quatiuntur, quæ ultro claves hoſtium manibus offert, ſed illius tantummodo, quæ magnanima fortitudine ſe defendit: *Eos dæmon pulſare negligit*, ait S. Gregorius, *quos quieto jure poſſidere ſe ſentit. L.* 14. *Moral. c.* 12.

Tertius eſt, à paucis initium ducere, ut viam ſibi pandat ad obtinendum multum,

tum, imò etiam totum, si dolus succedat. Diabolus, dicebat S. Franciscus, quandoque unicum solummodo capillum deposcit; verùm, væ tibi, si vel hunc etiam concesseris! ex eo namque densissimum funem nectet, quo in durissimam te abstrahet captivitatem. A Davide ab initio unicum tantummodo aspectum poscebat, & quidem ita è longinquo, & per accidens solùm, non ex instituto, in Uriæ uxorem defigendum: poterátne minus quidpiam ab homine sancto, secundùm cor Dei efformato, tam altis à cœlo beneficiis ditato, tam mirabili Divinorum secretorum notitiâ prædito exigere? & tamen istud exiguum deservîit tentatori stygio, armamentarii integri, machinarúmque locô, quibûs Sanctum, quo forsan mundus tunc temporis majorem non habuit, fatali ictu prosterneret.

Quartus est, persuadere, ut in tentationibus à conscientiæ arbitro consilium non petatur, eidémque hæ ipsæ tentationes non aperiantur. Ita facit, inquit S. Ignatius, homo perversus, qui puellam quandam incautam quærit seducere:

ducere: ante omnia alia huic inculcat, ut ne ſuis domeſticis de ſermonibus, aliísque, quæ inter ſe tranſigantur, vel verbulum faciat. Quam ipſam quoque ob rationem poteſtas dœmonum poteſtas tenebrarum appellatur, quia, quamprimum in lucem protrahitur, omnem ſuam vim amittit.

Quintus eſt, perſuadere, ut jam conſenſiſſe vos in peccatum credatis, tametſi ſit falſiſſimum; ut animum deſpondeatis, abjectíſque armîs, obluctari atque reſiſtere deſiſtatis. Si firmum habeas pravis cogitationibus nunquam conſentiendi propoſitum; ſi ſæpius fixô in Deum animô contra importunas inferni tentationes proteſteris; ſi ſæpius Divino præſidio tuam animam commendes; ſi arbitreris, te plena voluntate, & apertîs oculîs nunquam tale peccatum commiſſurum, macte animô eſto; quia ſigna hæc ſunt ſatìs manifeſta non amiſſæ, ſed relatæ victoriæ. Abbas Iſidorus dixerat aliquando: quadraginta circumvoluti ſunt anni, ex quo cum certo quodam vitio continuâ pugnâ luctatus ſum, ſemper tamen mea ex parte victo-

victoria ſtetit. Verùm non ita facile eſt, nôſſe tentationum ſenſum à conſenſu diſcernere; unde deceptor ſtygius iſthoc inſidiarum genere ab incipientibus magnum lucrum reportat, niſi diligenter ſibi ipſis attendant, & expertorum conſiliis acquieſcant.

Sextus eſt, perſuadere tibi, ſi aliquando cecideris, ceſſaturam eſſe tentationem, & finiendum prælium. Mendacium manifeſtum! quanquam non paucos ſedùcat; certiſſimum namque eſt, creſcere in nobis habitum bonum, ſi impiis ſuggeſtionibus reſiſtamus; contrà verò augeri inclinationem perverſam, novúmque identidem effræni paſſioni robur ſuperaddi, ſi iisdem conſenſum præſtemus; atque ideo patefacere aditum uni peccato non eſt aliud, quàm multis portam aperire: *Peccatum peccavit Jeruſalem*, inquit Propheta; *propterea inſtabilis facta eſt. Thren.* 1. *v.* 8. quaſi diceret; quia ſemel peccato ſuccubuit, uſque adeò ipſius vires infractæ ſunt, ut iterum iterúmque laberetur. Poſtquam Leo ſemel ſanguinem guſtavit, ſemper magis eundem cicurandi difficultas ſuccreſcit.

Septimus eſt, perſuadere, pugnam ad ultimum usque vitæ tuæ halitum duraturam, imò ferme in momenta fore difficiliorem. Et tamen prorſus oppoſitum contingit. Deus apertè pollicetur, ducturum ſe animam per ſemitas virtutum, in quibus, ſuperatîs primîs difficultatibûs, nihil ampliùs anguſtiarum, nihil offendiculorum ſit inventura: *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas, cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui; & currens non habebis offendiculum. Prov.4.v.11.* Quando domare equum incipis, haud dubiè rideres illum, qui diceret tibi, ipſum hunc equum ſemper fore ferociorem, tuísque ductibus minùs obſequentem; eò quòd in comperto habeas, eundem, ubi primi furoris impetus deferbuerit, adeò ad tuum arbitrium flexilem futurum, atque manſuetum, ut cum gaudio manſurus ſit capiſtrum, ultrò obſequioſos pedes ad ſcholæ ſuæ regulas ſublaturus, atque ad eum regendum vel ſola virgulæ umbra ſit ſuffectura. Ita ſe res habet cum corpore noſtro, quod edomatur tandem, atque ſub obedientiam redigitur, poſtquam primas furias,

furias, quibûs in prima vitæ mutatione obluctabatur, submisit. Peccatores è contrario, semper majores in vita sua difficultates experiuntur, atque ipsorum semitæ semper fiunt magìs laboriosæ, quia crescentibûs eorum peccatîs crescunt quoque timores futurorum, & præsentium remorsus; unde quò longiùs in iniquitate progrediuntur, eò magìs fatigantur: *Lassati sumus in via iniquitatis. Sap. 5.*

Ecce! habes jam ob oculos inimicos tuos, & omnia ipsorum arma magìs formidanda: an ad eorum fortè conspectum cohorrescis? Non ita homines sancti fecerunt, qui potiùs superabundabant gaudiô, propter insignia emolumenta, quæ in iis pro anima sua conspiciebant; unde S. Jacobus: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. c. 1. v. 2.* Emolumenta ista ad duo reduci capita possunt, nempe, quòd tentationes & ad exuendum veterem hominem, & induendum novum nos juvent plurimùm. Inprimis tentationes pravos animi motus fortissimè reprimunt. Si feræ in Africa in-

venirent, quod comederent, biberéntve pro ſuo libitu, domari nullo unquam tempore valerent: at verò ſitibundus palatus, & eſuriens ſtomachus adeò illarum ferociam comprimit, ut à venatoribus fatigatæ ad obedientiam compellantur. Væ nobis! ſi indomitis animi noſtri paſſionibus omnia pro ipſarum votis concederentur; quis unquam illis edomandis, & maximè quis domandæ ſuperbiæ ſufficeret? Facilè utique credere potes, quòd, ſi tentatio tam præcelſæ ſanctitatis Viro, qualis fuit gentium Apoſtolus, adeò fuerat neceſſaria, ut ob ſuam virtutem, & propter ſuas revelationes tumidô ſuperbiæ ventô non inflaretur, multò magìs neceſſaria futura ſit nobis, qui ſumus arundines, ad quas agitandas quilibet ſuperbiæ flatus ſufficit. Per tentationes Divina Bonitas nos ad ſe revocat, ſi ab illa perfidi receſſerimus: ea ratione, qua tumultuantis pelagi tempeſtas fugitivum Jonam ad obedientiam reduxit: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine. Pſal.* 82. Et pariter, ſi aliquando redîimus, efficit, ut nunquam ampliùs inde

inde recedamus: *Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas. Psal.* 118. Per hoc, quòd terror incutiatur infantibus, efficitur, ut fortiùs matrum suarum sinui se adstringant, indéque discedere magìs pertimescant. Similî prorsus modô tentationes homini novo fortitudinem conferunt. Quantò duriùs Ægyptii populum Hebræum affligebant, tantò magìs ille crescebat, tantò ampliùs illius sese multitudo explicabat, id ipsum tibi quoque eveniet; si tuas tentationes superare noveris, crescere te facient in virtute. Crescet tua fides, si infernalis deceptor suîs illam mendaciîs exagitaverit. Crescet tua castitas, si impurîs phantasmatîs fuerit impugnata. Crescet tua caritas, si variæ amaritudines tuum animum excruciârint; atque adeò tandem dœmones, qui tentationibûs suîs te oppugnant, tanquam apes te circumdabunt: *Circumdederunt me sicut apes. Psal.* 117. quia, sicuti apes, dum suô te aculeô lædunt, levi, modicúmque dolorem ferente ictu te lancinant, sibi verò ipsis mortiferam plagam infligunt. Vides itaque, absque tentationibus te nunquam

virtutem obtenturum, aut saltem hanc nunquam ad gradum quemdam excelsum ascensuram. Væ auro, si ignis non foret! *Quid times ignem, si aurum es?* inquit S. Augustinus, *Tract.* 5. *de diversis*; & ideo, illius locô, quòd superfluo timore torpescamus, id unicè jam agamus oportet, ut ex iis fructum referendi methodum arripiamus, gloriosam in hac pugna victoriam reportando.

Ut in aliis præliis victoria obtineatur, aut ars aut fortitudo requiritur: at verò, si à magnis Heroibus dimicetur, utraque simul conjungitur: neque aliter in prœliis spiritualibus cum securitate vincitur.

Jam, quod in nostro casû ad fortitudinem attinet, ea, ùt nôsti, non in brachio, sed in animo & corde residet. Inprimis firmissimum animô propositum concipe, nunquam credendi inimicis tuis in perpetuum: *Non credas*, inquit Dominus, *inimico tuo in æternum. Eccli.* 12. *v.* 10. Si caro tua promissîs voluptatum illecebrîs te alliciat; propositîs insuperabilibûs difficultatum montibûs terrere te contendat, profundè animo tuo infixam hanc veritatem teneas, necessum est, quòd

quòd illi montes ſint vanæ nebulæ, inanis ſit & brevis voluptatum dulcedo, ſordida, & vix brutîs animantibûs digna. *Non credas inimico tuo in æternum.* Si mundus ſuîs principiîs, nihil aliud præter bona præſentia ſpectantibûs, aut aliorum tibi ſimilium, diverſam à tua vivindi rationem ſequentium, exemplô avertere te à via recta laboret, firmiſſima indubiáque fide credas, opus eſt, hæc mundi axiomata leges eſſe inimici ſupremi Numinis, præcepta cujuspiam inſani, in omnibus Incarnatæ Sapientiæ oppoſitas; Leges cujusdam ſacro anathemate percuſſi, & à ſanctiſſimis JEſu Chriſti orationibus excluſi; eúmque, qui ad illorum normam vitam ſuam inſtituat, certiſſimè ſuam inſaniam in omnem æternitatem deploraturum. Et quantum ad exempla pertinet, ſi Electorum exiguus, ingens è contrario reproborum eſt numerus, per ſe manifeſtum eſt, quòd cum paucis, & non cum multis vivere debeamus, ſiquidem accenſeri electis, non verò reprobis velimus. *Non credas inimico tuo in æternum.* Multò minùs fidem adhibere

 dœmo-

dœmoni debes, qui eſt hoſtis quidam implacabilis, inimicus æternus, qui tantum tibi vult mali, quantum ejusdem vult ipſi Deo. Et ideo, quæcunque demum & qualicunque importunitate tibi ſuggeſſerit, pari ſemper conſtantia illius molimina irride, immotóque ſemper animô iis magnanimâ repulsâ obſiſte. Quid mali unquam ab ipſo metuas, ſi mali quidquam inferre poteſt nemini, niſi volenti? *Non vincit*, ait S. Bernardus, *niſi volentem.* Petîerat aliquando ab Athenienſibus Philippus Macedoniæ Rex, ut ſuo exercitui per ſuas regiones tranſitum concederent; illi verò reſponſionis locô quoddam folium remisêre, à capite ad calcem usque oppletum tribûs hisce ſolîs, ſed cubitalibûs litteris: NON. Simile quoddam *Non* tu quoque omnibus tentationibus reponas oportet, & quanticunque diſcriminis prælium extiterit, tua ex parte victoria ſtabit.

Quamquam hæc fortitudo non hoc ſolùm requirat, ut ad malum pellicientibus inimicis generoſum iſtud *Non* opponas, ſed inſuper etiam hoc exigat, ut multos

tos actus contrarios elicias. Si caro tua prohibitæ voluptatis illecebras tibi proponat, promptissima voluntate protestare, quòd, si hoc momento omnibûs Salomonis gaudendi deliciîs tibi copia fieret, tu libentissimè illas omnes Christo Domino, pro te cruci affixo, in sacrificium esses libaturus. Contra mundum protestare, tametsi omnes reliqui homines ipsius leges amplexuri, suámque illis vitam conformaturi essent, nunquam te aliis, quàm Dei tui præceptis obedientiam præstiturum. Si diabolus te in fide tentaverit, protestare, paratum te esse, fidem tuam ipso etiam sanguine subscribere, quemadmodum S. Petrus Martyr fecerat, qui, lethali vulnere percussus, sanguine ex eo prorumpente, priusquam sanctam suam animam efflaret, terræ hoc verbum inscripsit: *Credo.* Si te in diffidentiam ac pusillanimitatem tentet impellere, protestare cum S. Jobo, te, etiamsi Deus cum dextera, gladiô obarmata, obvius tibi procederet, quasi cor tuum transfixurus, firmissimè nihilominus in eo speraturum: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

*rabo. Job.*13.*c.* 15. atque ſimili ratione reliquis omnibus diaboli tentationibus obſiſte. Hoc eſt dæmonem illo ipſo, quem noſtram in perniciem tetenderat, laqueô implicare: *In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Pſ.*9.*v.*16.Hoc eſt,tanquam Arcam Noëticam, æſtuantibûs aquarum fluctibûs attolli,non ſubmergi; hoc eſt ex glacie in Cryſtallum converti: *E glacie Cryſtallus evaſi.*

Cum fortitudine deinde conjungenda eſt ars; quæ primò in eo conſiſtit, quòd ſtatim principijs reſiſtamus. In principio tentationis firmo robore pollet anima, & debilitate inimicus torpeſcit; tuas negligentiâ vires enervas, inimico autem interea propter hoc victoriæ initium fortitudo ſuccreſcit. Longè difficilius eſt confertas hoſtium turmas repellere, quando ſuum vexillum oppugnatæ civitatis mœnibus jam infixerunt, quàm fuerat antè eosdem impedire, ut ne unquam eò usque pertingerent: *Beatus* (verba ſunt Pſaltis Regii) *beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Pſal.* 136. quaſi dicat: quamprimum

primum exſurgere in animo tuo motum Divinæ Legi contrarium advertis, noli exſpectare, usquedum adoleſcat, ſed adhucdum infantulum, magnanimè reſiſtendo, manu comprehende, protinúsque actu quodam oppoſito maledictam hanc ſobolem petræ allide; & tum vocare beatum te poteris propter ſpem ſecuram obtinendi coronam ſempiternam: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Aliqui ſunt, qui ſub initium infauſto huic partui blandiuntur, & quid mirum, ſi poſtmodum triumpho ducantur, ubi inimici adoleverint: incipitur cum tentatione miſceri ſermocinatio, & non abſolvitur tractatio, donec deditio concludatur.

Verùm hæc nondum tota ars eſt, ad hanc pugnam requiſita: illud, quod plurimum adfert emolumenti, eſt, nôſſe commendare ſe Domino Deo, & noſtræ debilitati ab eodem ſuppetias impetrare. Hoc erat monitum, quod diſcipulorum ſuorum animis altiſſimè impreſſum cupiebat magnus ille Dei ſervus, & ſpiritûs Magiſter Joannes Avila: *Tentatio ad te,* ſolebat dicere: *& tu ad Deum.* Imò

hoc

hoc eſt monitum ab ipſo mundi Redemptore, qui utique autoritatis eſt omni exceptione majoris, nobis relictum: vigilate, & toto corde vos ad Deum convertite, ſi vincendi tentationem vobis eſt animus: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Matt.* 16. quod ipſemet opere ipſo etiam fecit, non ex neceſſitate, ſed nobis pro exemplo, ad initium præcipuè ſacratiſſimæ ſuæ paſſionis. Similiter Pſalmi, qui tam apertè nos viam ſalutis edocent, pleni ſunt ſupplicibûs votîs, iteratò ad Deum pro impetrando auxilio emiſſis, & decantatîs eidem, pro illo obtento, laudum præconiîs. Ad hanc normam tua arma inſtruas, oportet; & tunc tentatio emolumento tibi erit, non damno: *Faciet cum tentatione proventum.* 1.*Cor.* 10. tuáque propoſita ſimilia erunt partubus, frigidiſſimo hyemis tempore prognatis, qui, ùt Medici ajunt, ſummo vigore, & vivaciſſimîs ſpiritibûs à natura inſtruuntur.

Verùm non ſufficit eſſe fortem in ſuſtinendo; ſed major quandoque ad abſtinendum fortitudo requiritur: *Suſtine, Abſtine.*

Abstine. Istud abstinere, quod secundô locô, ad nostram salutem in tuto reponendam, esse necessarium diximus, non istud tantummodo denotat, quòd abstinere debeamus ab illo, quod manifestè esse peccatum dignoscimus; hoc namque supponitur, firmissimè fixum tibi esse, ratúmque, mille vitas profundere potiùs, quàm Divinâ amicitiâ excidere. Itaque abstinere idem hìc est, atque spoliare se rebûs illîs omnibûs, quæ, tametsi ex natura sua graviter illicitæ non sint, ad peccatum tamen occasionem & viam aperiunt. Et quia in hac materia te vellem quàm optimè esse instructum, suppone, objecta deliciosa duobûs præcipuè modîs nos ad peccandum pertrahere: aliquando frequenter nos ad lapsum inducunt, quando tali periculo nos exponimus; aliquando rariùs. Si frequenter ad peccatum nos impellunt, occasio proxima vocantur; & necessariô fugienda sunt necessitate præcepti. Quodsi autem rarò ad flagitium nos pertrahunt, aut ad illud remotè solummodo disponunt, occasiones remotæ appellantur, quarum fugam non equidem supremi Legis-

Legislatoris mandatum imperat; prudentia tamen, & boni in rebus animæ regiminis regula quàm maximè commendat. Supponamus itaque, ab aliquo tempore peccaminosa te quadam amicitia illaqueatum vixisse; ita quidem, ut frequentando quamdam conversationem, commercium quoddam aut per litteras, aut munuscula, aut visitationes continuando, sæpius in grave quoddam peccatum prolapsus fueris; jam conscientiæ tuæ director haud dubiè circa hanc obligationem te benè instruxerit, vì cujus obstrictus es, ut nunquam ampliùs huic te discrimini exponas: unde nihil aliud hîc mihi faciendum jam superest, nisi ut eam ipsam instructionem denuo in memoriam tibi revocem, admonendo te, illud ipsum præceptum, quod ad vitandum peccatum te obligat, obligare te etiam, ut illas ædes non ampliùs aut saltem non solus accedas, ut à similibus epistolis, à similibus munusculis mittendis abstineas; cùm illa ipsa Lex, quæ prohibet peccatum, etiam proximum peccandi periculum prohibeat.

Quodsi

Quodſi laqueus occaſionis ita foret à neceſſitate conſtrictus, ut eundem disrumpere tibi moraliter foret impoſſibile, etiam hîs circumſtantiîs, quæ ſinè dubio in ſtatu infeliciſſimo te collocarent, confeſſarius tuus jam explicaverit tibi obligationem, tollendi externæ illius occaſionis periculum per actus tuos internos; hoc eſt, per recurſum frequentiorem ad Dominum, per frequentiorem Sacramentorum uſum, & per majorem bonorum operum multitudinem; quemadmodum, qui viam mutare lubricam non poteſt, baculo innititur, ut lapſum devitet; & ſicuti, qui venenatæ viperæ amputare caput non poteſt, ſaltèm dentes evellit. In his veritatibus te bene inſtructum crediderim, quia ad bonam confeſſionem requiruntur; & væ tibi! ſi hac in parte tuum propoſitum claudicaret! nam ſanitas tua aut apparens tantummodo foret, aut brevis: *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere conſueverunt.* Iſthæ antiqui erga peccatum affectûs reliquiæ brevì te iterum in ſcelus impellerent. Et quid tunc prodeſſet

ſperare, te non relapſurum? temeritas hæc eſt, non ſpes; cùm illi innitatur, quod Deus nunquam promiſit, Deum nempe ſuô illi adſtiturum auxiliô, qui voluntariè ſe periculo exponit: cùm tamen è contrario temerariis ejusmodi hominibus non obſcurè lapſum prædixerit: *Qui amat periculum, peribit in illo. Eccli. 3. v. 27.* & apertè ſit proteſtatus, nihil ſe cum ipſis commiſerationis habiturum: *Quis miſerebitur incantatori, à ſerpente percuſſo, & omnibus his, qui appropiant beſtiis? Eccli. 12. v. 13.*

Verùm enimvero, hæc non eſt lis, quam credere quis poſſit, conſcientiæ tuæ arbitrum non deciſam reliquiſſe. Ad illud igitur progrediamur, quod dicendum adhuc remanet; ad illas nimirum occaſiones, quas remotas appellant, quia raro ad peccandum nos inducunt, & tantummodo de longè animam ad lapſum diſponunt. Quemadmodum foſſores, qui in obſidione cujusdam civitatis non dimicant, non injiciunt ignes, non occidunt, ſed viam aperiunt exercitui, qui poſtmodum hoſtes oppugnat, ferrô

ferrô proſternit, & injectîs ignibûs omnium ædes exurit. Remotæ hujusmodi peccandi occaſiones ſunt, luſûs, libri non inhoneſti quidem, ſed profani, viſitationes, convivia, nimiùm ſuperbus & affectatus veſtium luxus, & aliæ relaxationes, quas ſupra reprehendimus. Sed præter hæc circa duo præcipuè te cuperem cautiſſimum, ut ab utroque abſtineas, ſcilicet circa libertatem aſpiciendi, & circa libertatem converſandi.

Quid putas eſſe oculos, quos ſub fronte collocatos circumfers? ſunt infideles duo proditores, qui cum hoſtibus noſtris colludunt, qui frequenter eorum manibus nos inferunt: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. Eccle. 9. v. 11.*

Multi, cùm mulieris non ſuæ faciem contemplarentur, & animam & ſalutem amiſerunt; non quidem ſemper eo ſtatim momento, quo oculus in vultum defigebatur, ſed ſucceſſivè & pedetentim: *Viſum*, ait Gloſſa, *ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo,*

consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. Ita illud, quod initiô fuit tenuis quidam vapor, è terra in altum ascendens, inde post modicum temporis in pluviam solutum rursum decidit, deinde induratur in glaciem, & denique in lapidem mutatur. Credísne, Sanctos, nisi hoc sæpius contingeret, adeò solicitos in oculorum suorum custodia extituros fuisse? S. Aloysius Gonzaga ne quidem in Serenissimæ suæ Parentis faciem unquam conjicere oculos audebat. S. Hugo Episcopus, qui ratione sui officii multifariam agere cum proximis obligabatur, ne quidem semel aspicere cujusquam fœminœ vultum sustinuit; & S. Thomas Aquinas, etiamsi à Deo castitatis donô fuisset munitus, extremô semper studiô fœminarum aspectum, tanquam faciem basilisci, fugiebat. Verùm dices mihi, qua ratione possibile sit, vivere in mundo, conversari, & agere cum mulieribus, & nunquam in eas obtutum defigere? Numquid autem relata superiùs Spiritûs sancti verba ponderâstis,

ſtis, quibûs multos fieri reprobos aſſe-rit, non quia mulieres obiter aſpiciunt, ſed quia illas ex inſtituto contemplantur, earundémque pulchritudinem admirantur? *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* Neceſſarium itaque eſt, cùm periculoſum quoddam objectum in oculos incurrit, eosdem ab illo protinus avertere, & nullatenus in eo defigere. Ex omnibus animalibus, quæ aquam bibunt ex Nilo, ſoli canes à crocodilo ſecuri ſunt; quia bibunt, & fugiunt; ad hoc cùm animalia reliqua non advertant, ſæpe crocodilorum dentibus in prædam cedunt.

Altera occaſio, quam declinare debes, ut devotionem conſerves, eſt libertas in converſando. Non loquor tantummodo de illis converſationibus, quæ ſunt perverſæ & ſcandaloſæ, in quibus illi ſocii, qui venenum hauſerunt, facilè etiam aliis venenato ſuo illud halitu afflant: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* 1. *Cor.* 15. ſed de illis etiam loquor, quæ liberæ non ſunt, ſed nimiùm diuturnæ. Qua

ratione bona conſervare animæ propoſita poteris, ſi diem integrum in circulis exigas? fornax, cujus oſtiolum non clauditur, ſuum calorem non ſervat. Paululùm recedere ab hominum tumultu, aliquantulum linguæ indicere ſilentium, parumper ſecedere in ſolitudinem opus erit, ſi deſideras, ut Deus ad cor tibi loquatur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſ.2. c. 14.* Primum, circa quod natura in efformando fœtu, in utero materno latente, occupatur, eſt, quòd cuticulas illas elaboret, intra quas eundem circumvolvat. Ex primis tuis propoſitis ſit, certum quoddam intra diem tempus ſeligere, quo tecum ſolo, & cum Deo agas, examinando tuam conſcientiam, commendando te Superis, librum quemdam ſpiritualem legendo. Sed enim, commilitones tui illudent tibi, & tanquam exoticum ac melancholicum exſibilabunt? Simili ratione & Noëmum, & Arcam, quam fabricabat, in eandem ſe incluſurus, ſcelerati ſocii explodebant; verùm ubi aperiri cœperunt cataractæ cœli, & tota

ta terra inundari diluviô, tota contentione in eadem habere locum anhelabant, & vano ululatu inutiles voces attollentes, ſublatîs in cœlum manibûs ingrediendi licentiam fruſtra flagitârunt.

Ultimò denique ad perſeverandum in via ſalutis neceſſarium eſt, ut ad bonorum operum exercitium incumbamus: *Suſtine, Abſtine, Age.* Via, quæ non frequentatur, brevì ſilveſcit; aqua, quæ ſtagnat, ſe ipſam corrumpit; enſis, qui non uſurpatur, ſeipſum rubigine inficit; inſtrumentum, quod non tractatur, ſeipſum chordîs exarmat; domus, quæ non incolitur, per ſeipſam collabitur. Hoc ipſum quoque animæ tuæ continget, niſi eandem bonorum operum ſtudiô ſuffulcias: *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquandò. 2. Petr. 1. v. 10.* Cura, perſeverantiam tuam in bono, illiúsque Decreti, quod Divina Providentia de tua ſalute concepit, executionem impetrare tam conſtantî multorum bonorum operum exercitiô, ut nunquam di-

cas: Sufficit. *Magìs ſatagite.* Non quidem, quaſi donum perſeverantiæ promereri quis condignè bonîs operibûs poſſet; ſic enim gratia non foret: ſed quia conſuevit Divina Bonitas, illis majoribûs auxiliîs aſſiſtere, qui majore cum fervore operantur, illíque gratiam quandam magìs ſpecialem impertiri, qui gratiæ jam datæ reſpondet: *Ut bonis operibus inhærendô tuæ ſemper virtutis mereamur protectione defendi* (*Orat. fer. 6. Heb. 1. Quadr.*) Unde conſultiſſimum erit, quorundam bonorum operum, quæ exerceri abs te poſſint, ſelectum facere, tuúmque rogare confeſſarium, ut illa ipſa tibi pro pœnitentia injungat, ut omni via tuam pigritiam excutias, ipsísque tuis operibus majus meritum adjungas.

At verò cujus generis opera illa eſſe oportet, quæ tantum tibi bonum obtineant? Jam ſcis, triplicem eſſe obligationem noſtram, erga Deum, erga proximum, erga nos ipſos. Jam verò, quantum ad nos ipſos attinet, quandam pœnitentiam etiam exteriorem, quandam abſtinentiam, quoddam jejunium, quandam

dam disciplinam, aut quoddam aliud afflictionis genus adhibeamus, oportet, quod vitiosos habitus infringat, & bona nostra proposita necessariâ sepe incingat: *Ubi non est sepes, diripietur possessio. Eccli.* 36. *v.* 27. Ita pariter aliquod exercitium caritatis erga proximum requiritur, nimirum, ut visitemus eum infirmum, aut indigenti subveniamus, aut compatiamur afflicto, aut errantem excusemus, aut, si aliter non possimus, saltem nostrìs precibûs adjuvemus, aut in doctrina Christiana ipsius domesticos instruamus, aut cum amore eosdem corrigamus. Præ omnibus autem illud stabiliendum firmissimè, quod præstare Deo debemus; nempe, ut quidpiam è sanctissima Domini Passione meditemur, ut Divina ipsius beneficia gratâ memoriâ recolamus, ut aliquibûs sanctissimam Virginem obsequiîs veneremur, quibûsdam devotionibûs Sanctorum patrocinium invocemus, visitemus devotè quasdam Ecclesias, & tremendo Missæ Sacrificio assistamus. Specialiter autem ad illa duo intentum habeamus

oculum oportet, quæ ad benè vivendum omnium maximè conferunt, scilicet ad frequentem Sacramentorum usum, & ad Orationem.

Loquendô de frequenti Sacramentorum usu; quemadmodum Deus olim in Paradiso terrestri arborem vitæ plantavit, ut homines ex ea comedentes morte non morerentur; ita in horto Ecclesiæ aliam quandam vitæ arborem, illâ sinè comparatione æstimabiliorem, plantavit, quæ est Divina Evcharistia, ut animæ, per gratiam reparatæ, ampliùs mortem non viderent. Sicuti autem ad conservandam vitam corporalem non suffecisset, aliquoties duntaxat intra annum ex arbore vitæ fructus manducare, sed necessarium fuisset, ut quis iîsdem se frequentiùs reficeret; ita pariter ad conservandam vitam spiritualem non sufficit semel, cùm centies deberemus, ad recipiendum Deum Evcharisticum accedere; sed frequenter sacræ huic mensæ accumbendum, quoties nempe statûs nostri conditio patitur, & quoties nostro confessario videbitur. Propriâ

edoctus

edoctus experientiâ advertes, quàm prodigiosi sint effectus Divini hujus cibi, sæpius, & cum præparatione debita accepti. Lepores in alpibus altissimis albi sunt coloris, quia ferè continuò inter nives habitantes, frequenter ex iis se nutriunt: Multæ volucres in Moluccis ne quidem mortuæ dissolvuntur & computrescunt, quia ordinariè aromaticis illius regionis frugibûs se sustentant. Unde inimicus infernalis tantos conatus adhibet, ut à cœlesti hoc nutrimento nobis abstinentiam persuadeat; quò nimirum ab omnibus simul bonis impeditos uno ictu ita debilitet, ut etiam absque pugna triumphô nos ducat. Simile quidpiam ut faceret, si absque magno labore subjugare Bethuliam desideraret, Holoferni suadebatur, ut nimirum primò aquæ ductus, qui aquam ad civitatem devehebant, succideret; deinde illam ipsam aquam aliò averteret, ne ad exstructos circum Bethuliam fontes posset pertingere.

Ultimum remedium tam potens, quàm ad obtinendam in bono constantiam, necessarium, est devota oratio,

tio, tam illa, in qua pia consideratione Divina Mysteria contemplantur; quàm altera, in qua Divini Numinis auxilium flagitamus. Deus in pluribus Scripturæ locis; sed præcipuè per Ecclesiasticum nobis istam constantiam pollicetur, si frequentur sanctissimam ipsius legem, & veritates in ea nobis revelatas meditati fuerimus: *Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto; & ipse dabit tibi cor. Eccli. 6. v. 37.* Occupa cagitationes tuas in contemplanda Lege Domini, & constanti meditatione sanctissima ipsius mandata atque Mysteria ruminare, & ipse cor tibi largietur, Divina fortitudine plenum ad omnes difficultates devincendas. Et alio in loco adhuc apertiùs: *Memorare,* inquit Dominus, *novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7. v. 40.* Ratio autem est; quia diabolus non habet aliud medium, nos ad consensum peccato præstandum inducendi, quàm si propositîs, oblatísque objectîs prohibitîs nostras passiones excitet; ita ut turbata ratio sibi persuadeat, perdere Deum

um ſibi eſſe proficuum, ut ſibi ipſi in hac occaſione queat ſatisfacere.

Jam veritatum æternarum conſideratio horribilem fraudem detegit, in hujusmodi tentatione latentem; atque adeo voluntatem roborat, ut firmiſſimum nunquam conſentiendi propoſitum concipiat, & potiùs mortem eligat, quàm peccatum admittat: *Niſi quòd Lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilitate mea. Pſal.* 118. Facilî negotiô me irruens tentatio ſubruiſſet, niſi me ſancta meditatio ſuſtentâſſet.

Altera Orationis pars, in qua Dei auxilium petimus, ad perſeverantiam adhuc magìs neceſſaria eſt, ita quippe neceſſaria eſt, ùt gratia ipſa. Ratio hujus eſt, quia, poſtquam Deus nos primâ ſuâ gratiâ prævenit, ordinariè non pergit continuare ſuum auxilium, niſi de novò illud efflagitemus, atque cum fide, humilitate, & perſeverantia in noſtris precibus ad eum recurramus. Hinc nullus eſt peccatorum, qui, etſi omni aliâ gratiâ deſtituatur, ſemper etiam iſtâ, qua Deo commendare ſe poſſit, gratiâ de-

deficiat;&similiter nullus eſt peccatorum, qui, ſi cum humilitate, cum fiducia atque conſiantia ad Deum confugerit, exaudiendus non ſit, & in ſtatum bonum reponendus; quia Divina Bonitas orationem eſſe voluit medium quoddam univerſale, quod Divinæ ſuæ Providentiæ decretorum executionem impetraret, quod omnibûs noſtrîs infirmitatibûs mederetur, quod omne nobis à cœlo bonum obtineret. Proinde, ut ad praxin veniamus, noli unquam pertimeſcere qualemcunque tentationem; noli terreri tuîs peccatîs, nec pravîs habitibûs inde contractîs; ſed ſtatue, ardentioribûs ſemper ad Deum precibûs ſuſpirare,&effectum ſenties: *Subditus eſto Domino, & ora eum, & ſpera in eo, & ipſe faciet. pſal.* 36. Clama ad cœlum ſub auroram, quamprimum excitatus è ſomno lectum deſeris; clama ſub veſperum, ubi lecto te credis; interdiu, ubi Eccleſiam intras; humilia ad Deum vota evibra non modò in tentatione, ſed ad primum ſtatim tentationis pulſum; ſuſpira ad Dominum in proſperitate, & afflictione;

uno

uno verbo, ſemper ſupplicibûs cœlum votîs pulſa, ùt ipſe mundi Servator te docet: *Oportet ſemper orare, & non deſicere. Luc.* 18. & videbis, quòd tuæ orationi Divina ſeſe junctura ſit Miſericordia: *Aſcendit oratio, & deſcendit Dei miſeratio*. Ita teſte Caſſiano ſua in eremo antiqui Monachi faciebant; perpetuò ex ipſorum ore hæc verba ſonabant: *Deus in adjutorium meum intende.* Cum his diem incipiebant; cum his eandem quoque terminabant; hæc in omnibus ſuis orationibus repetebant, & in illo momento, quo ſomnô ſolvebantur, in illa prorumpebant; quia, cùm Divinum auxilium ſibi ſemper eſſe neceſſarium agnoſcerent, ſciebant quoque, nullum eſſe ad illud impetrandum efficacius remedium, quàm continuîs ad cœlum precibûs ſuſpirare. Speciali autem diligentia in templo ſub ſacroſancto Miſſæ ſacrificio Deo te commenda; hoc namque propriè tempus eſt Divinarum miſericordiarum, in quo orationes noſtræ nunquam laturæ ſunt repulſam, quia conjunctæ ſunt cum precibus & meritis noſtri Redemptoris,

qui

qui ad obtinendum nobis omne bonum, æterno Patri in Sacrificium offertur: adeoque, ut omnia paucîs concludam, in faciendo, quod potes; & in petendo illo, quod non potes, posita erit tua perseverantia, uti dicit S. Augustinus; & S. Synodus Tridentina confirmat: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.*

FINIS.





EXERCITIA
S·P·IGNATII

R.P. PINAMONTI